Saluti
Locanhadi

STUDIO AL...
HOLY CROSS PROVINCE
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago Ill.

INSTITVTIONES BIBLICAE

SIVE

DISSERTATIONES ISAGOGICAE

IN SACRAM SCRIPTVRAM

TIRONVM VSVI ACCOMMODATAE

Editio Tertia

EMENDATA ET AVCTA

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.
WITHDRAWN

BONONIAE

EX OFFICINA JOSEPHI TIOCCHI ET SOC.

IMPENSIS CAJETANI RIGHI BIBL.

MDCCCXLI

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. PLACIDO ZVRLAE

VRBIS VICARIO

ET SACRAE CONGREGATIONIS STVDIORVM

PRAEFECTO

IOSEPHVS ZAMA MELLINIVS

Etsi harum praelectionum, quae de Sacris Litteris, easque interpretandi ratione agunt, atque Tuo, Vir Amplissime, Nomini auspicatissimo inscriptae nunc primum in lucem prodeunt, tenuitatem probe ipse cognoscam, ac fatear; nonnulla tamen sunt rationum momenta, eaque gravissima, quae studiosae eas juventuti commendare possint. Primum enim, ut illae typis commissae publici fierent juris, viri permulti doctrina non minus

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

quam dignitate praestantes mihi auctores fuere. Accessit cum plurium amicorum, tum etiam adolescentum, qui ipsis toto jam elapso decennio interfuerunt, humanitas, qui abs me enixe petierunt, ut communi huic omnium desiderio facerem satis. Quod vero omnium maxime haerentis adhuc animi penitus dubitationem amovit, Tua fuit, Vir Eminentissime, singularis omnino benignitas. Cum enim nihil hac de re sine Tuo prudentissimo consilio statuendum arbitrarer, eaque de caussa abs Te percontari ausus essem, utrum in lucem extiturae, ut Tuo Nomine exornarentur, paterere, illo, inquam, nomine quod amplissima apud omnes auctoritate gaudet, tum quia cunctis Pontificiae Ditionis studiis sapientissime praees, tum quia in litteris praesertim sacris omnium opinione, ac voce jure merito doctissimus haberis, Tu percontanti statim humanissime annuisti; qua quidem humanitate in eam facile descendi sententiam, illas Tibi quoque tanto viro non indignas videri, quae typis committerentur. Scilicet (quod tuae prudentiae, atque humanitatis est) quamlibet libentissime occasionem arripis discipulorum studia fovendi, unaque doctorum, qui Tibi subsunt, labores erigendi, tuendique. Quod quidem lucubrationibus hisce meis, quaecumque eae sint, feliciorem quam speraverim, exitum ominatur, tum Tibi illam comparat gloriam, quae optimis Principibus, tui nempe similibus maximae curae est, ut de aliis benemereantur. Te Deus O. M. Reipublicae tum Christianae, tum Litterariae bono diutissime incolumem servet, quod sane Tua primum, atque omnium caussa, deinde in obsequentissimi, et gratissimi animi testimonium pro ea, qua me complexus es benignitate, implorare nunquam desinam.

LECTORI.

Qui cathedram conscendit alicujus scientiae doctor, id potissimum prae oculis habere debet, ut auditorum animi primis, iis cognitionibus, praeceptisque informentur, ex quibus ejusdem scientiae criterium quam aptissimum exoriatur. Qui diversam ineunt viam, atque elementis posthabitis sublimiora sectantur, ii haud immerito comparari posse matri videntur, quae puero nullum adhuc cibum ad concoquendum parato dapes praeberet digestionis difficillimae, aut vix pedibus stantem ad gigantum passus incitaret. Sic ipse animo reputans, cui divini eloquii Sacris Literis consignati tradendae scientiae provincia est demandata, hujusmodi cognitiones, praeceptaque collegi, simulque duobus voluminibus proposui, quibus tota agnoscendi, explicandi, et ab impiorum maledictis Sacram Scripturam vindicandi ratio innititur. His, ut spero, qui bene fuerit imbutus, studio privato, sedula insuper probatissimorum, qui in eo genere praesto sunt, librorum lectione ad Sacrae Hermeneuticae plenam cognitionem non irrito conatu tandem poterit pervenire. Vt autem opus hoc nostrum, qualecumque fuerit, agnoscas melius, Lector benevole, ac penitus introspicias, totam ipsius oeconomiam, sive methodi nostrae rationem, paucis hic habe.

Postquam Scripturam Sanctam interpretandi ars impensius, ac diligentius excoli coepit, tres ejusdem artis veluti partes assignari consueverunt. *Critica* scilicet, *Hermeneutica*, *Exegetica*. *Critica* quidem, quae pura, integra atque immutata Biblia servat; idque assequitur partim enumerando canonicos libros, editiones eorum recensendo, auctoresque vindicando, quo sensu *Ecdotica* dicitur: partim Textuum, Versionumque propugnando au-

ctoritatem, quo quidem modo *Didacticam* appellant. *Hermeneutica* porro cujuslibet generis prosequitur Versiones. *Exegetica* tandem interiorem, vérioremque sensum Scripturae investigat, et explicat per Commentaria, Glossas, aliosque interpretandi modos bene multos: Apparatus eadem, Introductiones, et Prolegomena in Libros Sacros exhibet. Haec sane loquendi ratio, et dividendi usus apud recentiores passim occurrit, ut prae aliis ostendit Cl. Andres (1), Sed nos licet Dissertationibus nostris eo pervenire in votis habuerimus, ut quidquid ad Criticam, Hermeneuticam, et Exegeticam simul, quantum elementi assequi fas est, tironibus exhibeatur, id nihilominus non ita perfecimus, ut de illis separatim praecepta tradiderimus. Nam imprimis non adeo communis, atque ab omnibus recepta est illa partiendi, explicandique ratio, ut simul non offendas diversas, et aequivocas Hermeneuticae, et Exegeticae significationes. Deinde vix id consequi viribus nostris confidimus, ut omnium fines legitimo quasi jure circumscriberemus, cum plura ex illis arctissimo inter se nexu devincta nobis videantur. Ita, ut res exemplo illustretur, dum de Ecclesiae Patrum auctoritate, rectaque iisdem utendi methodo loqueris; aut dum de Versionibus sermonem instituis, difficile admodum tibi erit, quod ad Criticam spectat animadvertere, quin simul id, quod pro Hermeneutica, et Exegesi ex ipsis infertur, consideres. Omnia itaque prae oculis quidem habuimus, sed indiscriminatim sumus prosequuti Dissertationibus nostris, quibus tirones manuducimus ad rectam Scripturarum intelligentiam, rectumque usum earumdem.

In hoc porro praeceptorum delectu probatissimis usi sumus magistris, cujusmodi sunt Bellarminus, Calmet, a Lapide, Lamy, Veith, Duguet, Tirinus, eo videlicet consilio, ut hoc jacto veluti fundamento, caetera, quae necessaria sunt ad obstruenda ora Voltaire, Rousseau, aliisque impiis, qui nostra fere aetate sunt veluti ab inferis excitati, facile et quasi sponte fluant. Facere tamen non potuimus quin data opera de recentibus Biblicis Societatibus ageremus, larvamque detegeremus, qua se

(1) Origine delle Scienze.

neoterici quidam Theologi abdere nituntur; qui nempe liberiorem profitentes modum in explicanda Scriptura Sacra (quam venerari se ajunt) eo cum summo Religionis detrimento spectant, ut mirum quodvis, ac vires humanas, et naturae exsuperans ab ea eliminent, atque librum prorsus divinum pro humano veluti commento habeant. Sic identidem hujusmodi Iahnii, Michaelis, Eichhornii, aliorumque errores notamus, atque ut eosdem et vere agnosceremus, insignem nobis opem tulit Io. Nep. Alber (1), quem in pluribus sequuti sumus, ac in multis etiam ad verbum fere descripsimus.

Ne vero opus hoc nostrum plusquam satis est tenuitatis incuses, illud quaeso prae oculis habeto, quod iterum iterumque adnotasse juvat, communi nos tironum bono prospicientes, Dissertationes parasse, quae Institutiones Biblicae scientiae, minime vero Tractatus exhiberent; quare miraberis nihil, si tum errorum, tum sanae doctrinae principia, ac quasi fundamenta solummodo delineaverimus, contenti manu veluti indigitare auctores, qui fuse, ac pro dignitate de iisdem rebus pertractaverint. Scias etiam velim in more esse Scholae nostrae, ut nunc Veteris, nunc Novi Foederis liber aliquis quolibet anno evolvatur ea ratione, ut quae praecipua, difficilioraque in illo occurrant, explicentur, quaeque theoretice sunt tradita in Dissertationibus nostris, ea ad usum pertrahantur. Vtque e methodo nostra spes major effulgeat profectus, adnotamus, auditoribus nostris, hebdomade quavis exeunte, proponi solere quaestiones, quas in tertio volumine exhibendas paramus, de iis nempe, quae aut intellectu sunt difficiliora, aut cum recta philosophia pugnare prima fronte videntur, aut cum aliis Scripturae locis *antilogias* praeseferunt. Hinc juvenes, quibus vel scripto, vel verbo disputandi de iisdem munus committitur, addiscunt diligenti versare manu Scripturam Sanctam, magisque proficiunt.

„ Quae cum ita se habeant, „ (longe verius Hieronymi (2) utar verbis) „ obsecro te, Lector, ne labo-„ rem meum reprehensionem existimes antiquorum. In

(1) Institutiones Hermeneuticae.
(2) Prolog. Galeat.

„ templo Dei offert unusquisque quod potest: alii aurum,
„ argentum, et lapides pretiosos: alii byssum, et pur-
„ puram, et coccum offerunt, et hyacinthum: nobiscum
„ bene agitur, si obtulerimus pelles, et caprarum pilos.
„ Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis ne-
„ cessaria judicat. Vnde et tota illa Tabernaculi pulchri-
„ tudo, et per singulas species, Ecclesiae praesentis,
„ futuraeque distinctio, pellibus tegitur et ciliciis, ar-
„ doremque solis, et injuriam imbrium ea, quae vilio-
„ ra sunt, prohibent. „

PARS PRIMA

DISSERTATIO I.

DE SCRIPTURA SACRA IN SE SPECTATA.

CAPUT I.

DE VARIIS SCRIPTURAE NOMINIBUS.

ARTICULUS UNICUS.

Varia Scripturae nomina.

Liber, quem *Sacram Scripturam* communius appellamus, varia habet nomina, quorum alia in Scriptura ipsa sunt memorata, alia usu PP. et Ecclesiae nostrae Christianae consecrata, nec non Iudaeorum loquendi more inducta. Ex Scriptura quidem multa: nam libri ipsi sancti se nominant *scripturas sanctas* (Rom. I. 2.), *sacras litteras* , (2. Timoth. III. 15.), *eloquia Dei* (Rom. III. 2.), vel solum *scripturas*, *scripturam*, *verbum Dei*, *sermones Dei*. Vide Ioan. VII. 42. Matt. XXI. 42. et alibi passim.

Horum porro nominum et similium proprietas ostenditur nedum ab auctoritate Scripturae ipsius, quae illa adhibet, ab usu insuper Ecclesiae nostrae et Patrum, nec non Ecclesiae, quae olim vera extitit, Iudaeorum (ut satis eruitur, quod ad hos, ex Iosepho l. 1. *contra Appion.* c. 8., et ex Philone l. 2. *Legis Allegoriarum*), sed etiam ratione confirmatur. Cum enim hic liber, Dei verba scripto revelata contineat, cumque ideo sit omnium librorum excellentissimus, rectissime appellatur: *Eloquium*, *Verbum Dei*, *etc.* atque *Scriptura* antonomastice talis.

Appellatur etiam a Paullo (ad Hebr. IX. 16.) *Testamentum*, de cujus nominis ratione nonnulla occurrunt adnotanda.

Testamenti enim vox sumitur dupliciter. Primo pro qualibet voluntatis significatione. Secundo specialiter pro constitutione illorum, quae impleri post mortem volumus. Aliqui librum nostrum appellari volunt Testamentum in priori tantum significatione, altera exclusa, eo quod nomen hebraeum

בְּרִית *Berith*, et graecum διαθήκη *Diatheke*, ex quibus sumptum est nomen latinum *Testamenti*, juxta Scripturae usum significare potius simplex pactum videantur: ut in Exod. XXIV. 7. (1). Hoc ipsum confirmat Hieronymus (in Malach. II.) *In plerisque Scripturarum locis, testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viventium.* Addunt testari de rebus post mortem faciendis, in usu non fuisse apud Hebraeos.

Sed plures, et quidem rectissime, in posteriori sensu librum hunc appellant Testamentum, innixi praecipue Paullo, qui ad Hebr. loc. cit. scribens, ait necessariam fuisse Christi mortem pro Testamenti divini validitate: ubi (2) aperte demonstrat divinum cum homine foedus habuisse strictam testamenti significationem. Neque id solum valet de N. T. Vetus ipsum juxta Ex. XXIV. sancitum fuit victimarum morte, quae typus fuit mortis Christi testatoris, ut pluribus ostendit a Lapid. in Paull. loc. cit. et ut Paullus ipse innuit illis verbis; *Unde nec primum sine sanguine dedicatum est.*

Testamentarias autem ordinationes non fuisse Hebraeis penitus inusitatas, colligunt aliqui ex 2. Reg. XVII. 23. (3) et 4. Reg. XX. 1. (4). Ex his enim infertur, homines morientes *disposuisse domui suae*, aliqua mortis caussa praecepisse, et similia, quae testamenta stricto sensu appellari possunt. Legimus etiam (Gen. XXXXVIII. 22.) Iacobum morientem partem, tamquam testamentarium legatum, Iosepho assignasse: nec non (Tob. VIII. 24.) Raguelem dimidiam bonorum suorum partem Tobiae post mortem suam, et uxoris consignandam statuisse.

Praeter haec nomina sunt et sequentia jam usu recepta.

Biblia e graeco vocabulo βίβλος *Biblos*, quod plantam significat, cujus cortice utebantur veteres tamquam tabula, in qua scribebant.

Eadem fere est significatio his aliis nominibus: *papyrus*, *codex*, *liber*. Hinc uti Volumen Constitutionum Imperialium per antonomasiam dicitur *Codex*, ita scriptae Revelationis Volumen *Biblia* antonomastice nuncupatur, atque non raro *Biblia sacra.*

Bibliotheca sancta, quia libros quosque sanctos, qui omni-

(1) *Assumensque (Moyses) volumen foederis* (διαθήκης)*.... hic est sanguis foederis* (διαθήκης).

(2) *Testamentum in morte confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.*

(3) *Porro Achitophel.... disposita domo sua, suspendio interiit.*

(4) *In diebus illis aegrotavit Ezechias usque ad mortem: et venit ad eum Isaias... dixitque ei: Haec dicit Dominus Deus: Praecipe domui tuae: morieris enim tu, et non vives.*

um excellentissimi sunt, continet: *Bibliotheca divina* jam inde a Hieronymo (de Vir. Ill. c. 75.) audiit, quia libros divinos complectitur.

Pandecta, (quod idem fere significat ac *Bibliotheca*); et *Auctoritas divina*, quod nomen libris sacris a Cassiodoro tributum est. (Maffei *Opusc. Theol. p.* 174.)

Hagiographa, idest *Scripta Sancta*, quemadmodum viri, qui sacra haec scripserunt, *Hagiographi* dicuntur, idest scriptores sacri, aut *Theopneusti*, idest a Deo inspirati (1). De hisce omnibus conferatur Du-Pin *Dissert. prelimin. sur la Bibl. livr.* 1. *chap.* 1., et F. Cherubinus a S. Ioseph Carmelita Discalceatus *Bibliotheca Criticae Sacrae circa omnes fere sacrorum librorum difficultates etc. quaest.* 2. *tom.* 1. *art.* 1. *sect*· 1.

CAPUT II.

DE AUCTORITATE SCRIPTURAE

Ad tres classes revocari possunt, qui scripturis sanctis auctoritatem denegarunt.

Haeretici.

Prima est haereticorum, praesertim veterum, qui fide non dignos autumaverunt aut aliquos, aut omnes Scripturae libros. Hujusmodi fuerunt: Simoniani, Basilidiani, Marcionitae, Ebionitae, Manichaei, aliique, ut ex historia patet ecclesiastica.

Philosophi.

Ad secundum revocandi sunt Philosophi illi gentiles, qui verae Ecclesiae Dei veritatem oppugnarunt: hi fidem prorsus denegabant iis libris, quos ut sanctos Ecclesia ipsa veneratur. Tales extiterunt Celsus, Porphyrius, Hierocles, Iulianus, aliique, saltem quod ad libros Novi Testamenti.

Deistae.

Tertia denique est Deistarum, qui cum osores sese prodant revelationis divinae, revelatorum quoque a Deo librorum veritatem insectantur. Inter primos fuit Saec. XVII. Hobbesius.

(1) Nota: apud Hebraeos sacri libri distribuuntur in Legem, idest Pentateuchum (תּוֹרָה *thoràh*); Prophetas (נְבִיאִים *nebiìm*); et Hagiographa (כְּתוּבִים *chethubìm*).

His accenseri debent quotquot deinceps in Anglia, in Gallia, aliisque Europae regionibus serpserunt Deistae. Huc spectant dicteria, argutiae, sophismata Voltaire, et Rousseau. Huc tandem ferme recidit nova quaedam biblica scientia nonnullorum, quae sensim eo ducit, ut sacri libri nonnisi hominum foetus credantur. His connumeratur prae aliis Eduardus Evanson Anglus, qui scripsit an. 1792.

Haec animadvertisse sufficiat, ut genus hostium, qui sunt nobis aggrediendi noverimus. Aggrediemur autem ostendendo: primo scripturae inesse humanam auctoritatem: deinde divinam; quem utrumque scopulum offendunt illi. Sic tamen agemus, ut fusior hujusce rei pertractatio Polemicorum Scholis, Theologorumque relinquatur.

Art. I.

De Scripturae humana auctoritate, sive an ipsa sit authentica.

Praenotanda.

Praenotandum, authenticitatem Librorum duplici sensu sumi posse: ac primo ut libri eorum sint auctorum, quibus attribuuntur: de quo, relate ad Scripturam, erit sermo, ubi de auctoribus singulorum Scripturae librorum. Secundo ut libri fidem mereantur, sive ut res perhibeant fide dignas. Hoc postremo sensu nunc dicimus, Scripturam authenticam esse, humanitus etiam, nulla interim ratione habita Dei auctoritatis, qui per illam loquitur.

Praenotandum insuper, nos in hisce articulis speciatim vindicaturos Scripturae auctoritatem pro libris Moysis, et Evangeliorum, tum quia ad alios quoque libros referre, quae de iis dicuntur, difficile non erit, tum quia Deistarum bellum praecipue in illos libros est. Sunt namque Evangelia Religionis Christianae fundamenta; Libri Moysis, Revelationis scripto traditae initium, ac veluti basis caeterorum quorumcumque librorum, proindeque Religionis ejusdem.

Haec porro adducimus argumenta pro Scripturae authenticitate.

Argumentum I.

Ut veridicus sit sermo alicujus Scriptoris, duo requiruntur et sufficiunt: accurata scilicet cognitio eorum, quae dicuntur: sinceritas deinde in iisdem communicandis. Iam vero scriptores sacri noverant quod asserebant; erant enim oculati testes, vel auriti, et coaevi. Quod si Moyses ad creationem ascendit, ex

relatione majorum id facile potuit cognoscere. Ut enim notat a Lapide (in Gen. IX. 28.), traditio pervenire ad Iacobum potuit, idest ad an. 2108 per ora trium tantum hominum. Adam enim vidit Mathusalem: hic vidit Sem, qui vidit Iacobum, aut certe videre potuit, cum vixerit post diluvium an. 500., ut ex Gen. XI. 10. 11.

Sinceritas vero in rebus enarrandis colligitur praescitim ex sanctissima illorum vita, ex simplicissimo stilo, ex vitiorum suimet, suaeque nationis narratione, atque ex eo, quod tantum aberat, ut ad scribendum aliqua humani praemii spe allicerentur, ut potius certus esset illis timor odia, vexationes, tormenta, et mortem ipsam propter res a se conscriptas obeundi.

Sed ut de Moyse, in quem, utpote auctorem Pentateuchi, speciatim debacchantur Deistae, peculiare aliquid addamus, juvat Calmet verba referre Prolegomenis inserta in Genesim: *Summo vir (Moyses) erat ingenio, qui proinde rudi populo facile pro suo arbitrio omnia imponere (praeter ea, quae ipsi praesentes aspexerant) potuisset. Ne tamen nisi vera doceret, fecit insitae probitatis atque genuini candoris virtus, cujus in omnibus gestis suis minime fucata documenta monstravit. Si humani aliquid passus est, silentio plane rem non obvolvit; quod etiam in referendis fratris sui, atque sororis erroribus observat. Prodigia supra captum hominis simplici stilo, ac veluti tranquillo vultu describit, ut hominis habitum non plane imponentis, neque grandia, decipiendis incautis, jactitantis exhibeat. Ipse de se tamquam de alieno, in sua narratione locutus videtur: vel si aliquando se prodat, ideam tamen exhibet hominis, veluti latescere volentis, atque de se, tamquam de alieno, loquentis; bonis scilicet et malis aeque productis, absque eo, quod eas captet rationes, quas superbiae et hypocrisis amor suggerit, ut si quos habeat defectus, legentium obtutibus abscondat. Nihil turbidum, aequivocum nihil ejus oratio praesefert: procul ambages omnes, atque de industria appositae* parergae *narrationi digressiones, quibus subdoli scriptores aliquando lectores suos longe a veritate abducunt, quo facilius falsa insinuare, atque mendacium, facile alioqui in simplici et aperta narratione prodendum, incautis supponere valeant. Porro Moyses recta ad scopum contendit, ut siquid esset in ejus narratione falsum, atque repugnans, statim sentiretur.*

Argumentum II.

Auctoritatem sibi commendat sermonis materies. Si enim doctrinam respicias, rectissima illa est, ut latius seq. articulo; si factorum enarrationem, de iis agitur, quae publica erant.

Quapropter si quid falsi narrassent, in aperto eorum mendacia cito fuissent, atque illos profani historici essent adversati. Et Hebraei licet diu cum Aegyptiis conversati, licet post Moysen per mundum dispersi, semper tamen venerati sunt et Moysis, et Prophetarum libros, ut patet ex ipsorum annalibus, e Iosepho praesertim (lib. 1. *contra Appion.* c. 8.) Eandem adhibuerunt venerationem Christiani erga libros Evangelistarum, aliosque N. T. Nec dissensio inter sacros et prophanos scriptores reperitur, immo summa consensio ut fusius demonstrant Jacquelot *de existentia Dei Diss.* 3. *c.* 7.; Huet *Demonstr. Evang.* Conformitas Scripturae cum vet. Sinensibus. v. *Memorie de' Missionarj di Pekino.* Gulielmus Iones *de Antiq. Asiaticis;* Clarke *Exist. Dei T.* 3. *c.* 17.; Grotius *Veritas Relig. Christ. lib.* 2., *et* 3.

Argumentum III.

Scriptura Liber est antiquissimus. In rebus autem, facti praesertim, senioribus major debetur fides. Argumentum hoc pendet ex iis, quae cap. III. art. 4. 5. Dissertationis hujus trademus de auctoribus librorum S. Scr. et de tempore, quo illi scripserunt, quae omnia hoc loco supponenda sunt. At iis etiam interim omissis, Pentateuchi antiquitatem sic possumus investigare. Extabat ille liber tempore Christi, cum illum Christiani jam tum acceperint ab Hebraeis, et contra illos adhibuerint. Extabat ante Chr. ann. 300., cum Philadelphi opera in graecum translatus est idioma. Extabat et mille ante annos sub Roboam; nam et Samaritani et Iudaei eumdem conservabant, neque horum alios ab aliis accepisse post schisma putandum est, inter quos odium vel maximum intercedebat. Ante schisma sub Roboam, si fraude confictus esset ille liber, non vere a Moyse conscriptus, schismatis occasione fraus perspicua facta fuisset. Ergo jam inde a temporibus remotissimis hic liber extabat.

Argumentum IV.

Adduci quoque possunt pro humana Scripturae auctoritate et Prophetiarum complementum, et prodigiorum patratio, quae infra proferemus, quaeque testimonium Dei sunt de Scripturarum veritate.

Argumentum V.

Multa adsunt, quae tum antiquitatem, tum auctoritatem confirmant Scripturae. Ac 1.° monumenta in Templo servata, ut Virga Aaron, Tabulae Legis, etc. 2.° Hebraeorum festa, et leges ad ea spectantes, quae scripta sunt: 3.° monumenta picta

vel sculpta (uti candelabrum Templi), quorum multa Romae servantur, collectaque a Iosepho Blanchinio (in praefat. Vindiciar.), et Buonarotto *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro*: 4.° consensio cum profanis scriptoribus, de qua superius: 5.° origo fabularum tum ex Scriptura, uti Herculis ex Sampsone, tum ex Traditione Scripturis consona, uti de *aetate aurea*, de *Pandora*, etc. de quo plura Huetius *Demonstr, Ev.*; Hartzheim *Explicat. Gentil. Fabul.* Pluche *Istoria del Cielo*; Lanzi *in Hesiod. Oper. et Dies etc.*

Plura quidem objici solent, quae alibi, ac praesertim Art. 4. cap. 3. hujus Diss., et in Commentariis commodius solventur, praeter ea, de quibus art. seq. Quae vero Deistae congerunt contra Scripturam ex Scientiis, et ex Annalibus nationum, ex Historia naturali, et ex similibus, ad Exercitationes biblicas referimus.

Plura de hoc argumento Du-Clot *Osservazioni Preliminari.*

Art. II.

De Scripturae divina auctoritate, sive an Scriptura sit verbum Dei.

Auctoritas Scripturae probatur ex Conc. Trid.

Scripturam esse verbum Dei, jam in numero praecipuorum dogmatum a Christianae Religionis sectatoribus profecto habetur, ita ut vel hujus neganda sit veritas, vel id quoque confitendum. Quod ad veritatem spectat Christi Religionis, cujus divinitatem tot praedicant luculentissima argumenta, hoc loco praetermittimus, uti jam a Theologis, et a Philosophis etiam in Ethica demonstratum; idque lectores admonuisse juvet, ne quis nos vitiosi argumentandi generis, quod *petitionem principii* appellant, fortasse accuset. Utrum vero Christiana Religio Scripturas Sacras, ut verbum Dei, reapse veneretur, omissis aliis, patet ex Conc. Trid. Sess. 4., in quo vera Christi Ecclesia congregata, enumeratis Scripturae libris omnibus, haec addit. *Si quis libros integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina Editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit.* Ex quibus patet nedum integros libros, sed et eorum partes, sive cunctas, ex quibus Sacra Scriptura constat, sententias, pro verbo Dei habendas esse.

Ex Prophetiis, quae in illa continentur.

In scriptura prophetiae plurimae, idest rerum futurarum, a sola agentium liberorum voluntate pendentium, praedictiones

habentur. Solius autem Dei est talia futura praenoscere, ac revelare. Exemplo sint illae Danielis, qui de quatuor regnis evertendis, et de novo instaurando a remotis temporibus prophetatus est.

Ex sanctitate, et sublimitate doctrinae illius.

In scriptura continetur doctrina, quae et sanctissima est, et sublimis, quaeque mirabili praestat vi, ut hominum animos ad amorem Dei, et ad studium virtutum omnium inflectat. Doctrinarum vero Codices, quos hactenus homines vel maxima ingenii acie praediti elucubravere, licet aut soli aut aliorum quoque studiis consiliisque adjuti, in iis conficiendis totam vitam traduxerint, licet aut sermonis lepore, aut dicendi vi, aut veritatem copia, aut doctrinae denique subtilitate praestent, longe tamen absunt a Scripturae propemodum inenarrabili majestate, candore, et sublimitate, ita ut prae ista omnia eorum decora cito languescant, ac pronum sit inferre, haec hominum, Scripturam nostram Dei opus esse. Deistae interdum vel ipsi, uti Rousseau, hoc idem mirati sunt, Evangeliique rectitudinem, altitudinemque rei evidentia abrepti commendarunt.

Ex ipsius Scriptorum sanctitate, et doctrina.

Bibliorum Scriptores et vita fuerunt integerrimi, et doctrina praestantissimi, ut ex eorum libris constat. Dignissimi ergo sunt, quibus fides adhibeatur. Hujusmodi sunt Moyses, Iosue, Prophetae, etc. Ipsi porro frequenter asserebant, doctrinam a se pervulgatam verbum esse Dei. Ita saepe legitur: *Haec dicit Dominus*, vel aliud quid simile. Huic argumento plus roboris accedit, si animadvertatur Scriptores Sacros Legatorum Dei personam gessisse: quod quidem miraculis patefecerunt, uti ex historia discimus Evangelistarum, Prophetarum, ac Moysis imprimis, qui legationem suam divinam ostendit prodigiis coram Hebraeis in Aegypto patratis, et in deserto, quemadmodum ex libris Exodi, Numerorum, et Deuteronomii satis patet.

Ex consensu Cultorum verae Religionis.

Cultores Religionis verae, quique magis prae aliis moribus, doctrina et dignitate emicuerunt, Scripturam semper venerati sunt tamquam vocem e Caelo delapsam, et hominibus revelatam. Patet hoc ex historia Hebraeorum quoad V. T., et ex ecclesiastica historia quoad Scripturam universam. Iam vero de Hebraeorum fide, testis est Iosephus (lib. 1. *contra Appion* c. 8.): *Palam namque est, inquit , ipsis operibus quemadmodum nos propriis litteris credimus. Tanto namque saeculo jam*

praeterito, neque adjicere quidquam aliquis, nec auferre, nec transformare praesumpsit. Omnibus enim insertum est, mox ex prima generatione Iudaeis, haec divina dogmata nominare, et in his utique permanere: et propterea, si oporteat, mori libenter. Iam itaque multi captivorum frequenter tormentis affecti sunt, et mortes varias in theatris sustinuere, ne ullum verbum contra leges admitterent, aut conscriptiones avitas violarent. Incredibile autem est, et divina providentia indignum prorsus, cultores Religionis sanctae, iis praesertim praeditos dotibus, in falsam fuisse omnes opinionem inductos, idque in re tanti momenti.

Ex convenientia, et necessitate Revelationis.

Hominibus, qui divino consortio frui debebant, propter peccatum Adae ab eo elongatis, id tantum supererat solatii, ut si adire ipsi Deum praesentem non possent, Deus idem absens dignaretur eos litteris suis compellare, quasi de Caelo ad eosdem scribens. Ita Augustinus in Psal. XC. (De secunda parte Psalmi.): *De illa Civitate, unde peregrinamur, litterae nobis venerunt. Ipsae sunt Scripturae, quae nos hortantur, ut bene vivamus.* Imo, quod magis est, hominibus lapsis quidem, sed redemptis, et ad finem supernaturalem designatis, necessaria erat prorsus divina revelatio, praesertim si mens nostra attendatur, quae per peccatum ignorantiae tenebris obvolvitur, et voluntas, quae concupiscentiae vulnere sauciatur. Haec enim cum ita se habeant, ratio hominis sibi relicta vel aegre veritates quasdam sublimes assequi potest, uti notiones sunt de aeternitate, immensitate, bonitate, caeterisque Dei attributis; de origine mali, ortu mundi, anima, libertate, felicitate hominis; quod confirmatur etiam ex gravissimis, in quos impegerunt circa haec, erroribus, veteres philosophi sapientissimi. Sunt insuper aliqua, quae homo per se scire non potest, uti cultus divini determinatio, modus scelera expiandi. Tandem naturalis religio tanta vi sola haud pollet ad humanam voluntatem eo inflectendam, ut, pravis devictis motibus, recta ipsa sequatur. Pluribus haec prosequuntur Apologistae, ut revelationem hominibus, in hoc praesertim statu, necessariam esse evincant. Hanc revelationis necessitatem cognoverunt etiam, ac testati sunt, Plato in Epinomide et Phedone, Socrates apud Platonem in Alcibiade. At quisnam alius praeter Scripturam reperiri potest liber, qui divinae revelationis characteribus gaudeat amplioribus? Notamus autem, ex propositis argumentis aliqua pro aliquot tantum valere libris, uti ex. gr. argumentum ex prophetiis deductum: nihilominus stare veritatem assertionis, si collectio sumatur argumentorum, eaque ur-

geantur maxime, quae ex Religionis auctoritate, et ex universali Hebraeorum, Christianorumque fide deducuntur.

Ex conspiratione, sive harmonia librorum.

Auctores, qui biblia scripserunt sunt numero p. m. triginta; loco, aetate, moribus, legibusque inter se maxime dissiti. Nihilominus summa est eorum consensio in dogmatibus praefiniendis, in morum fundamentalibus legibus tradendis; mira insuper conspiratio in eodem historiae filo ducendo; omnes pari pacto in unum spectant finem, qui tandem Christus est. Admirabilis vero prorsus est harmonia, et congruentia V. cum N. T.; adeo ut omnes illi libri, non diversi, sed unius ejusdemque libri partes esse videantur, licet non idem fuerit Hebraeorum, et Christianorum studium. Fuse, ornate, ac erudite argumentum hoc sunt prosequuti: Huetius, *Demonstr. Evangelica*, ac praecipue *Propos. IX.* ΠΑΡΑΛΛΗΛΙΣΜΟΣ *Veteris Testamenti cum Novo*; Becanus, *Analogia V. et N. T.*; praecipue vero Bossuet *Discours sur l' Histoire Universelle.* Vix autem concipi potest hujusmodi conspiratio ac harmonia si Scriptura non opus divinum, sed multorum hominum foetus dicenda foret.

Proponuntur objecta contra authenticitatem Bibliorum, et diluuntur.

Varia porro contra Scripturae Divinitatem adversarii objectant.

Ac I. multa congerunt, quae dicunt absurda falsaque, ex diversis locis excerpta. His vero respondent Patres et Interpretes, quorum doctrinam, et diligentiam nil fugit. Satis nobis erit, ex ordine librorum, quos Praelectionibus nostris explicamus singulis annis, ac defendimus, hujusmodi obiectionibus satisfacere.

II. Multa, inquiunt, parvi, aut nullius momenti in Scriptura habentur, divina revelatione prorsus indigna. Talia sunt quae de cane Tobiae in ejusdem libro narrantur: quae Paullus in Epistolis addit de penula, de salutationibus, ac de similibus.

Respondemus autem, Patres ac Interpretes, nec non Asceticos ea deprehendere in sacris litteris, quae carnales homines cognoscere satis haud valent: sicque ex. gr. ex locis illis Paulli animadverterunt, moderatam licere sui corporis curam, amicitias honeste colendas, et similia. Deinde multa sunt in Scriptura ad ornatum, ad narrationis complementum et ad naturalem quemdam hominum loquendi morem, cui Deus ipse obsequebatur. Qua de re notandum insuper, totius Scripturae divinam auctoritatem nutare, si ea solum in revelatis habeantur, quae ab hominibus aut utilia, aut necessaria ducuntur.

III. Fatentur interdum vel ipsi Hagiographi, se nomine pro-

prio loqui, non Dei. Ita Auctor Libri Secundi Machabaeorum veniam de erroribus in extremo postulat. Paullus (1. ad Cor. VII. 12.) ait: *caeteris ego dico, non Dominus.* Respondetur imprimis in ea fere omnes esse sententia, non semper ac singulis Hagiographis divinum, quo incitabantur, afflatum innotuisse. Non enim satis constat, cur ille semper innotescere debuisset. At hoc omisso, etiamsi scriptores sacri verbum Dei referrent quo ad sensum, eorum tamen arbitrio, ut probabilior fert, opinio, dicendi modus, sive stilus relinquebatur. Paullus vero adducta verba fortasse protulit, ut consilium a divino praecepto discerneret, quod multi ex contextu colligunt, vel ut novam legem innueret de re, de qua nihil antea statutum erat.

IV. Effutiunt Deistae dicteria multa, ac contumelias in revelatos libros, quae confutatione non indigent pro iis, qui rationi obsequuntur. Hujusmodi sunt potissimum plura Voltaire. Sunt alii, qui revelationi in universum refragantur, quam putant in primis fieri non posse. Usquedum vero repugnantiam non ostenderint in hoc, quod Deus mentem suam hominibus signo aliquo aperire valeat, Deus inquam ille, qui sapientissimus, omnipotens ac beneficentissimus est, hi haud dubie propositum non assequentur. Et sane praestare id non poterit Deus, quod in hominum constituitur potestate?

Instat Rousseau in Aemilio: Revelatio non est hominibus necessaria, qui nempe rationis lumine sunt instructi. Sed primo conclusio hujusmodi quam levis sit momenti, quisque videt cum de Deo praesertim agatur erga homines munificentissimo. Praeterea rationis lumen jam satis propter peccatum caligine est obrutum, uti supra innuimus. Tandem de homine sermo est, quem Deus ad finem supernaturalem evectum voluit. Ast ille addit: revelatio usui esse nequit omnibus, solum vero literatis. Respondemus, illiteratos edoceri posse a sapientibus, ac de revelatione commoneri aliorum praeceptis, caeterisque rationibus, quibus homines de factis, de doctrina, deque aliis hujusmodi certiores fiunt. Vel ipse Rousseau eo profecto suis libris intendebat, ut doctrinam suam in omnes licet rudes et illiteratos diffunderet.

Art. III.

De inspiratione Sacrae Scripturae.

Saeculo XVI. quaestio haberi coepit tum inter Protestantes, tum inter Catholicos de natura divinae inspirationis, quae sacris litteris tribuitur; sive subtilius coepit inquiri, quid sibi praecise vellet inspiratio illa. Hujus rei variae sunt interpreta-

tiones prolatae, quae nunc eo ordine a nobis referentur, ut primum systemata illa, quae rejicienda sunt, exponantur, tandem quid amplectendum sit, subjiciamus.

1. Fuit quorumdam opinio, libros Scripturae Sacrae ab auctoribus, quibus adscribuntur, confectos esse ingenio omnino proprio, ac industria, caeterisque facultatibus mere humanis; eatenus vero dici tantum posse inspiratos, quatenus ab Ecclesia commendatos et ad fidelium instructionem acceptos. Haec fuit sententia Joann. Clerici, quam protulit libro, cui titulus: *Sensa quorumdam Theologorum Batavorum circa historiam criticam V. T.* qui liber a La Mothe refellitur in opere: *Trattato..... dell' inspirazione dei Libri santi del N. T.* Rejiciendam vero contendunt Catholici opinionem hanc, juxta quam libri Scripturae Sacrae originem haberent omnino humanam, neque appellari possent, quemadmodum ex Scriptura ipsa appellandi sunt, *Verbum Dei*, *Eloquia Dei*, *Inspirata Scriptura*, vel alio simili modo. Deinde si ex veritatis testimonio, quo gaudent per Ecclesiae adprobationem, vocari possent *inspirati*, *verbum Dei*, etc. eodem jure, quo Scripturae, gauderent multa, quae ex Arato, Menandro, Epimenide Paullus accipit, et approbat dicta. Vide Act. XVII. 28. (1), 1. Cor. XV. 33. (2), ad Tit. I. 12. (3). Pari pacto Pharisaeus ille apud Luc. VII. 42. (4), qui ait, diligendum magis esse eum, qui plus condonavit, inspiratus dici posset, cum Christus de eodem addiderit: *recte judicasti.*

2. Putant alii, Divinam inspirationem in eo totam esse, ut Deus Hagiographis adstiterit, ne in errorem raperentur. At haec erroris immunitas, quae per hos divinae inspirationi subditur, haud satis respondere videtur ideae illi, quam nobis Scriptura et Ecclesia de ea ingerit; cum, hac quoque admissa, liber tamen non Deo, sed homini tribueretur. Et sane Conciliorum definitiones, licet ab errore tutae, perperam nihilominus verbum Dei dicerentur aut Concilium divinitus inspiratum.

Accedit, quod positis iis, quae duobus hisce systematibus statuuntur, nihil quicquam supra humani ingenii vim et captum Scripturae inesset, unde nihil *supernaturale*, nullumque mysterium reperiretur. Huc profecto tendunt Protestantium doctrinae, et recentes Biblicorum quorundam conatus, ut Scripturam ad *Naturalismum* vertant, viamque sternant *Deismo.*

(1) *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus, sicut et quidem vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus.*

(2) *Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia prava.*

(3) *Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum Propheta: Cretenses semper mendaces malae bestiae, ventres pigri: Testimonium hoc verum est.*

(4) *Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit: Aestimo quia is, cui plus donavit: et ille dixit ei: Recte judicasti.*

3. Sunt alii, qui diversas inspirationis species effingunt, diversosque inspirationis gradus juxta librorum, auctorum, materiarumque diversitatem. Ita David Michaelis inspiratos vult tantummodo Apostolos, quibus solum dictum est: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (Matth. X. 20.). Hugo Grotius divinam inspirationem concedit tantum Prophetis, de quibus dumtaxat loqui videtur Petrus Epist. 2.da I. 19. (1), de qua infra. Erasmus sacris Scriptoribus errores quosdam leviores in rebus parvi momenti impingere non dubitavit, quod tamen postea retractavit. Admiserunt alii inspirationem solum pro doctrina, alii pro iis tantummodo, quae naturaliter auctor cognoscere non poterat. Haec autem discrimina longius a veritate distare, facile colligetur ex iis, quae in vero systemate explicando subjiciemus.

Propositio I.

Non Evangelium solum, vel solae Prophetiae, aut alia Scripturae pars, sed omnis Scriptura est divinitus inspirata.

Prob. ex Scriptura ipsa: 2. Timoth. III. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata* — Ad Hebraeos I. generatim dicitur: *Deus loquens Patribus in Prophetis* — Ad Rom. III. 2. — *Credita sunt illis eloquia Dei* — 1. Thessal. II. 13. — *accepistis illud (sicut est vere) ut verbum Dei* — 2. Petr. I. 21. — *Spiritu Sancto inspirati* (gr. φερόμενοι, i. e. acti, impulsi) *locuti sunt sancti Dei homines.*

Neque dicas, a Petro sermonem fieri postremo loco tantum de prophetis: cum ante verba adducta dicat — *non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia* —: nam prophetiae nomen sumitur ab eo, uti a Paullo ad Rom. XII. 6. (2) pro interpretatione; atque ipsum de universa Scriptura loqui, perspicuum est ex his, quae subjungit: *Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit.*

Nec demum ex eo, quod Christus auxilium singulare Apostolis promiserit, dum coram tyrannis starent, haud recte inferri potest, inspirationem omnino denegatam fuisse caeteris Scriptoribus sacris.

Probatur insuper ex constanti traditione a Patribus vel antiquissimis, et a Symbolis Catholicis exhibita, atque ex eorum loquendi modo de Scriptura Sacra, quam generatim a Deo in-

(1) *Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco.*

(2) *Habentes autem donationes...... sive prophetiam secundum rationem fidei, sive etc.*

spiratam existimant. Patrum texit catalogum Du-Pin, ***Dissert. prelim. sur la Bibl. L. 1. C. 2. N. 5.***

Tandem hoc confirmatur ex Ecclesiae judicio, ex fide Catholicorum, qui Scripturam omnem aequali prosequuntur veneratione, ac omnia, quae in ea sunt tanquam vocem e coelo delapsam colunt.

Multa quidem Theologi Naturalismo infecti effutiunt contra divinam librorum Scripturae inspirationem, ac prae aliis Wegscheider in sua Theologia. Sed hujusmodi illa sunt quae partim facile evanescunt sanioris Theologiae principiis bene utendo, partim ex iis, quae decursu Institutionum, et in Exercitationibus trademus, dissolvi possunt.

Propositio II.

Vis inspirationis reponenda est in ipso scriptionis actu, quam scriptionem suscipiat quisquam, ac perficiat Deo auctore. Id in primis postulare videntur phrases ipsae Scripturae — *divinitus inspirata*, — *inspirati Sancti Dei homines*. Hoc deinde necessarium est, ut Scriptura eadem ab aliis libris, licet piis ac rectis, juxta fidem Ecclesiae differat. Hoc tandem omnino requiritur, ut Scriptura Deo, tamquam ejus auctori, tribuatur. Et sane si approbatione solum aut alio quocumque tantum exteriori signo, Scriptura distingueretur, semper tamen differret a vero Dei verbo, ut filius adoptivus a naturali differt (1).

Propositio III.

Inspiratio Scripturarum recte constituitur in impulsu supernaturali, per quem homo libere se determinet ad scribendum; in auxilio, per quod ignota patefierent scribenti, nota in mentem revocarentur eidem, atque omnia accuratissime litteris mandarentur.

Per hanc sententiam omnia vitantur absurda, illudque ponitur, quod necessarium ac satis est, ut Hagiographus, Deo afflante, loquutus sit, utque ejus verba, Dei verba sint. Patet

(1) Nota. Neoterici quidam, ut vim argumenti eludant, ajunt illud *inspiratum* exprimi graeca voce θεόπνευςος, cui activa significatio inesse potest, idest Scriptura de Deo, vel Deum inspirat. At contra: a potentia ad actum non tenet illatio. Deinde quomodo verae esse possent phrases hae de Scriptura: *eloquia*, *verba*, *sermones Dei*; *dixit Dominus ad me*; *factum est verbum Domini ad me*; *elegit nos loqui per os suum*, et similia? tandem in passiva, non activa significatione sumptum illud est a Iosepho, Philone, et graecis Patribus, nedum ab Henrico Stephano.

etiam per eamdem sententiam, non idem necessarium fuisse auxilium ad abscondita mysteria patefacienda, ac ea, quae scriptoribus naturali via nota erant. Hinc Theologi quidam duplicis speciei divinam inspirationem fecere, *directionis* alteram, alteram *suggestionis*. Hinc etiam colligitur in quonam praecise situm sit discrimen *inspirationem* inter et *revelationem*. Haec enim manifestatio est a Deo facta illarum rerum, quae homini impervia sunt. Inspiratio autem est impulsus et auxilium ad litteris mandandum id, quod vel scriptor a Deo per revelationem percepit vel alia ratione notum habuit.

Circa stilum autem, seu verba, quibus sententiae exprimuntur, dissident catholici, servata fide non solum, sed et sententiarum utrinque soliditate. Sunt multi, qui singula quoque verba a Deo inspirata esse credunt, Scripturae ipsius, ac Patrum innixi phrasibus, quas supra retulimus, quaeque inspirata omnia in Scripturis fuisse, demonstrare videntur. Hi tamen inquiunt, Dei spiritum ad cujusque scriptoris ingenium se accommodasse, atque inde ex. gr. Isaias in aulis versatus elegantiori stilo usus est; Amos rusticus subrusticum dicendi genus sequutus est. Sic evertunt isti argumentum illud, quod adversarii ex stili librorum diversitate eruere possent. Ita Graveson, Arnaldus, et Accademiae Lovaniensis, et Duacensis. Sed multi sunt etiam, qui contrariam tuentur opinionem, ac 1.º quidem propter stili diversitatem, quam vel ipse Hieronymus animadvertit Praefat. in Is. et Ierem. Stili autem diversitas apparet etiam, dum eadem res in Scripturis narratur, ex. gr. dum Evangelistae eamdem Eucharistiae institutionem referunt, aut eamdem Christi passionem; quod magis evincit, stilum non eumdem habere auctorem; 2.º Apostoli et Apostolici viri, non raro saltem, in referendis testimoniis de V. T. non *verba* considerant, sed *sensum* nec eadem *sermonum* calcant vestigia dummodo a *sententiis* non recedant: vid. Hieron. in Amos; 3.º quia allatae Scripturae, ac Patrum phrases ea ratione explicari possunt, ut rerum solummodo inspirationem exhibeant; 4.º quia non habetur neque necessitatis, neque utilitatis fundamentum, quo hanc verborum inspirationem adstruamus; 5.º quia versiones Scripturae, et vel ipsa Vulgata vere dicitur ac est verbum Dei, et tamen verba non fuerunt inspirata. Deus, eorum sententia, Scriptoribus sacris verborum delectum, et sermonis ordinem reliquit, invigilans tamen ne verbis uterentur nisi idoneis, et cum opus erat, voces ipsas suggerens. Ita prae aliis Melch. Canus, a Lapide, Bonfrerius, Nicolai.

Pro coronide dictorum, et ut magis intelligatur quonam pacto judicandum sit de sententiis, quas superius adduximus, notamus, Universitatem Lovaniensem an. 1587, et Duacens.

an. 1588., damnasse aliquas propositiones Lessii et Hamelii circa verborum Scripturae inspirationem, inter quas hujusmodi erat: *Ut aliquid sit Scriptura sacra non est necessarium, singula ejus verba esse inspirata.* Sixtus vero V. caussam harum thesium ad se revocavit, ac re in medio relicta, quae cuique magis de Scripturae inspiratione quod ad verba arrideret opinio, eam suscipi libere posse voluit.

Art. IV.

De conservatione Librorum S. Scripturae.

Deistae contra Sacrae Scripturae auctoritatem insurgunt hoc etiam modo. Libri sancti, licet ab ipsa origine, sive uti primitus conscripti, authentici fuerint, temporis tamen diuturnitate, ac rerum perturbatione vel periere, vel saltem ita sunt mutati, ut nihil ex iis certi sumi possit. Ita Spinosa, Hobbesius, et Philosophus *du bon sens*. At Libros, qui vere fuerunt a Deo inspirati, ad nos integros et sinceros pervenisse, probatur hoc pacto:

I. Ex ipsa Religionis Christianae auctoritate, ac sententia: illa enim, uti tales definivit, ac veneratur libros, quos nunc prae manibus habemus.

II. Summa semper custodia servati sunt libri sacri; quod ad V. T. attinet, de quo magis fortasse suspicari quis posset, ostenditur inprimis ex sacra ipsa Historia, quae Ducum, Judicum, Regum, ac Prophetarum studium, et sollicitudinem identidem testatur. Unum sufficiat exemplum Moysis, qui moriens jussit, librum Legis juxta Arcam recondi (1): ex quo loco in Gazophylacium, aedificato Templo, translatus est. Libri Prophetarum in Templi adyto aetate vetustiori servabantur; Sacra deinde Bibliotheca in Templo post captivitatem instituta est. Vid. 2. Paral. XXXIV. 14., 2. Mach. II. 13. et Iosephum Antiq. III.; ex quo etiam (*contra Appion.* l. 1.) generatim colligitur summam fuisse Iudaeis curam ac venerationem pro libris sacris. Enimvero cujuscumque ordinis hominum summopere intererat, ut sacri libri incolumes conservarentur. Nam 1.° ex his jura sua Sacerdotes petebant; Principes auctoritatem muniebant suam; populus tranquillitatem, et fraenum supremae ac liberae Principum potestati eruebat; uno verbo omnem in hoc codice et Religionem et Historiam et Politicam suam habebant Hebraei. 2.° Sciebant ipsi, libros sanctos sibi peculiari

(1) *Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri.* (Deut. XXXI. 26.)

modo revelatos, ac concreditos fuisse, in hisque contineri promissa sibi data, quaeque summa eorum spes erant.

De N. T. diligenter custodiendo jam satis apud omnes pervulgata est cura Pontificum, caeterorumque Pastorum, Patrum insuper, Theologorum, universae denique Ecclesiae. Constat namque quod Novum Testamentum, nedum Vetus, diligentissime recensuerunt Origenes in Palaestina, Hesychius in Egypto, Lucianos Antiochiae, ut alios ommittamus. Theologorum vero diligentiae in N. T. conservando, idemque ab adulterationis nota clarius vindicando, specimen exhibet recens systema ab illis excogitatum. Textus in varias familias, seu recensiones dividitur, quae sunt veluti tabulae, quibus criticae adnotationes accedunt. Hujusmodi sunt quae prostant titulo: Griesbach *Symbolae Criticae Italae* 1785. 1793.; Hugo, *Einleitung in die Schriften des N. T.* Stuttgart 1821.; Scholz, *Curae criticae in historiam textus Evangeliorum*, Heidelb. 1822.; Nolan, *Enquiry into the integrity of the Greek etc.*, Lond. 1815.

III. Codex hic pluries descriptus fuit, omnium manibus tritus, et quotidie usitatus, in quamcumque translatus linguam, ubique diffusus, omni tempore, ac omnibus in locis celebratus, ab innumeris prolatus Scriptoribus. Si quis ergo irrepsisset error, si qua mutatio, id facillime perspectum fuisset, ac praecipue in hanc rem reclamassent hostes Religionis nostrae Iudaei atque Haeretici. Argumentum hoc quod ad V. T. majori pollet vi, cum antiquissima sit Versio Scripturae in graecam linguam, quae τῶν *Septuaginta* dicitur, de qua alibi dicendum. Nunc id animadvertere sufficiat, eam semper magno in honore habitam fuisse: quapropter Scripturae adulterationes ea Versione tamquam lydio lapide detectae fuissent.

IV. Eodem modo cujusque profani libri authenticitas, ac sinceritas probatur, quo Scripturae Sacrae. Ita Augustinus (*Adversus Faustum* l. 33. c. 6.): *Hos autem libros. . . unde constat esse Hippocratis, unde si quis hoc neget, refellitur, sed ridetur, nisi quia sic eos ab Hippocratis tempore usque ad hoc tempus, et deinceps successionis series commendavit, ut hinc dubitare dementis sit. Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorum ejusmodi Auctorum, librorum unde noverunt homines quod ipsorum sint. nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?*

V. In Diss. secunda hujus Partis speciatim probabimus, textum hebraicum ad nos integrum quod ad substantiam pervenisse.

Sed hujusce rei veritatem infirmare videtur, quod e multis colligitur historiae monumentis, videlicet in excidio hierosolymitano, et in captivitate babylonica libros omnes pridem

exaratos periisse, ac rursus fuisse ab Esdra conscriptos. Ita 4. Esdr. XIV., et Basilius Epistola 42. ad Chilonem. Ergo non omnes saltem conservati.

Respondetur autem: 1.° aliquos in ea esse opinione ut Esdras fuerit divinitus inspiratus ad omnes, qui perierant, libros rescribendos, quod dogmati Religionis nostrae sat est, quodque innuunt liber citatus Esdrae, et Patres quidam fortasse, auctoritatem ipsius Esdrae praecipue sequuti: 2.° tutiorem ac plurium esse sententiam, libros sacros semper, captivitatis quoque tempore, fuisse servatos. Id etiam sensisse videntur Hieronymus (*adversus Helvid.* c. 3.), Hilarius (*Praef. in Psalm.*). Chrysostomus (*homil.* 8. *in Epist. ad Hebraeos*). Incredibile namque est:

1.° Iudaeos, qui prius (nempe 11. ante annos) cum Ioachim captivi sunt facti, uti Daniel, Mardochaeus, Ezechiel, codicem aliquem secum non tulisse. Quinimo fatendum ex Dan. IX. 2. Danielem habuisse librum Ieremiae, ex quo captivitatis finem intellexit, nec non caeteros libros sacros una collectos, ut innuit phrasis illa: *intellexi in libris numerum annorum.* Hoc idem dicendum de 10. tribubus in Assyria captivis ante annos 130. et eo amplius, in quibus Tobias prae caeteris enumerabatur. Hoc tandem de Pentateucho Samaritano, qui Hierosolymitanam cladem certo evasit.

2.° Vel ipso captivitatis tempore vix aut nullo modo credi potest, tot homines privatos, ac praesertim Ieremiam, exemplar aliquod non servasse; imo ex 2. Machab. II. Ieremias, Arcam custodiens et Tabernaculum, legem simul Hebraeis asportandam dedit, ut ab idololatria caverent. Et sane Templum quidem cum urbe tota igne absumptum est; at codices per universam Iudaeam diffusi erant.

3.° Ut primum Hebraei ex captivitate reversi sunt, Esdras cunctae eorum frequentiae legit librum legis, ut ex 2. Esdr. VIII. 2.

4.° Divinae erat providentiae, libros Dei revelationem continentes conservare; et hujus reapse providentiae argumentum praebet liber legis, qui diu latuit, ac postea ab Helcia sub Iosia repertus est, de quo 4. Reg. XXII. 8. (1) et Prideaux *Hist. Iudaeor. p.*1. *l.* 5.

Ommittimus interim, captivitatis tempore Scripturae exemplaria ad alia quoque praeter Palaestinam loca facile pervenisse. At in hac nostra sententia quomodo Esdrae et Patribus , qui secus opinantur, respondere possumus?

(1) *Dixit autem Helcias Pontifex ad Saphan scribam: Librum Legis reperi in Domo Domini: etc.*

E multis allatorum Patrum locis in primis facile colligitur, eos opinioni hujusmodi accessisse, auctoritatem libri Esdrae praecipue sequentes, qua sublata, illorum quoque testimonium ruere videtur. Deinde Patribus illis Hieronymum, Chrysostomum, aliosque opponimus Patres. Liber porro quartus Esdrae, unde argumentum sumitur, inter apocryphos censetur, ac proinde auctoritas ipsius sine piaculo in dubium vocari potest. Attamen in hunc librum notat a Lapide, Esdram haec in captivitate, si rei fides habenda, scripsisse, id ratum, Scripturae exemplaria, quae jam Iudaeae et Hierosolymis defecerant, alibi non sine negotio reperiri posse, eumdemque insuper fateri, libros num. 204. a se exaratos fuisse, quod satis innuit, Esdram de aliis praeter S. Scripturam libris sermonem habere.

Plura sunt praeterea, quae opinionem erroneam de nova per Esdram Hagiographorum inspiratione innocenter fortasse fovere potuerunt. Primo enim Esdras post captivitatem collegit, repurgavitque libros omnes sacros, quod indicant utrumque Thalmud, Hierosolymitanm (lib. *Megilla*), Babylonicum (lib. *Sanhedrim*); priores Ecclesiae nostrae Patres, uti Irenaeus (l. 3. *contra. haeres.* c. 25.), Hieronymus (*contra Helv.* c. 3.), aliique. Secundo: Esdras probabiliter veteribus novos (aut saltem novae formae) characteres subdidit, chaldaeos scilicet, quibus Hebraei assueverant in Babylonia, ut docet Hieronymus in Prologo Galeato. De hujusmodi autem Esdrae lucubrationibus agit Calmet Dissertationibus in Esdram. Tertio: Esdram ipsum puncta, sive vocales litteras adjecisse Hebraeorum alphabeto putant nonnulli, inter quos recenter Rossellini opusculo: קֶלַע דָוִד *Kelah David*, *La Fionda di Davide. Bologna* 1823; Contrarium tamen tuentur alii, ac praesertim Natalis Alex. *Historia V. T. actat.* 6. de Esdra. Hac de re egit etiam Buxtorphius pecul. opusc. Sed de his commodius in Exercitationibus Biblicis. Ad alia interim solvenda properamus, quae contra librorum Scripturae conservationem opponi possunt.

I. Libros a Deo inspiratos aliquandiu periisse ex eo quidam intulerunt, quod tempore Iosiae Regis Iudae contigit, quum liber Pentateuchi inventus est. Narratur enim regem in ejusdem libri lectione obstupuisse; quae quidem res novi aliquid, ac incogniti in illo ipsis occurrisse ostendit. Ita 4. Reg. XXII. Id seutentia multorum confirmatur, qui impios reges, Achaz, Manassen, Amonem, libris sacris bellum indixisse autumant. Respondemus autem cum Calmeto (Comm. in loc. cit.), vix credi posse, codices omnes Hebraeis eo tempore defecisse: nam 1.° Scriptura nullibi hoc innuit; 2.° de hujusmodi libris agitur, quorum usus, ac veneratio magna erat apud

populum; 3.° extiterant praeter Iosiam reges pietatis cultores Iosaphat, Ezechias, et Ioas. Quinimo de Iosaphati temporibus scriptum est (2. Par. XVII.): *Docebant populum in Iuda, habentes librum legis Domini.* Quare stuporis caussa aut in hoc conferenda, quod Scripturae studium, et librorum custodia propter Regum, qui prius fuerant, impietatem neglecta erant; aut in id quod Rex auditis ominosis imprecationibus, quarum complementum jam jam imminebat, exterritus sit; aut tandem in hoc quod authenticum Moysis autographum in Sacrario repositum in lucem fuerit prolatum juxta Deut. XXXI. 26. Enimvero legitur 2. Paral. XXXIV. 14. *Reperit Helcias Sacerdos librum legis Domini per manum Moysi.* Haec igitur res Dei providentiam in libris sacris servandis potius comprobat, quam statutae veritati derogare possit.

II. Conservationi sacrorum librorum adversari quoque videtur decretum Antiochi Machabaeorum tempore editum, quo nempe libri omnes sacri igni damnati sunt (Vide 1. Mach. I.). At decretum illud irritum cecidisse liquet ex 1. Machab. III., qui narrat Hebraeos, sublato Antiocho, expandisse, atque explicasse libros legis, et ex XII, 9. clare apparet, eos post impium quoque Antiochi jussum habuisse *solatio sacros libros*: quos deinde, cum ipsi jam pace fruerentur, iterum in unum redegit corpus, et auxit Iudas Machabaeus, uti Esdras et Nehemias, praestiterant: quod ex 2. Machab. II. colligitur.

III. Objici tandem fortasse poterit, multos in V. T. libros memorari, nec tamen superesse, quorum jactura propterea admittenda est. Hoc enim et Hebraeorum diligentiam, de qua pluries meminimus supra, in sacris libris conservandis evertit, et fieri potuisse arguit, ut omnes aliquando perierint. Nos autem in fine Art. II. Capitis insequentis monebimus, haud pro certo esse, libros, de quibus agitur, fuisse divino afflatu conscriptos; ex iis aliquos probabiliter nostra quoque aetate extare; tandem eorum fortasse nullum nobis necessarium defecisse. Atque ad haec, quae argumenti vim satis minuunt, accedit, quod nos de Hebraeorum diligentia, deque conservatione librorum sumus loquuti, quos Synagoga, et Ecclesia nostra certo ac publico judicio canonicos esse protulit, et in sacrum recondidit thesaurum.

CAPUT III.

DE CANONE, DIVISIONE, ARGUMENTO, AUCTORIBUS, ET LINGUA LIBRORUM.

Art. 1.

De Canone Librorum.

Nomen Κανών *Canon* graecum est, et normam, regulam significat. Hic autem adhibetur ad librorum Catalogum designandum, unde regulam habemus, qua libros a Deo reapse inspiratos dignoscimus.

In eam omnes concedunt sententiam, ut legem quamdam oporteat constitui ad Hagiographa distinguenda; secus enim in fraudes, in errores, in dubia incidamus necesse est. Certe quidem, cum de viris ageretur, qui revera a Deo missi ut caeteris ipsius voluntatem patefacerent, agnoscendi essent, quam facile illud evenire posset, quisque videt; a quo tamen cavendum monet Christus apud Matth. VII. 15. *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*: capite vero XXIV. 4. dicitur: *Videte; ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, et multos seducent.* Hinc dum Moysen, dum Paullum, dum caeteros Apostolos ad homines miserit Deus, miraculis tamquam sigillis illorum missionem probavit. Quamobrem praestat omnino, quin etiam necesse est, ut homines quamdam habeant regulam, qua libros quoque, Deo afflante, exaratos cognoscere valeant. Hujusce rei necessitatem confirmant etiam quaestiones Protestantes inter et Catholicos habitae de canonicitate aliquorum e S. Scriptura librorum.

Ast ubinam hujusmodi norma reperienda? sive quonam e fonte auctoritatem hauriemus, ut Hagiographorum canon constituatur? Varias in primis recensebimus Protestantium opiniones.

Ex his putarunt quidam sacra scripta esse αὐτόπιςα, hoc est fidem per se facientia. Quapropter si eorum sequamur opinionem, sicuti de sapore cibi judicamus cibum ipsum degustando, atque uti lucem a tenebris distinguimus lucem ipsam intuendo; ita divinas novimus Scripturas ex ipsa Scripturarum contemplatione. Id autem nedum a Catholicis, verum et a Protestantibus caeteris irridetur, ut somniantium figmentum; quare nulla prorsus indiget confutatione. Hinc ex his plures in medium efferunt spiritum privatum, afflatum scilicet quemdam divinum, cujus ope quilibet agnoscere valet, quinam sit liber

a Deo vere inspiratus. Quot vero, quantisque objiciatur incommodis spiritus hic, videbimus ubi de interpretatione Scripturae Sacrae. Haec pauca interim contra eos afferemus. Vel spiritus hujusmodi semper ac omnibus praesto est, et cur tanta sententiarum discrepantia, et Protestantium ambiguitas in Scripturae libris excipiendis? vel non semper, nec in omnibus invenitur, et quomodo ab iis pernosci potest, an ille adsit, nec ne? Quae quidem res vel Protestantes bene multos latere non potuit, qui proinde ad Ecclesiam confugerunt. Ita Chemnitius *Exam. Conc. Trid.*, Grotius *Animadv. adversus Rivetum*; David Michaelis ***Introduct. in lib. N. Foederis*** §. 15.

Adjungit tamen is duas conditiones, quarum prima haec est, ut habeatur ratio solius Ecclesiae primaevae; altera ut ejusdem non judicium, sed mera testificatio attendatur; quae conditiones in ambages, et dubia rursus deducunt homines, ut discernant primaevam, veramque Christi Ecclesiam, ac verum ejusdem testimonium.

Catholici uno ore fatentur, nonnisi per Ecclesiae judicium certos nos esse posse de librorum canonicitate. Soli enim Ecclesiae auctoritas aeque conceditur judicia instituendi de cujuslibet Scripturae sensus definitione; quod fusius ostendemus cum ad Scripturae ipsius interpretationem devenerimus. Quod si unius est Ecclesiae librorum sensus definire, patet, eidem dumtaxat potestatem quoque dari de libri inspirati veritate judicandi. Animadvertimus interea 1.° hoc perspicue erui ex verbis Paulli ad Eph. IV. 11.; ubi ait, nobis Christum dedisse — *alios quidem Apostolos, quosdam vero Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consumationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei. . . . . ut non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae.* Et de Ecclesia sola generatim dicitur (1. Tim. III) — *columna, et firmamentum veritatis.* 2.° hac de re ita sentiunt Patres omnes, pro quibus unus sit Augustinus, qui contra Epist. Manichaei, quam vocant Fundamenti cap. 5° ait: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas.* 3. non Christiani solum, sed et Hebraei id agnovere. Etenim Iosephus (*contra Apion.* l. 1, c. 8.) ait posterioribus V. T. libris Hebraeos non omnimodam adjunxisse fidem, *eo quod non fuerit certa successio prophetarum.* Elias Levita (in *Masora Masaroth*, sive *Masored Ammasored*), Thalmud Hieros. (lib. *Megilla* c. 3.), imo Rabbini omnes hujusmodi auctoritatem Synagogae Magnae deferunt. 4. Quodcumque aliud fingatur systema nunquam anxietati aditus omnis intercludetur, omnisque adimetur dubitandi causa, ac

penitus controversia omnis dirimetur. His omnibus permotum Toletanum Concil. statuit: *Si quis dixerit, vel crediderit alias Scripturas esse canonicas praeter eas, quas Ecclesia Catholica recipit, anathema sit.* De auctoritate Canonis conficiendi optime disserit Canus lib. 2. c. 6 et 7.

Ecclesiae porro judicium circa libros canonicos varie proditur. Patres in primis vel testimonium pro aliquo libro dicentes, vel librum aliquem, tamquam Spiritus Sancti oraculum, in medium preferentes, traditionem exhibent, in qua Ecclesiae judicia reperiuntur. Immediate vero hac de re Ecclesia suam decernit sententiam, sive eos tamquam haereticos damnando, qui librum aliquem uti canonicum suscipere nolunt, sive judicium pronunciando, per canonem, vel album librorum canonicorum. Ecclesiae damnationibus testimonio sunt praecipue Patres, et Scriptores Ecclesiastici, qui ex professo de haeresibus scripserunt, uti Irenaeus in 4. libris contra haereses, Epiphanius, Augustinus, Philastrius, Eusebius, et Theodoretus. Quod autem ad Ecclesiae canones attinet, eos primum referemus, qui ante Christum exarati sunt, deinde qui post Christum.

Non unum extitisse apud Hebraeos librorum S. Scripturae Canonem aliquem colligi potest ex Iosepho (loc. cit.), ubi sedula describitur Iudaeorum cura, qua, bellis gravioribus confectis, summopere cavebant ne monumentum ullum ad eos pertinens, ex quo inferunt aliqui identidem Canonem librorum sacrorum, quos tantopere venerabantur, fuisse confectum. Talis diligentiae exemplum praebet liber II. Mach. cap. II. Caeterum celebrior, recentior, et usitatior Iudaeorum Canon, soluta ipsorum captivitate, confectus est ab Esdra. Hoc probatur Hebraeorum, nec non veterum Ecclesiae nostrae Patrum communiori sententia. Enimvero Esdrae prorsus erat, qui nulli labori pepercerat ut Bibliothecam sacram perficeret, id quoque operis obire. Vide Huetium in fine Proposit. IV. de Canone librorum pag. 359. *Demonstr. Evang.*, et Simonium *Hist. Crit.*

Nunc de Canone Ecclesiae Christianae. Ac praetermisso canone illo, qui in Constitutionum Apostolicarum libro recensetur, cum libri hujus auctoritas non satis sit explorata, putant aliqui exaratum fuisse Canonem Scripturarum in Concilio *Nicaeno* I. cum Hieronymus in praefatione libri Iudith dicat: *Hunc librum Synodus Nicaena in numero SS. Scripturarum legitur computasse.* Sed cum Canon Nicaeni non reperiatur, cumque Hieronymi verba solum probent, juxta aliquos, Nicaeni Patres agnovisse auctoritatem libri Iudith, hinc de Canonis Nicaeni existentia dubitarunt iidem, de qua re videantur Martianaeus, et Vallarsius. Concilium *Laodicenum* celebratum in Phrygia anno circiter 372. juxta Labbeum, habet Scripturae librorum Cano-

nem, qui uti nunc exstat, libris V. T. caret, qui Deuterocanonici appellantur. *Hipponense*, in Africa peractum ann. 393. p. m., absolutum edidit Canonem, eumdemque *Carthaginense III.* ann. 397. confirmavit.

Huic non dissimile tulere judicium Innocent. I. in Epistola ad Exsuperium Episc. Tolosanum missa an. 405, quae Synodica habita est; et Gelasius in *Romano Concilio* ann. 495, nec non Eugenius IV. in *Concilio Florentino* ann. 1441. *In Instr. pro Iacobitis.*

Tandem solemniter *Tridentinum Concilium* decrevit Canonem, qui cum caeteris frequentius citari soleat, juvat eundem integrum exhibere. *Sunt vero infrascripti:* (inquit Sess. 4.) *Testamenti Veteris, quinque Moysi, idest Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth; quatuor Regum; duo Paralipomenon; Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Iudith, Hester, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum; Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim Prophetae minores, idest Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias; duo Machabaeorum, primus et secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Ioannem: Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti: quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri Apostoli duae; Ioannis Apostoli tres; Iacobi Apostoli una; Iudae Apostoli una; et Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem*, pergit idem Conc., *libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit.*

De Canonibus vero Ecclesiae illud animadvertimus, diligenter esse cavendum ab iis erroribus non solum, qui typographorum sunt, ut in libris caeteris, sed qui malitia haereticorum in eos irrepserunt. Ita, exempli causa, credunt aliqui sola Arianorum fraude effectum ut in Actis Nicaeni, quae nunc extant non solum non reperiatur Canon ullus librorum, sed ne verbum quidem de libro Iudith habeatur contra verba superius relata Hieronymi, qui vixit ipso saeculo Concilii Nicaeni; ac simili de causa ajunt librum eumdem aliosque nonnullos, Tobiae nempe, Sapientiae, Ecclesiastici, et Apocalypsis desiderari in Canone Laodiceno, prout hic nunc superest.

Personius, et Cave Angli decretum Gelasii suppositium esse volunt, quibus tamen adversantur Maurini in Notis ad Ambrosii Opera, et Zaccaria (*Storia della Proibizione de' libri pag.* 39.). Quare critica utendum est, ut codices, in quibus Scripturae Canones recensentur, incorruptos habeamus.

Notetur etiam, in Canonibus quibusdam vetustissimis duos Esdrae libros sub unico tantum computatos esse, uti Machabaeorum duos; nec non Baruch nomen praetermissum, cum hujus scripta forsan inter scripta Ieremiae, cujus is erat amanuensis (Ier XXXVI.), enunciata fuerint, non secus atque unum et idem efficerent opus.

Art. II.

De Bibliorum divisione.

Patres et Interpretes alio, alioque modo libros Scripturae S. dispertiunt. Nos praecipuas, commodioresque prosequemur divisiones.

I. Libri S. Scripturae dividuntur in *Canonicos*, et *Apocryphos.* Canonici dicuntur qui in Canonem Ecclesiae relati sunt, quique propterea divina certo gaudent auctoritate.

II. Hi porro rursus dividi solent in *Protocanonicos*, et *Deuterocanonicos.* Protocanonici, sive primo-canonici, ii sunt, de quorum auctoritate nunquam inter Catholicos dubium fuit, cum semper, ubique, et ab omnibus explorata, certaque illa fuerit habita. Deuterocanonici, sive secundo-canonici, sunt ii, quorum auctoritatem Catholici aliqui, vel aliqua etiam peculiaris Ecclesia in dubium vocavit, cum eadem neque ab omnibus, neque semper, neque ubique probata satis fuerit. Deuterocanonicos ita enumerat Bellarminus (*De Verbo Dei* l. 1. c. 4.): *Esther* (quibus adde Appendices ad Libr. Esther), *Baruch*, *Danielis partem*, *Tobiam*, *Iudith*, *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, *Machabaeorum primum et secundum*, *Marci*, *Lucae*, *Ioannis partes quasdam*, *epistolam ad Hebraeos*, *epistolam Iacobi*, *posteriorem Petri*, *primae Ioannis particulam*, *secundam et tertiam Ioannis*, *epistolam Iudae*, *Apocalypsim.* Caetera ex Canone Tridentino ad Protocanonicos spectant. De libris autem Deuterocanonicis ex professo articulo insequenti.

III. Apocryphi dicuntur juxta Augustinum (lib. 15. de *Civ Dei* c. 23.) *eo quod eorum occulta origo non claruit Patribus: a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima et notissima successione pervenit*: vel ita appellantur quod in Ecclesia publice non legerentur, adeoque veluti *absconditi* censerentur. Etsi igitur libros hujusmodi uti di-

vinos aliqui ex Patribus habuerint, nihilominus, certa deficiente traditione, quae per unanimem Patrum consensum habetur, Ecclesia a Canone suo eos libros exclusit, quo canonici libri ab apocryphis discerni debent.

Praecipui Apocryphi libri sunt. Ex Veteri Testamento:

Liber III. et IV. Esdrae: Oratio Manassis. Haec adjici solent Bibliis latinis.

Liber III. et IV. Machab., Appendix ad Iob, et Iurgia uxoris ejus in ipsum; Psalm. CLI. et Praefatiuncula ad Threnos Ierem. Haec in Bibliis graecis potissime reperiuntur.

Liber Henoc: hic Angelis, quos *Egregorios* appellat, humana attribuit, magiam, veneficia, armorum inventionem, aliaque similia absurda et ridicula. De hujus pseudoauctoritate recens agit Dissert. Manin Venetiis edita ann. 1820. Obiter notandum, in Ephemeride *L' Amico dell' Italia.* (Fasc. 6.) denunciari, codicem sub nomine Henoc in Abyssinia repertum fuisse a Bruce. Idem vero anglice editus fuit à Laurence, Londini 1821.

Evangelium Hevae, quod Gnostici juxta Epiphan. haeres. 26. reverebantur.

Psalmi Adami, et Hevae.

Abrahamo, Isaac, Jacob, ejusque filiis, Davidi, Salomoni, Isaiae, aliisque V. T. viris illustribus varii adscribuntur libri quasi divinitus inspirati. Inter hos Testamentum XII. filiorum Iacob, quod etiam in Bibliotheca Patrum habetur.

Moysi quoque plures apocryphi tribuuntur libri, quos inter Testamentum et Ascensionem Moysis memorare sufficiat.

Ex Novo Testamento:

Evangelium S. Andreae, Evangelia Thomae Apost., Barnabae, Bartholomaei, Epist. Barnabae.

Liber Hermae, sive Pastoris; Apocalypsis Petri; Actus Paulli, Ioannis, ed Andreae; Evangelium Petri.

Gnosticis erat *Evangelium perfectionis*, quod faedissima continebat, de quo Epiphan. haeres. 26.

Gnostici alia quoque habebant Evangelia, idest *Infantiae Christi*, *Nativitatis Mariae*, *et de obstetrice Salvatoris.*

Evangelia nomine haeresiarcharum quorundam adnotata, veluti divino instinctu conscripta, nempe Apellis, Basilidis, Cerinthi, Marcionis, Valentini.

Cajani, ex quibus secta Gnosticorum constabat, Evangelium quoque Iudae proditoris habebant, teste Irenaeo lib. 1. c. 35. adv. haeres.

Evangelium juxta Nazaraeos, vel secundum Hebraeos, quod tamen putant aliqui, esse ipsum Matthaei Evangelium, sed corruptum.

Evangelium juxta Aegyptios, cui nomen Petri: de quo ut et de aliis Evangeliis apocr. loquitur Hier. Prooem. in Matth.

Protoevangelium S. Iacobi minoris, quod extat graece, et latine.

Epistola Christi ad Abgarum Edess. Regem in Mesopotam.

Epistolae Paulli ad Senecam, tertia ad Corinth., tertia ad Thessal., una ad Laodiceuos, quam aliqui ex Epist. ad Coloss. IV. 16. credebant falso exaratam. Ita de Corinth. tertia ex 1. Cor., et de Thess. tertia ex 2. Thess.

Constitutiones, et Canones Apostolorum.

IV. Libri apocryphi in plures classes dividi solent, quarum una eos continet, qui non apocryphi solum, sed inutiles, ridiculi etiam, aliqui praeterea rectitudini fidei, ac morum sanctitati contrarii, cujusmodi sunt liber Henoc, Evangelium Hevae, aliique: altera illos complectitur, qui licet apocryphi, commendatione tamen digni sunt, et utiliter leguntur. Ita 3. et 4. Esdrae; 3. et 4. Mach. Imo putant Patres nonnulli, ab Apostolis aliqua ex apocryphis excerpta fuisse, ac in suos canonicos libros relata. Sic apud Hieronymum *Canticorum in Cantica Origenis Homiliae quatuor* in Praefatione versus finem, leguntur haec verba de libris Apocryphis: *Non placuit eis dari locum, nec admitti ad auctoritatem: supra nos est pronunciare de talibus. Illud tamen palam est multa vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis exemplo esse prolata, et novo Testamento inserta, quae, in his scripturis, quas canonicas habemus, nunquam legimus, in apocryphis tamen inveniuntur, et evidenter ex his ostenduntur assumpta.* Probabilius vero est, Scriptores Libror. Apocryph. qui unice extant aliqua a scriptoribus Canonicis N. T. mutuasse, non hos ab illis; quae enim Apocrypha in aetatem nostram supersunt, se ipsa produnt sub finem saecui. I vel adhuc serius conscripta.

Plura de libris apocryphis tradit Nicolai (*Diss. III. Proem.*), et erudita exstat Calmeti Dissertatio *de Evangeliis apocryphis* ante Comm. Evang. Fabricius quoque Evangelia apocrypha pleraque collegit in suo *Codice Pseudepigrapho* tum V. tum N. Testamenti.

V. Scripturae divisio *in Vetus ac Novum Testamentum* apud omnes pervulgata est. Illud complectitur ea, quae scripta sunt ante adventum Domini, passionemque: hoc vero quae scripta sunt post Resurrectionem.

VI. Divisio fit etiam in libros *legales*, *historicos*, *propheticos*, *sapientiales*, *et morales* juxta materiem et singulorum librorum scopum.

VII. Tandem ommittenda non est divisio illa, quam Hieronymus indicat Praef. in Daniel: *In tres partes omnis ab ei.*

(Hebraeis) *Scriptura dividitur: in* legem, prophetas, *et in* hagiographa: *idest in quinque*, *et octo*, *et in undecim libros.* In classe Hagiographorum, quae dicebantur etiam *Librorum aliorum* (Prolog. in Eccl.) et *Hymnorum* (Iosephus et Philo), aetate Christi et Apostolorum, primum locum obtinebant *Psalmi.* (XXIV. 44.)

Generalibus hisce Bibliorum omnium divisionibus enumeratis, notandum insuper est:

1.º Iudaeos dispertiisse Pentateuchum in 48 vel 52 partes, et totidem partes e Prophetis decerpsisse: eorum lectio anni spatium complectebatur.

2. Divisio capitum, versuum, aliaque minutiora a Christianis; primis Ecclesiae saeculis, inventa fuisse, atque in hac re Origenem multum elaborasse, docet Cl. Andres in *Bibl. Critica.* Ast Hieronymus (Praef. in Paralip. et Isai.) haud obscure innuit divisionem in *commata* et *cola* se in veteribus Iudaeorum codicibus reperisse.

Obiter hic animadvertendum, libros quosdam in Scriptura citari, sacrorum librorum materiei congruentes, ita ut suspicari liceat, eos (vel aliquos saltem) divinos fuisse. Nec tamen iidem exstant: scilicet uti non omnia, quae scribi potuerunt, litteris revera mandata sunt, ut ex Io. XX. 30.; ita aliqui, qui fortasse non semper Ecclesiae Christi eodem modo necessarii forent, divina permittente providentia, excidere. Praecipui autem sunt hi, qui sequuntur:

Liber bellorum Domini ex Num. XXI.
Foederis ex Ex. XXIV. et 4. Reg. XXIII.
Iustorum ex Ios. X. et 2. Reg. I.
Prophetae Nathan ex 1. Par. XXIX.
Prophetae Gad ex 1. Par. XXIX.
Semejae ex 2. Par. XII.
Addo Prophetae ex 2. Par. XIII.
Ahiae Prophetae ex 2. Par. IX.
Iehu Prophetae ex 2. Par. XX.
Samuelis ex 1. Par. ultimo.
Sermonum Hozai Isaiae ex 2. Par. XXVI.
Sermonum Oziae ex 2. Paral. XXXIII.
Liber Sacerdotis Ioannis Hircani ex 1. Mach. XVI.
Iasonis Iudaei Cyrenaei ex 2. Mach. II.
Salomonis tria millia Parabolarum, carmina mille et quinque, liber de animal. et plantis indicantur 3. Reg. IV.

Libri vero aliqui ex modo dinumeratis ipsi in Canone nostro forsan, sed sub diverso titulo, recensentur; nam liber foederis probabiliter est ipse Decalogus in secundo Moysis libro, aut fortasse integer Pentateuchus; libri etiam Regum et Para-

lip. ex commentariis Samuelis, Nathan et Gad sunt confecti. At non ita suspicari licet de omnibus; et in libris Regum et Paralipomenon citantur saepe Annales quidam Iudae et Israelis Regum, qui certe interciderunt, ut admonet Calmet in 3. Reg. XI. 41., et Proleg. in Paralip.

Art. III.

De libris deuterocanonicis.

Liquet ex praemissis articulo superiori, *deuterocanonicos* libros eos esse, de quorum auctoritate Catholici aliqui, nec non Ecclesiae aliquae particulares ancipites olim fuere. De his praestat nunc apposite dicere, idque praesertim propter aliquorum Protestantium errores, et quasdam etiam Theologorum nonnullorum periculosas opiniones. Qui enim Confessionem sequuntur Augustanam et Helveticam, etsi (nunc saltem) recipiant in Canone deuterocanonicos N. T., rejiciunt tamen deuterocanonicos V. T. Anabaptistae vero Matthaei Evangelium, licet protocanonicum, respuunt. Theologi porro nonnulli, etiamsi libros omnes canonicos admittant, adhuc tamen aliquid ponunt discriminis, quod non satis rectum esse videtur, inter protocanonicorum, ac deuterocanonicorum auctoritatem.

Ad rem, de qua agimus, clarius enucleandam exquirere juvat:

1.° Quibusnam inniteretur argumentis Veterum de auctoritate deuterocanonicorum dubium? Ad tria vero dubii hujusmodi fundamenta revocabimus: dubitatum namque est primo, quia deuterocanonici vel ex integro, vel ex parte chaldaice, graece quoque conscripti apparerent, cum lingua hebraica crederetur communis lingua, qua V. T. libri fuissent exarati. Id, ut patet, de V. T. deuterocanonicis valet. Secundo dubitatum est, quia in Hebraeorum Canone non recensebantur, quod pariter de V. T. tantum exigi potest. Tertio tandem, quia in Laodiceno Concilio, cujus acta a Trullano confirmata sunt, et apud aliquos inter Patres, libri illi recepti non erant. Haec omnia, eo maxime attento, quod certa et authentica Ecclesiae de omnium canonicitate definitio vel adhuc desiderabatur, vel saltem ab omnibus non cognoscebatur, incertitudinem pepererunt apud aliquos de deuterocanonicorum auctoritate.

2.° An incertitudo de auctoritate deuterocanonicorum adhuc probabilis sit, et quonam pacto auferri potuerit? Respondemus autem, incertitudinem hujusmodi nunc locum habere non posse nisi apud eum, qui infallibilitati Ecclesiae judicii fidem non adhibet. Haec enim, ommissis aliis, in Concilio Trid.

Sess. 4., enumeratis omnibus tam protocanonicis quam deuterocanonicis libris, canonicos omnes certa, publica, ac solemni pronuntiavit sententia, excommunicationem infligens vel unius cujusque libri parti canonicitatem deneganti. Ecclesia porro Christi, S. Spiritu adjuvante, sine nova revelatione, triplici via detegere potuit, ut ait Bellarminus (*de Verbo Dei lib.* 1. *Cap. X.*), librorum omnium auctoritatem. Primo sententiam veterum Ecclesiarum Apostolicarum consulendo, inter quas Romana principem tenet locum; ex hoc autem sensu divinae traditionis oraculum ipsa conspexit. Iam vero Canon in Trid. relatus cum Canonibus saeculis vetustissimis exaratis in Conc. Carthaginiensi III., Innoc. I. Epist. ad Exup., Gelasii I. Decr. *de libr. sacr.* ut plurima ommittam Patrum testimonia, de quibus inferius, omnino cohaeret. Hic referam tantummodo Concil. Carth. III. sub Siricio an. 397. capit. 47. *Sunt autem canonicae Scripturae: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iesus Nave, Iudicum, Ruth, Regnorum libri 4., Paralipomenon libri 2., Iob, Psalterium Davidicum, Salomonis libri 5., libri 12. Prophetarum, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Esther, Esdrae lib. 2., Machabaeor. lib. 2. Novi autem Testamenti; Evangeliorum libri 4., Actuum Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli Epistolae tredecim, ejusdem ad Hebraeos una, Petri Apostoli duae, Ioannis Apostoli tres, Iudae Apostoli una, et Iacobi una, Apocalypsis Ioannis liber unus.*

Alteram habemus viam a Bellarmino assignatam in conformitate et similitudine librorum, de quibus erat quaestio, cum aliis canonicis libris, quod ex Patrum, et Theologorum Interpretum judiciis investigari potuit.

Tertiam tandem aperit viam veneratio ac fides Patrum et Christianorum erga libros deuterocanonicos aucta. Deus namque per sensus etiam fidelium loquitur, ut ostendunt Theologi. Hac ratione docet Hieronymus (*de Viris Illustr.* in Iacobo), Epistolam Iacobi paullatim, tempore procedente, meruisse vel consequutam esse auctoritatem.

3.° Quid directe urgendum, ut fundamenta dubii circa deuterocanonicos, quaestione prima indicata, labefiant? Ad primum resp., nihil obstare quominus credatur, libros aliquos, vel aliquas librorum particulas chaldaice vel graece fuisse conscriptas, postquam praesertim Hebraei necessarium vitae usum cum Chaldaeis habuerint, aliaeque gentes Hebraeis sint commixtae; qua de causa mutatum quoque putatur Hebraeorum alphabetum, et ideo necesse habebant Hebraei, (quod ex eorum historia apparet) ut aliquis verba, quae legebantur, Scripturae, multitudini explicaret. Clarius id patebit, ubi de lingua

textuum Biblicorum. Deinde, pereuntibus autographis, nil mirum, si versiones chaldaicae, graecae, aliaeque tantum superfuerint.

Ad secundum, sive ad librorum ommissionem in Canone hebraico reponimus: 1.º Canonem hunc, quem Esdras, ut diximus, exaravit, omnes V. T. libros complecti haud potuisse, cum aliqui post Esdram conscripti sint, uti Machabaeorum libri, et ex multorum sententia libri quoque Tobiae, Iudith, aliique. 2.º Canonem Hebraeorum deuterocanonicos ommisisse utpote eos, de quorum auctoritate adhuc eo tempore dubitari poterat, dum exspectabant *donec surgeret Propheta fidelis.* (1. Mach. IV. 46., XIV. 41.) Id etiam non obscure colligitur ex verbis Iosephi (l. 1. contra Appion. c. 8.): *Infiniti libri non sunt apud nos . . . sed solummodo duo et viginti libri habentes temporis totius conscriptionem, quorum juste fides admittitur . . . Ab Artaxerse vero usque ad nostrum tempus singula quidem conscripta, non tamen priori simili fide sunt habita, eo quod non fuerit certa successio Prophetarum.* 3.º Ecclesia Christi non a Synagoga edocta est, sed a Christo, et ab Apostolis, qui fontes veri, purique sunt Christianae doctrinae.

Laodicenum porro Concilium corruptum facile fuisse malis Arianorum artibus liquet ex iis, quae primo hujus Capitis articulo attulimus. Trullanum Concilium acta Laodiceni quidem confirmavit, sed Carthaginiensium quoque acta simul comprobavit, in quibus deuterocanonici adnumerantur. Praeterea si fides Laodiceno est adhibenda, et Trullano, cur non Carthaginiensibus, Gelasio, Innocentio, aliisque fidem habebimus?

Hic opportune monendum, Ecclesiam Graecorum libris deuterocanonicis fidem adhibuisse, ac Graecos ipsos, qui a Romana disjuncti sunt Ecclesia, synodos duas celebrasse, ut refert Alber, Constantinopoli unam an. 1642. alteram Hierosolymis an. 1672, quibus Helvetiorum dogmata damnarunt, illudque speciatim, per quod Deuterocanonici ab iis rejiciebantur — *quoniam eos tradidisset antiqua consuetudo, seu magis Catholica Ecclesia.*

Quod ad Patres attinet, qui deuterocanonicos libros non acceperunt, sat esse credimus, generatim quaedam adnotare, quin longum auctoritatum catalogum percurramus. Primum animadvertimus, librorum deuterocanonicorum canonicitatem primis Ecclesiae saeculis, quibus Patres vixere, fuisse quidem, ut patet, receptam, sed non ut universaliter cognitam, et solemniter definitam, uti postea in Conciliis Florentino, et Tridentino. Quare sicuti de quibusdam aliis dogmatibus contigit, quae posterioribus saeculis declarata sunt, dum primitus, et ante Ecclesiae definitionem aliquibus non erant probata, ita quo-

que res se habuit quod ad canonicitatem illam, quae postmodum solum universis innotuit, ac decreta est. Hoc tantum pacto Bellarminus (in fine cap. X. l. 1. cit. loc.) putat Hieronymum excusari posse, qui de canonicitate quorumdam librorum V. T., ut inferius dicetur, dubitavit.

Deinde ex Patribus memoratis sunt non pauci, qui solum asserunt libros quosdam non esse canonicos apud Hebraeos. Enimvero Origenes, ut caeteros silentio praeteream, in Ps. I. inquit, Machabaeorum libros non esse canonicos, sed ibidem diserte addit, loqui *juxta Hebraeos*. Libro autem II. *de Principiis* (c. 1. n. 5.) in Machabaeorum libris veneratur Scripturae auctoritatem.

Epiphanius de Hebraeis l. 1. contra haeres., et in libro *De ponderibus et mensuris*, deuterocanonicos inter Scripturae libros non recenset, sed perspicue loquitur de Hebraeorum moribus, ac ratione.

Hieronymus in Prologo Galeato, libris, qui erant in Hebraeorum Canone, enumeratis, ait: *quidquid extra hoc est, inter apocrypha est ponendum*. Aberant autem a Canone illo libri Tobiae, Iudith, Sapientiae, Ecclesiastici, et duo Machabaeorum. Sed l. 2. contra Rufinum mentem suam aperit Hieronymus, ac testatur se juxta Hebraeorum mentem esse loquutum, neque omnia dixisse *in Prologo, brevitati studens, ne non praefationem, sed librum viderer conscribere*, ut ipse ait cap. 9.

Tertio Patres cum Haereticos aut Hebraeos refellerent, libros deuterocanonicos rejicere aliquando visi sunt ex eo tantum, quod illis uti nolebant vel ad Haereticos coarguendos, deficiente Ecclesiae definitione solemni pro illorum auctoritate, vel ad Hebraeos oppugnandos, qui libros illos non accipiebant. Exemplum ab ipso Hieronymo sumamus. Hic in Praef. ad libros Salomonis de Eccl., et Sap. ait: *Sicut ergo Iudith, et Tobiae, et Machabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit; sic et haec duo volumina legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam*. Iam vero Hieronymus idem quo sensu id proferat, satis ostendit in Praef. libri Iudith *cujus* (inquit) *auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea judicatur*. Quo pacto similia explicari quoque possunt, quae objiciuntur.

Quarto Patribus contra deuterocanonicos allatis, alii quamplures opponi possunt, qui eisdem favent, et quorum testimonia citantur a Bellarmino *De verbo Dei*, a Cano *De Sacra Scriptura*, et a Tournemine in Dissertatione *de Libris Deuterocanonicis* inserta ed. Menochii Venet. 1758. Nos a serie plu-

rimorum Patrum referenda, qui vel de singulis deuterocanonicis, vel de libris in genere Ecclesiae approbatione donatis testimonium tulerunt, propterea abstinemus.

Quinto demum Patres et alii veteres eruditi bene multi, qui Canonem ex regulis peculiaribus (veluti ex Epistola Melitonis, vel ex Canone Hebraeorum) definientes, *Deuterocanonicos* excludebant, iidem in aliis scriptis suis traditionem Ecclesiae sequuti, Libros ipsos ut Scripturam divinam saepe saepius allegabant.

IV. Tandem quaeri potest an nunc post Tridentini de Canone decretum, aliquod supersit discrimen inter *Protocanonicorum ac Deuterocanonicorum* auctoritatem? Hugo Grotius, Ioannes Clericus, Iahn, et bene multi e recentioribus Protestantibus putant, deuterocanonicos, ad mores hominum informandos perutiles quidem esse, at Fidei dogmata probari ex iis non posse, neque divinam ipsis inesse auctoritatem. Sed futilem omnino esse distinctionem hanc invicte ostendunt tum loquendi modus Tridentini, quod omnes Scripturae libros indiscriminatim sacros et canonicos pronunciat, ac anathema contrarium sentientibus infligit, tum vana, ac commentitia Theologorum eorum argumenta. Opponunt namque: 1.° in Tridentino definitum quidem omnes libros esse canonicos, at non idcirco divinos. Distinctionem vero istam, quam jampridem protulerat Cajetanus (in fine Comment. libror. Histor. V. T.), jure ac merito irridet Canus (Cap. 11. ad 6. lib. 2.), cum Fideles omnes, Theologi, Patres pro libris *canonicis et divinis* unum ac idem intelligant. Quinimo Carthaginiense III. ait: *praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum.* Objiciunt 2.°: in Conc. Tridentino ex Pallavicino (Hist. Conc. lib. 6.), instituta fuit quaestio, an expediret duplicem librorum classem distingui, quarum una libros ad populi pietatem promovendam idoneos contineret; eos altera, quibus fidei dogmata innituntur. Hoc quidem verum est, at idem Pallavicinus addit, juxta Patrum suffragium constitutum fuisse, nullum faciendum librorum discrimen, nullumque reapse factum esse. Quid ergo? Opponunt 3.°: ex Patribus colligi duplicem librorum classem. Sed quonam pacto Scripturae libros Patres distinxerint, satis explicavimus Quaesito tertio respondentes.

Negotium in hac re aliquod facessere videtur, quod Canus, qui tam acriter libro jam citato deuterocanonicos tamquam Canonicos defendit, haeresis notam non audeat inurere negantibus canonicitatem librorum Baruch, Tobiae, Iudith, Sapientiae, Ecclesiastici, ac duorum Machab. bene vero aliorum denegantibus canonicitatem. Canum in pluribus citant, laudant-

que omnes, et merito quidem, inter quos Bellarminus et Suarez, neque hoc titulo eum accusant. Nihilominus Bellarmini, Suarez, aliorumque contraria sententia est, ex anathemate praecipue a Tridentino universim inflicto. Ad Cani defensionem, animadvertendum videtur, aut eum non eamdem tribuisse vim, ac alii, anathemati Tridentini, aut eum absolutam Tridentini auctoritatem non omnimode considerasse, cum mortuus ille sit ann. 1560., scilicet antequam Concilium approbaretur: approbatum namque fuit ann. 1563. Monemus praeterea ex eodem Cano (l. 2. c. 9. Concl. 1.) non eamdem semper fuisse apud omnes significationem vocum *haeresis*, *erronei* et similium.

Art. IV.

Argumenta, et Auctores singulorum librorum recensentur.

Libri Veteris Testamenti.

Genesis.

Primus Liber (quem Hebraei, a prima dictione, ut in sequentibus aliis 4. Moysis libris vocant בְּרֵאשִׁית *Berescìth*, vel *Berescìd*) dicitur *Genesis*, eo quod sub initium generationem, sive ortum mundi describat, resque insuper gestas per annos 2369; nempe ab Adamo usque ad mortem Iosephi. Narrat idcirco quae contigerunt Adamo, Cain, Seth, Noe, Abraham, Isaac, Iacob et filiis ejus.

Obiter notamus nos in annorum serie computanda sequi Hebraeorum calculum, et communiorem juxta eum supputandi rationem. Caeterum pro accurata magis, ac minuta de his cognitione consule Chronicon Tirini, Notas chronologicas editionis S. Scr. Antonii Vitré, et Calmet.

Exodus.

Secundus: *Exodus* (idest exitus ab Aegypto) apud Hebraeos וְאֵלֶּה שְׁמוֹת *Veellèh Scemòth*, vel *scemòd*, historiam texit a morte Iosephi usque ad Tabernaculum erectum, per annos 145. Narrat hic servitutem Hebraeorum in Aegypto, eorumdemque liberationem; Legis promulgationem, Tabernaculi structuram, atque erectionem.

Leviticus.

Tertius: *Leviticus*, apud Hebraeos וַיִּקְרָא *Vaicrà*, describit ea, quae Levitarum erant, nempe quae spectabant ad sa-

crificia, oblationes, aliaque divini cultus; festa, distinctionem inter munda et immunda, ipsorumque Levitarum institutionem, ac officia, alia insuper, quae dicta aut facta sunt intra mensem, et dimidium.

Numeri.

Quartus: *Numeri*, (eo quod initio describatur census populi factus a Moyse, et Aaron Dei jussu) apud Hebraeos וַיְדַבֵּר *Vaiedabbèr*. Liber hic continet res gestas in Deserto, cujus enumerantur 42. stationes. Narrat itaque censum populi, situm et ordinem castrorum, varias insuper leges, uti de oblationibus, de consecratione Levitarum etc.; praeterea varias populi murmurationes, judicium Core, Dathan et Abiron, nec non historiam Balaam, quae omnia complectuntur annos fere 39.

Deuteronomium.

Quintus: *Deuteronomium*, (idest secunda lex) apud Hebraeos אֵלֶּה הַדְּבָרִים *Ellèh haddebarìm*, vel *haddevarìm*. In eo repetit ac declarat Moyses quidquid in Exodo, Levitico, et Numeris dictum erat; idque coram filiis eorum, qui post primam legis promulgationem perierunt. Primo fit rerum praeteritarum brevis narratio: exhortatio sequitur ad Legis obsequium, quam diligenter repetit, ac explicat. Deinde res narrat gestas ab initio undecimi mensis usque ad septimum diem mensis duodecimi, anni quadragesimi ab exitu.

Quinque hi libri nomine quoque *Pentateuchi* (quasi quintuplicis id est quinque *Voluminum*, seu *Instrumentorum*) donantur. Hebraei autem eosdem appellant תּוֹרָה *Thoràh*, idest *Legem*. Totus vero Pentateuchus historiam annorum 2552. cum dimidio continet.

Auctor Pentateuchi.

Auctor fuit Moyses. Probatur hoc. 1.º ex quo id exprimatur Exod. XXIV. 4. (1) Deuter. XXXI. 9. (2) In N. T. id ipsum confirmatur ex Ioann. I. 17. 45. (3), et V. 46. (4) ubi Christus ipse compellat Moysem, dum citat Pentateuchum. Probat. 2.º unanimi tum Iudaeorum tum Chistianorum consensu; quod argumentum fuse prosequitur Huetius (*Dem. Ev. Prop. IV. c. 1., et 2.*). Probat. 3.º ex Tridentino, quod in Cano-

(1) *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini.*
(2) *Scripsit itaque Moyses Legem hanc.*
(3) *Lex per Moysem data est . . . Quem* (idest *Christum*) *scripsit Moyses in lege.*
(4) *De me enim ille* (*Moyses*) *scripsit.*

ne suo Pentateuchum attribuit Moysi. At Spinosa, Hobbesius, Voltaire (*in Lexico Man. Philosoph.*), ut Scripturae auctoritatem vel ex limine convellant, Moysem auctorem esse Pentateuchi negant, idque argumentis nullius roboris. Fusam hujusmodi argumentorum explanationem vide apud Calmet *Praefat. in Genes.*, Nonnotte *Lex. Philos. verbo Moyses*. Summa vero eorumdem haec, est.

I. Dubitari jure potest, ajunt, an Moyses extiterit; nam Sanchoniaton, Manethon, Megasthenes, Herodotus Moysem non commemorant. Sed Moysem extitisse, praeter libros sanctos, constans testatur Iudaeorom traditio, consensus Samaritanorum, qui caeteroquin a Iudaeis dissentiebant, uti hostes accerrimi; auctoritas Ethnicorum, Diodori Siculi, Strabonis, Eupolemi, aliorumque. Vide cit. Nonnotte. Ex his porro certior evadit Moysis existentia, quam Cyri, Alexandri et Caesaris.

Quod si qui de Moyse silent, hujus rei caussa est vel ignorantia, vel malitia, vel diversus eorum operum scopus. Argumentum hoc certe negativum est. Manethon tamen (quae Voltaire calliditas est) Moysis mentionem facit apud Iosephum L. 1. c. 28. contra Appionem: *Leges eis* (id est Hebraeis) *composuit.... Moyses.*

II. In Deuteron. leges statuuntur a regibus servandae. Ergo regum potius epochae, idest quatuor post Moysem saeculis, referendus est auctor Pentateuchi. At uno verbo Moyses, qui insignis fuit propheta uti ex Deut. XXXIV. 10. (1) habetur, utque eorum eventus comprobavit, quae de captivitate populi, ac sorte praedixerat, praecipue Deuter. XXVIII., Moyses, inquam, futuram inter Hebraeos monarchiam praenunciaverat, pro qua leges indicavit.

III. Sunt quaedam in Pentateucho relata, quae cum post mortem Moysis contigerint, ipse ea scire haud potuit. Hujusmodi est urbs nomine Hebron Gen. XXIII. XXXV., quae eo tempore appellabatur Cariath-Arbe ex Iosue XIV., urbs nomine Dan Gen. XIV. cum Moysis aetate vocaretur Lais ex Iudic. XVIII. Hujusmodi sunt etiam postremi Deuteronomii versiculi, quibus mors ipsa Moysis describitur. At contra. Sunt aliqui, quibus subscribit Menochius (in Gen. XXIII.), qui dicunt haec prophetico spiritu fuisse a Moyse conscripta; et mortis historiam, eo consilio ab illo fuisse enarratam, ne Hebraei ipsum crederent raptum. Communior vero sententia est, res, de quibus nunc agitur, additas esse claritatis et perfectionis gratia ab aliis hagiographis, uti Iosue et Esdras fuere. Hoc autem eo facilius contigit, quo probabilius Pentateuchus a Moyse scriptus

(1) *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses.*

fuit per modum Diarii, ut de quibusdam aliis libris dicemus, dispositus vero et absolutus a Iosue filio Nun ejus ministro, ut antiquissimus interpres Syrus ad Pentateuchi calcem refert. Additiones vero hujusmodi non impediunt, quominus integer liber Moysi sit adscribendus.

IV. Alium a Moyse auctorem fuisse Pentateuchi perspicue colligitur ex eo quod auctor hujusce libri de Moyse tanquam de tertia persona loquatur, quod auctor idem Moysem vocet *virum mitissimum.... fidelissimum* (Num. XII.); quae res cum Moysis modestia haud cohaeret. Sed opponimus, alios quoque de se loqui tanquam de tertia persona consuevisse, ut apparet in Commentariis Caesaris, in historia Iosephi de Bello, et in historia Procopii. Quinimo Christus in Evang. ait de se: *filius hominis* (Matth. VIII.); et in ore Matthaei ipsius dicitur (Matth. IX.): *Iesus vidit hominem.... Matthaeum nomine.* Laudes vero Moysis (ne dicamus additas juxta superius dicta) expressit ipse ad Dei gloriam, et ad aliorum exemplum, ut Ioannes se vocat *discipulum quem diligebat Iesus*, et ut Paullus visiones, et alia dona referebat.

V. At quomodo Moyses scire certo potuit ea, quae in Pentateucho scripta sunt, quaeque saecula Moyse longe anteriora respiciunt? Unum scilicet ex telis id est, quibus Deistae Pentateuchi impetunt auctoritatem. Neoterici Theologi quidam, qui verbis venerari testantur Scripturam, re autem insidias eidem minantur, atque eo tendunt occulte, quo palam Deistae intendunt, ajunt Moysem uti caeteros humanos historicos, in rebus enarrandis, quarum ipse non fuerit testis coaevus, antiquitatis monumentis innixum esse: ita Iahnius *Introduct. in lib. V. T.* Michaelis *Einleitung etc.* Eichhorn *Einleitung ect. T.* 2. Horum monumentorum, quibus Moyses fidit, vestigia iidem vario modo perscrutabantur; ac primum: *Diversae documentorum* (verba sunt Iahnii) *inscriptiones, quae in primis cap. Genesis* (ex. gr. II. 4. V. 1.), *recurrunt, monent Lectorem haec totidem antiquiora esse fragmenta.* Inter illa haec sunt: *Istae sunt generationes Coeli, et Terrae etc.; Hic est liber generationis etc.*, et similia. Adducunt deinde stili diversitatem, qui, ut ait Iahnius, docet Pentateuchum esse monumentorum collectionem. Hanc porro stili diversitatem ex sequentibus arguunt. Narratur bellum Abraham contra 4. Reges quasi quid stupendum, cum tamen milites fuissent 318., Moyses autem exercitui Israelitarum 600,000. praefuerat.

Cap. V. Gen. texitur Genealogia, ita ut summa annorum cujusque Patriarchae computetur; in Cap. vero XI. ubi Genealogia rursus describitur, summa illa non adest.

Cap. XXIII. multis verbis de agro empto ab Abraham refertur, quod paucioribus verbis expediri potuisset.

Ad Deum exprimendum modo nomen יְהוָה *Iehovàh*, modo אֱלֹהִים *Elohìm*, aut aliud adhibetur.

Ommitto plura; haec enim satis sunt. Quid enim? Moyses juxta eos humanus historicus uti caeteri adhibuit monumenta, quae in primis vera monumenta non sunt; nam vel transitionibus quibusdam, uti prima a Iahnio adducta, continentur; vel diversitatibus aut antilogiis apparentibus constituuntur, quae tamen facile in uno eodemque scriptore conciliari possunt, et cum veritate cohaerere. Hujusmodi praeterea monumenta nullius forent auctoritatis, cum ex una parte Moyses apud illos fide per se careat, ex alia monumentorum, quibus usus est, auctoritas desideretur. Ergo id tandem consequeretur, Mosaicam historiam veritatis carere fundamento.

Sed facilius, rectiusque respondemus Moysem rerum plurimarum cognitionem, quae ante ipsum fuere, haurire potuisse ex traditione, quae primis saeculis purior servari poterat apud homines longissimam vitam ducentes. Praeterea quae naturaliter cognoscere Moyses non valebat, ex Dei revelatione intellexit: nemo enim catholicorum inficias ire potest, nisi temere ac impie, hagiographos omnes, quoties opus fuerit, revelatione esse donatos, uti fuse ostendimus ubi de auctoritate, et praesertim de inspiratione Scripturae.

Et sane revelatio aliqua de rebus, quae narrantur in Genesi circa primos quinque mundi dies admittenda est; tunc enim nullus aderat homo, qui eas referre potuisset. Quod si conceditur aliquod alicui revelatum esse, quid est cūr Neoterici illi citati renuant Moysi revelationem concedere?

Quae ex artis scribendi inventione, lingua et similibus objici solent, solvuntur partim in decursu Institutionum, partim in *Exercitat. biblic.*

Iosue.

Pentateuchum consequitur Liber *Iosue* יְהוֹשֻׁעַ *Jehoscùah*, *Salvator*. Continet hic res gestas a Moysis morte usque ad mortem Iosue, quod spatium reputatur circiter annor. 17. Scilicet mortuo Moyse, ne Iudaei sine duce errarent, elegit Deus Iosue (qui Moysis fuerat minister fidelis) in populi ductorem. Hic prius missis in terram Chanaan exploratoribus, instaurata rursus circumcisione, Israelitas in terram illam traduxit, ac pluribus Regibus devictis, qui numero 31. (Ios XII. 24.) computantur, tandem terram ipsam inter tribus partitus est.

Verba Cap. XXIV. 26. *Scripsit quoque omnia verba haec* (Iosue) *in volumine legis Domini* ostendunt, Iosue auctorem fuisse hujus libri, quem saltem ad modum Diarii, sive commentariorum eum scripsisse concedunt omnes, uti de Moyse.

Librum hunc Iosue habuisse auctorem, confirmant etiam verba Ecclesiastici (XLVI, 1.) quibus Iosue dicitur *Successor Moysi in prophetis* aut potius *prophetiis* juxta graecum. Id quoque senserunt semper Iudaei, et ex Tractatu *Bavà Bathrà* apparet. Et revera liber hic ante Davidem certe scriptus fuit, nam ex Cap. XV. constat, eo tempore, quo scriptus fuit, Iebusaeos adhuc retinuisse arcem Ierusalem, quam solus David ipsis eripuit. Liber idem certo quoque extabat antequam liber Iudicum conscriberetur; nam Caput primum libri Iudicum ea prospicit, quae Cap. XIV. Iosue narrantur de Caleb, ac de Ebron.

Auctor tamen Synopseos inter Athanasii opera, et Theodoretus negant, Iosue fuisse revera hujus libri auctorem. His libenter subscribunt Grotius, Peyrerius, auctor systematis Praeadamitarum, Hobbes, Spinosa, ac Neoterici quidam suspectae fidei, qui libri auctorem ad posteriora saecula pertinere contendunt, idque fortasse ut auctoritas infirmetur ejusdem libri, in quo statio solis, aliaque narrantur prodigia, quae Neoterici illi, et Deistae inficiantur. Argumenta porro, quibus hi sententiam suam roborare conantur, confutatione non indigent, cum parvi vel nullius sint momenti, teste vel ipso Iahnio *Introd. Part. II.*

Nec majorem contra nos habet vim quod liber Iosue dicatur cap. XXIV. *volumen legis*, et loc. cit. Eccli. Iosue appelletur *Propheta*, quae in hunc librum haud apte quadrare posse videntur. Plura namque suppetunt Scripturarum exempla, quibus nomina legis et prophetiae communia ostenduntur libris omnibus sacris. Ita Christus apud Ioann. X. 34. (1), et XV. 25. (2) testimonia vocavit *legis* aliqua, quae ex Psalmorum libro citavit.

Contra nos insuper videntur esse quaedam huic libro inserta, quae solum postea evenerunt, uti aliqua variorum locorum nomina, Iosue mors, et similia. At fidei absonum non est, Esdram vel alium nonnulla addidisse; et sunt, juxta superius dicta, qui opinentur tam Moysen quam Iosue illa, dum adhuc viverent, prophetice scripsisse.

Iudicum.

Liber *Iudicum* apud Hebraeos שֹׁפְטִים *Scophetìm* id est *Iudices*. Post mortem enim Iosue Deus excitavit Iudices, qui populum usque ad Reges rexerunt. Munus eorum praecipuum erat,

(1) *Scriptum est in lege vestra, quia ego dixi: Dii estis.*
(2) *Ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis.*

populi, qui a legibus divinis recedens Gentilium Regibus servire identidem cogebatur, libertatem tueri, bellis praeesse, lites dirimere. Nec tamen dignitate pollebant regia in legibus condendis, vel in diademate, satellitio, aut alio ornatu gestando, neque successione creabantur, sed sola Dei vel populi electione.

Numero quindecim fuerunt: Othoniel, Aod, Samgar, Barac cum Debora, Gedeon, Abimelec, Thola, Iair, Iephte, Abesan, Ahialon, Abdon, Sampson, Heli, Samuel. Ex his Iephte, Abesan, Ahialon, et Abdon videntur a populo electi; caeteri a Deo immediate creati.

Iudicum acta in hoc libro narrantur, exceptis iis, quae ad Heli et Samuelem pertinent, quae in primo Regum habentur. Iudices annor. spatio circiter 556. imperarunt; sed cum historia Heli et Samuelis lib. primo Reg. contineatur, liber hic acta recenset solum ab anno mortis Iosue usque ad annum, quo Sampson mortuus est, quod spatium ab aliquibus putatur ann. 298. ab aliis 317. Porro Hieronymus ad Paullinum ait: *In libro Iudicum quot principes Populi, tot figurae sunt.* Auctor ipsius ignoratur. Plerique putant, Esdram vel Samuelem omnia scripsisse, quae in hoc libro referuntur, diariis singulorum Iudicum collectis; quae diaria olim gubernatores omnes scribebant, uti Caesar commentaria sua; quod de Samuele legimus I. Paralip.XX IX. 29. (1).

Ruth.

Octavus Liber רוּת *Ruth* genealogiam texit filiorum Iudae usque ad David, aliquot tamen ommissis genealogiis intermediis, ut consuetudo fert Orientalium. Texit autem narrando, quomodo Booz a Iuda descendens genuit ex Moabitide Ruth, Obed, qui Davidis avus fuit. Cum historia haec ad Iudicum tempus pertineat, et cum manuducat ad Davidem, recte liber hic inter Iudicum et Regum libros ponitur. Perutilis porro ille est ad genealogiam Christi ostendendam.

Auctor incertus est. Alii dicunt Ezechiam Regem, alii Esdram, plures Samuelem, quia tunc vivebat, et quia ipse scripsit primum Regum, ad quem dirigitur.

Regum quatuor.

Quatuor libri *Regum;* apud Hebraeos *Samuelis I. II.* hebr. שְׁמוּאֵל *Scemuèl*, (*postulatus a Deo*); et *Melachìm I.*

(1) *Gesta autem David regis priora, et novissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis etc.*

II. מְלָכִים *Melachim* a rad. מָלַךְ *Malàch*, *regnavit*. Sciendum est enim. Samuelem uti Iudicem postremum Heli successisse. Samuelis tempore populus Regem petiit, quem Samuel Dei jussu eidem primum dedit Saulem. Postea jussu ipsius Dei in locum Saulis suffectus est David. Regnaverat Saul ann. p. m. 40. (Act. XIII.). David autem dominatum tenuit ann. pariter 40. Davidi successit Salomon, ejusque filii et nepotes, qui in Iuda regnarunt ann. 430. p. m., nempe usque ad Sedeciam, qui novissimus fuit Rex, ac in Babylonia captivus mortuus est. Schismate vero inter Hebraeos orto, dum Roboam filius Salomonis regnabat, Ieroboam quoque dominari coepit in Ierusalem, sive in decem tribus, ejusque posteri sceptrum retinuerunt usque ad Oseam, qui captivus ductus est in Assyriam a Salmanasar. Regni Israelis diuturnitas fuit annor. circiter 256.

Itaque librorum Regum historia per spatium 510 annorum p. m. extenditur a multis. Quae ad Heli, Samuelem, et Saulem pertinent, lib. primo recensentur; quae ad Davidem, secundo; quae ad Salomonem aliosque Reges tum Iudae, tum Israelis, libris tertio, et quarto. Primi duo vocantur etiam libri Samuelis, quia praecipue Samuelis gesta magnum in illis sibi vindicant locum. Libri primus et secundus Regum conscripti creduntur partim ab ipso Samuele (ex quo etiam Samuelis dicuntur), partim a Davide, vel potius a Nathan et Gad prophetis, qui veluti scriptores gestorum Davidis citantur I. Paralip. XXIX. 29. (1). Libri tertius et quartus exarati putantur vel a Ieremia, vel ab Esdra, collectis veterum diariis, caeterisque, quae varii prophetae de variis Regibus scripserant. Sed firmiora desunt de hoc indicia.

Paralipomenon duo.

Libri duo *Paralipomenon*, idest praetermissorum, apud Hebraeos דִּבְרֵי הַיָּמִים *Dibrè*, vel *divrè Hajamim*, sive *verba dierum*, vel *diarium*, seu *annales*. Hic nonnulla, quae circa ortum, et propagationem Gentis Israeliticae praecipue, in Pentateucho aliisque libris, aut ommissa, aut brevius fuerant dicta, repetuntur, et melius explicantur. Accuratissime propterea tractantur ea potissimum, quae ad Genealogias spectant, et ad regnum Davidis. Itemque fusius describuntur multa in libris Regum vix indicta. Ita I. Paralip. XXIX. quantum auri et argenti, aliudve David reliquerit pro aedificatione templi. Ita plura de Salomone, deque aliis Regibus tam Iudae quam

(1) *Gesta autem David regis priora, et novissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis, et in libro Nathan prophetae, atque in volumine Gad Videntis.*

Israelis, et historiam complet usque ad reditum Hebraeorum ex captivitate. *Tantus ac talis est liber* (ait Hieronymus in ep. ad Paullinum) *ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, se ipsum irrideat. Per singula quippe nomina, juncturasque verborum, et praetermissae in Regum libris tanguntur historiae, et innumerabiles explicantur Evangelii quaestiones.*

Apud Hebraeos et Christianos constans fama est, auctorem Paralipomenon fuisse Esdram. Et revera verba hujusce libri postrema eadem sunt ac prima libri primi Esdrae; peculiaris insuper in multis aliis similitudo reperitur, ac praesertim in genealogiis describendis.

Esdrae primus, secundus.

Liber primus *Esdrae* (hebr. עֶזְרָא adjutorium, tutela); secundus *Esdrae* sive potius *Nehemiae* (hebr. נְחֶמְיָה *Dei consolatio*, vel *consolator Dei*). Ut argumentum agnoscatur, notetur decem Tribus Israel, quae in captivitatem Assyriacam abductae fuerunt, nunquam, saltem tributim, reversas esse, (de quo vide Calmet Dissert. in Danielem), sed solum Israelitas aliquos libertate donatos fortasse cum reliquis Iudaeis admixtos remansisse. Iudae vero ac Beniamin Tribus post 70 annor. captivitatem reduces factae sunt, libertate a Cyro obtenta. Quae ad Iudaeos spectant post libertatem hanc, conscripta inveniuntur duobus hisce libris; ac speciatim primus Esdrae ea complectitur, quae contigerunt a libertate donata usque ad reditum in patriam, et ad annum VII. Artaxerxis: alter vero instaurationem urbis Hierosolymorum, reducis populi correctionem, et cultus renovationem narrat.

Primi libri auctor est Esdras, uti ex titulo, sermonisque decursu apparet, in quo Esdras ipse ex prima persona loquitur, praesertim VIII. 1. (1). Esdras autem scriba erat, idest legisperitus, dux populi, qui e Babylonia liber rediit in Chanaan an. VII. Artaxerxis. Idem Sarajae Pontif. filius fuit, ut ex 1. Esdr. VII. 1. (2).

Auctor secundi est Nehemias, uti ex primis verbis libri liquet (3). Hic sacerdos erat ex tribu Levi uti ex 2. Mach. I. 21. (4), pincerna Artaxerxis Babyloniae regis, a quo auctori-

(1) *Hi sunt ergo . . . . qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis etc.*

(2) *Post haec autem verba . . . . Esdras filius Sarajae, filii Azariae, etc.*

(3) *Verba Nehemiae filii Helchiae etc.*

(4) . . . . *jussit Sacerdos Nehemias aspergi* (sacrificia) etc.

tatem obtinuit anno regni ejus vigesimo, ut Hierosolymam rediret ad opem Iudaeis ferendam, et ad urbem reaedificandam. Liber hic dicitur etiam Esdrae secundus, tum quia gesta Nehemiae simul et Esdrae complectitur, tum quia apud Hebraeos et Graecos hi duo libri olim uno tantum volumine continebantur. Ab Esdra et Nehemia libri, de quibus nunc sermo est, hebraice scripti sunt, aliquibus tamen chaldaicis partibus, modis, ac phrasibus aspersi, quibus illi in Babylonia assueverant.

Extant quoque tertius et quartus Esdrae. Hi quidem ut canonici non sunt ab Ecclesia recogniti, saepe tamen a veteribus, etiam inter Patres citati, eosque commendat a Lapide post 2. Esdrae. Argumentum tertii, qui in aliquibus graecis codicibus primus dicitur, a tempore Iosiae fusius complectitur illa, quae duobus libris Esdrae canonicis scripta sunt, eodem ferme modo, quo Paralipomenon libri ea, quae in libris Regum sunt, prosequuntur. Argumentum quarti respicit multas Esdrae visiones. Loquitur vero tam in tertio quam in quarto ipsa Esdrae persona, cui propterea libri illi adscribuntur.

Varii sequuntur libri, qui acta totius gentis Iudaeorum non referunt, sed virorum quorumdam memorabilium; ac primo

Tobiae.

Liber *Tobiae* hebr. טוֹבִיָּה *tobiàh* vel *toviàh* — *Bonus Deus* vel — *Bonitas Dei.* Continet hic historiam Tobiae patris et filii, in qua praeclara documenta eximiae pietatis, singularis patientiae, et Dei in suos providentiae, curae filiorum, et caritatis erga proximum exhibentur. Quae hic narrantur, contigerunt partim Salmanasaris Assyriorum regis temporibus, sub quo Tobias cum Israelitis plerisque captivus abductus est, cuique Tobias carus fuit; partim Sennacherib filii Salmanasaris aetate, a quo Tobias ob pietatem in occisorum cadavera, ad necem quaesitus fuit. Communius cum Sixto Senensi creditur, Tobias utrosque hujus libri auctores fuisse, saltem hoc sensu, quod monumenta scripta reliquerint, quibus Esdras aliusve innixus librum exaraverit. Nam Tobias pater usque ad Caput IV. loquens prima utitur persona, ut patet in exemplaribus graecis, syriacis, et hebraicis, de quibus, si oportet, consule Calmet *Prolegom. in Tobiam.* Capite vero XII. 20. juxta Hebraicum et Graecum legimus, Raphaelem Tobiis imperasse, ut totam historiam literis mandarent: *γράψατε πάντα scribite omnia.* Et cap. XIII. 1. juxta Syriacum et Graecum legimus, scriptum a seniori Tobia canticum: *καὶ Τωβὶτ ἔγραψε* etc. *et Tobit scripsit* etc. Haec autem probant aliqua saltem fuisse a Tobiis conscripta. Hieronymus porro (*Praef. in Tob.*) putat librum hunc chaldaice primum exaratum esse.

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE

Iudith.

Liber *Iudith* (hebr. יְהוּדִית *Jehudith*, et per crasin *Judith — confitens*, *laudans*, *glorificans*) — praeclarum enarrat facinus Iudith faeminae generosae, quae Holofernem interficiendo Iudaeos ab Assyriis liberavit. An hoc contigerit ante vel post captivitatem Babylonicam, et sub quonam Rege, controvertitur. Putant aliqui haec ante captivitatem sub Manasse contigisse, quo tempore Medorum et Assyriorum reges imperabant; aliaque, quae in historia narrantur, juxta eos ita melius consistunt. Bellarminus (*lib. I. de Verbo Dei c.* 12.) huic adhaeret sententiae.

Alii temporibus captivitatem subsequentibus haec assignant, Xerxe regnante, et hoc probabilius creditur: nam 1.° Ioacim Pontifex erat Iudith tempore. Atqui hujus nominis nullus fuit Pontifex praeter Ioacim filium Iesu filii Iosedec, qui post captivitatem vixit: 2.° Cap. V. tamquam recens describitur Iudaeorum reditus e captivitate; et Cap. VI. narratur, Iudaeos non habere reges, sed duces, scilicet Oziam et Charmi, cum quibus (non vero cum Manasse) Iudith inducitur consilium suum pertractans. Quod si opponatur, reges hoc tempore defecisse in Assyria et Media, quae in potestatem venerant Persarum usque ad Alexandrum; respondemus Praefectos constitutos a Persis in Assyria et Media facile nomen ac dignitatem regiam usurpare voluisse, et rebellantes appellari unum Arphaxad Medorum regem, alterum Nabuchodonosor Assyriorum regem. Ita explicatur quod de his regibus perhibetur in libro Iudith.

Auctor est incertus, licet aliqui putent fuisse Ioacim Pontificem, Iudith coaevum, ejusque moderatorem. Chaldaice et hunc conscriptum fuisse Hieronymus prae aliis asserit (*Praef. in Iudith.*).

Neoterici illi, qui cum catholicismum affectent, nequeunt auctoritati refragari librorum qui in Canonem relati sunt a Tridentino, libros Tobiae et Iudith aperte rejicere non audent, uti aperte rejiciunt Protestantes. Cum tamen illis libri isti minime arrideant, Tobiae quidem liber, quia prodigia multa refert, quae ipsis invisa sunt; Iudith vero, quia peculiarem involvit difficultatem ad conciliandam cum eo profanam historiam; quid moliuntur? Inter parabolas connumerant Tobiae et Iudith historiam, uti jam prius Paullus Fagius scripserat Tobiae historiam comoediam esse. Eorum argumenta fusius persequi, ac resolvere, a proposita nobis via nimis longe abduceret, cogeretque, ut in quibusdam immoraremur vix alicujus

momenti, quorum nil fugit Commentatores. Nobis sat est generatim animadvertere.

1.° Rei ac sententiarum veritatem stare etiam in parabolis, ut in multis Evangelii parabolis patet.

2.° Cum parabolae natura haud cohaerere accuratam descriptionem nominum, personarum, locorum, temporum, etc. quae occurrunt in hujusmodi libris.

3.° Minus etiam cum parabola cohaerere ut actiones in eis relatae pro imitationis exemplis subjiciantur, uti passim Patres faciunt de Iudith, et quod ad multa saltem, de Tobia; imo uti Scriptura ipsa innuit de Tobia (c. II.) *ut posteris daretur exemplum patientiae.*

4.° Discrepantias illas, quibus historiae veritatem evertere contendunt, aeque ipsius parabolae naturae contrarias esse, quae verisimilitudinem postulat.

5.° Consensionem omnium tum Hebraeorum, tum Patrum in hac re, Neotericorum opinioni contrariam, plurimi esse faciendam: quinimo auctoritatem ipsam Ecclesiae, quae hos viros uti sanctos veneratur, quod quidem non ageret si personae illae parabolicae essent.

Esther.

Liber *Esther* (hebr. אֶסְתֵּר a סָתַר *Sathàr* vel *Sadar latere*: Chaldaice סְתַר *Sethàr* vel *Sedàr* — *opponere, contradicere* — periculum refert Mardochaei, ac totius gentis Iudaeorum, Assuero Persarum rege, et Amano ejus administro. Narrat praeterea quomodo per Esther Mardochaei neptem, sive consobrinam, ipsi Assuero nuptam, Mardochaeus, ac tota Iudaeorum gens a vitae discrimine fuerit liberata, ac Aman, aliique Iudaeorum hostes fuerint confusi.

Cum autem varii fuerint ejusdem nominis Assueri, quaestio proponitur, de quonam hic sermo sit, nec non ad quodnam tempus referenda sit historia. Certa quaestionis resolutio adhuc desideratur. Aliqua sunt in hac historia, quae Dario Hystaspi conveniunt, propterea quod de hoc Dario narretur in lib. III. Esdrae, et ab Herodoto lib. 4., ipsum ex India centum viginti septem provincias in ditione sua habuisse, magnumque optimatibus suis instruxisse convivium. Hic autem quartus fuit post Cambysem, regnavitque post Iudaeorum libertatem, ac probabilius est Xerxes, qui ingentem expeditionem in Graeciam suscepit. Nota obiter, persice Assueri nomen significare *principem ducum bellicorum*; Darii vero *coercitorem*; Xerxis *bellatorem*, Artaxerxis denique *magnum bellatorem*. Nomina haec, vel potius agnomina singuli Persarum reges vicissim sibi as-

sumebant, sicuti reges Aegypti nomen *Pharaonis*, et Imperatores nostri *Caesaris* nomen. De his vide a Lapide *Argum. in Eshter*; et I. 1.; deinde in 1. *Esdr. IV.* 6.

Prima capita, nempe usque ad X, historiam ordinatam texunt, et protocanonica sunt. Caetera usque ad finem fragmenta continent, in quibus dicta pridem repetuntur, et epistolae nec non regia edicta exponuntur. Deuterocanonica ista sunt. Quinimo post Tridentinum de eorum auctoritate dubitarunt adhuc Dupin, et Sixtus Senens. (*Bib. lib.* 1. *et* 8.) His libenter subscribunt Neoterici quidam quibus fortasse (utpote deismum redolentibus) haud multum arrident stupenda divinae providentiae monumenta quae in Esther libro conspiciuntur. At cum Tridentinum diserte canonicos pronunciet *libros una cum singulis eorum partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in Veteri Vulgata Latina*, quonam pacto catholici de hoc ambigere possint, non apparet. De partibus, addit quidem Sixtus, id est intelligendum, non supposititiis, sed authenticis. At quis judicem constituit Sixtum? Nonne Tridentinum ad Vulgatae codicem appellat? Cujusnam libri incolumis remaneret auctoritas, hoc semel permisso effugio? Partes vero illas in Veteri Vulgata reperit jam ipse Hieronymus, et partes ex eis legit hodiedum Ecclesia Romana in sacris ritibus (Fer. IV post Dominic. IV. Quadrag. ex Esth. XIV.). Instat Iahnius: Benedictus XIV. opus Sixti sibi dicatum recepit. Sciat tamen Iahnius, jussu Inquisitionis hunc Sixti operis locum expunctum esse, ac in Editione Neap. an. 1742. a Cl. Milante adornata, emendatum apparere, uti Alber testatur. Dupin libello Parisiis edito an. 1693. suam hanc opinionem, ut alia quaedam, retractavit.

Auctor libri reputatur Mardochaeus ipse una cum Esther ex quo legatur cap. IX. 20: *Scripsit itaque Mardochaeus omnia haec, et literis comprehensa misit ad Iudaeos*: et cap. IX. 29. *Scripseruntque Esther.... et Mardochaeus etiam secundam Epistolam*: (in his porro epistolis historia tota verisimiliter contenta fuit); denique cap. XII. 4. *Rex autem quod gestum erat scripsit in commentariis; sed et Mardochaeus rei memoriam literis tradidit.*

Iob.

Liber *Iob* אִיּוֹב *inimicus*: (fortasse quia daemonis, amicorumque suorum inimicitias sustinuit, ut notat Origenes Hom. 14. in c. 11. Iosue). Graphice hic describitur celeberrimum poenarum et tolerantiae, naturae et gratiae, daemonis ac hominis justi certamen, quod pertulit vir ille Idumaeus. Ibidem

praecipue disceptatur, an soli peccatores, non vero justi, a Deo in hac vita calamitatibus afficiantur. Omnia sane praeclara, ut exemplo tum bonis tum malis hominibus sint.

Quod de Iob in hoc libro narratur parabolam fuisse, docuerunt olim Thalmudistae in Tractatu *Bavà Bathrà*, Rabbini, Maimonides, Anabaptistae, Salmasius (apud Frideric. Spanhem. in *histora Iob.*), idque nunc quoque tenent communiter notati saepius Neoterici. Adversus hanc opinionem Huet. etiam dissernit (*Demonstr. Ev. Prop. IV. cap. 14. de Iob. § 4.*). Credimus autem ad fallacis hujusce sententiae refutationem sufficere quae supra animadvertimus circa libros Tobiae et Iudith. Addimus tantum, Iob. uti personae, qua vere exstitit, mentionem fieri Tob. II. 12. (1), Ezech. XIV. 14. (2), Iacob. V. 11. (3).

Iob ea aetate vixisse, qua Hebraei in Aegypto commorati sunt, sat probabiliter conjici potest, tum quia Theman, ex quo Eliphaz erat, nepos fuit Esau (4), tum quia liber iste anterior putatur lege a Deo data in Sina, cum ejusdem mentio in hoc libro nunquam occurrat, neque aliorum, quae Deus pro Iudaeis fecerat, licet celeberrima, et quorum fama apud exteras quoque gentes facile pervagavit. Id ipsum conjicitur ex genealogia Iob. Hunc enim fuisse Iobab in Genesi XXXVI. 33. (5) memoratum multi opinantur Patres, et expresse asserit Appendix (apocrypha tamen) Libro Iob apposita in Versione τῶν LXX. Iam vero Iobab ille ex Abraham descendebat per Esau ita ut in genealogia quintus sit ab Abraham, ut ostendit Calmet in Iob. 1. Vide etiam Gen. cit. loc. et 1. Paralip. I.

Major subest difficultas in hujus libri auctore assignando. Vero haud simile videtur multis, Iob inter tot aerumnas librum conscripsisse poeticum. E Patribus multi illius auctorem, cum Tractatu *Bavà Bathrà* Moysen esse dicunt, qui librum ad Hebraeorum solatium scripserit, et modis arabicis repleverit, quibus assueverat per annos 40 inter Madianitas degendo. Quidam librum ipsum Salomonis tempore exaratum volunt, quidam etiam tempore captivitatis ab aliquo Propheta. Alii Iob conscripsisse autumant summam rerum, librumque, qualem habemus, ab alio postea concinnatum. Nil adhuc certi repertum est pro harum opinionum fundamento. Ad stilum quod attinet, ait

(1) *Hanc tentationem ideo permisit Dominus evenire illi* (Tobiae) *ut posteris daretur exemplum patientiae ejus, sicut et sancti Iob.*

(2) *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus* (terrae), *Noe, Daniel, et Iob; ipsi etc.*

(3) *Sufferentiam Iob audistis etc.*

(4) *Hi duces filiorum Esau: Filii Eliphaz primogeniti Esau; dux Theman etc.* (Gen. XXXVI. 15.).

(5) *Mortuus est autem Bela, et regnavit pro eo Iobab filius Zarae de Bosra.*

Hieronymus ad Paullinum: *Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur.* Nimirum, exceptis primis et postremis capitibus, poetice est scriptus, licet metri qualitatem nondum detexerint eruditi. Censent tamen omnes cum Hieronymo gravissimum illud fuisse. Ex multis, quibus scatet liber iste modis arabicis, teste Hieronymo, arabico seu veterum Syrorum sermone conscriptus putatur.

Libri morales consequuntur, ac primo ille, qui historicis proximior est.

Psalmorum.

Liber *Psalmorum* apud Hebraeos סֵפֶר תְּהִלִּים *Sèpher Theillìm*, id est *liber hymnorum.* Est autem breviarium eorum, quae Deus pro hominibus fecerat, ac simul adhortatio sive incitamentum ad grati animi significationem, et ad alios hujusmodi affectus; varias deinde continet de Christo, ac de Ecclesia prophetias. Hinc Psalmi alii sunt *historici*, alii *morales*, alii *deprecatorii*, alii *prophetici*

Cum theologorum quorumdam recentium consilium eo spectet, ut nullam intercedere connexionem relationemque inter V. ac N. Testamentum demonstrare contendant, nullumque prophetiae locum relinquant, nil mirum si ab illis denegetur, Psalmos ullam de Christo prophetiam continere. Ita prae aliis Iahnius subdole innuit *Introd. Part. II.* At Catholicus quisque nequit hoc in dubium revocare ob preclara, quae hac de re N. T. exhibet, argumenta; 1.° enim ait Christus (Luc. XXIV. 44.): *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis, et Psalmis de me*; 2.° saepe in N. T. citantur multa ex Psalmis, quae in Christo implenda erant. Ita illud Psalmi II. 7. — *Filius meus es tu, ego hodie genui te* — de Christo dictum fuisse eruitur ex Act. XIII. 33. (1), Hebr. I. 4. (2). Illud Psal. VIII. — *Minuisti eum paullo minus ab Angelis* — itemque illud Psal. CIX. — *Donec ponam inimicos* etc. — ad Christum spectare ostenditur Hebr. II. 6. (3), I. Cor. XV. 25. etc. (4). Illud Psal. XV. — *Nec dabis sanctum tuum*

(1) *Quoniam hanc* (*repromissionem*) *Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Iesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu etc.*

(2) *Tanto melior Angelis effectus* (Filius Dei) *quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu etc*

(3) *Testatus est autem in quodam loco quis dicens: Minuisti eum paulo minus ab Angelis etc.... Eum autem qui modico quam Angelis minoratus est, videmus Iesum etc.*

(4) *Opportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.*

videre corruptionem — ad Christum referunt Petrus Act. II. (1), Paullus Act. XIII. (2). Illud Psal. XXI. — *Diviserunt sibi vestimenta mea* — de Christo juxta Matth. XXVII. 35. (3), et Ioann. XIX. 23. (4) dictum fuit. Illud Psal. CIX. 1. — *Dixit Dominus Domino meo* etc. — nedum Paullus ad Hebr. I. 13. (5), sed vel ipse Christus allegavit de se apud Matth. XXII. 45. (6).

Compositi fuerunt Psalmi praecipue, ut in sacris Tabernaculi et Templi solemnibus peragendis canerentur; (vid. 1. Paralip. XVI.) Communis fert sententia, eos fuisse poetice exaratos, quod elicitur e stilo, e cantu et sono instrumentorum (quorum unum Psalterium, a quo nomen Psalmi derivatum est), quibus illi concinebantur. Ratio autem hebraici metri latuit Patres, licet fateantur, uti de Iob diximus, grave illud fuisse.

Psalmi canonici sunt 150. Notandum est tamen, quamdam existere varietatem in iis enumerandis inter hebraicos codices, Versionem τῶν LXX., et Vulgatam. Scilicet Psalmum IX. in duos Hebraei dividunt, uti et Psalmum CXIII. At in unum colligunt Psalmos CIV. et CXV., rursumque jungunt Psalmos CXLVI, et CXLVII., unde tandem Psalmorum summa eadem redit utrinque. Ex Psalmis quindecim dicuntur *graduales* sive *graduum*. Putant aliqui hos sic appellari, quia scandendo 15. gradus, qui ad Templum ducebant, canebantur. Chrysostomus in Psalm. CXIX. vult potius eos ita nuncupatos, quia a Iudaeis e Babylone redeuntibus cantati sunt. Re quidem vera reditus hic ab Esdra *ascensio* dictus fuit (1. Esdr. I. et VII.) Vid. *De' Salmi Graduali Dissertazione* in opere *Salmi Tradotti da Saverio Mattei. T. II. Torino* 1781.

Psalmorum plerique David habent auctorem, quod et tituli eorumdem indicant, et Davidis ipsius titulus, nempe ***Psal-***

(1) *Providens locutus est* (David) *de resurrectione Christi quia... neque caro ejus vidit corruptionem.*

(2) *Posuerunt eum* (Christum) *in monumento... Deus vero suscitavit eum a mortuis... quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit... Non dabis sanctum tuum etc.*

(3) *Postquam... crucifixerunt eum diviserunt sibi vestimenta ejus... ut impleretur quod dictum est per Prophetam: Diviserunt sibi vestimenta mea etc.*

(4) *Milites ergo... acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes etc.)... ut scriptura impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi etc.*

(5) *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis etc.*

(6) *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus etc.*

tes egregius (2. Reg. XXIII. 1.) An vero omnes Davidis opus sint, disceptatur inter Patres. Augustinus cum aliis omnes adscribit Davidi, qui interdum alios inducit loquentes, vel appellat solum in titulo, uti cantus adjutores. Notant Patres hi, Psalmos aliquos, uti secundus, titulo carentes, citari tamen interdum in N. T. ut Davidis Psalmos. Hieronymus et cum eo alii putant, Psalmorum aliquos fuisse elucubratos a Moyse, Asaph, Ethan, Heman, Salomone, aliove, qui in titulis indicatur. Hac de re addunt, 2. Paralip. XXIX. 30. (1) Davidem una cum Asaph laudari ob Psalmos, et aliquos insuper ex his, de rebus agere, quae Davidis tempus subsequutae sunt, uti Psal. CXXXVI. -- *Super flumina Babylonis* etc. -- qui ad captivitatem refertur. Ab Esdra porro, inquiunt isti, fuerunt in unum collecti.

Proverbiorum.

Liber *Proverbiorum*, apud Hebraeos מִשְׁלֵי *Misclè* apud Septuaginta παροιμίαι *Paroemiae*. In hoc post sapientiae praeconium, et exhortationem, adagia multa sine certo ordine digesta referuntur, eaque sunt sive ethica, sive oeconomica, sive politica, sive theologica; et rursus alia sunt didascalica, alia consolatória, alia paraenetica.

Auctor censetur Salomon. Et revera liber incipit — מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה *Misclè Scelomòh Parabolae Salomonis* — Deinde 3. Reg. IV. 32. (2). Salomon dicitur locutus tria millia parabolarum. Sunt tamen qui putent aliquam libri partem viris administris, et sociis Ezechiae, inter quos certe Isaias erat, adscribendam esse. Colligunt hoc ex Proverb. XXV. 1. *Hae quoque Parabolae Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiae regis Iudae.* Sed non satis firmum, ut patet, argumentum hoc est.

Ecclesiastes.

Liber *Ecclesiastes*, idest *concionatoris*, apud Hebraeos קֹהֶלֶת *Cohèleth*, *congregantem* significat. Toto libro concionatur auctor de mundi, deque rerum mundanarum vanitate, et ad earum contemptum homines excitat. Thalmudistae in Tractatu *Barà Bathrà*, Grotius, Neoterici quidam hunc librum Salomoni tribuendum non esse contendunt, eo quod praecipue aliquae voculae in hoc appareant chaldaicae, quae propterea,

(1) *Praecepitque Ezechias ... ut laudarent Dominum sermonibus David, et Asaph.*

(2) *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas.*

juxta eorum sententiam aetatem libri Salomoni posteriorem ostendunt. Ita Grotius quatuor, Iahnius (*Introduct. part. II.*) sex hujusmodi voculas studiose recensent. Sed et communius, et probabilius creditur Salomon hujus libri auctor, quod ex libri initio praesertim conjicitur — *Verba Ecclesiastae filii David Regis Ierusalem.* — Liquet deinde ex pluribus libri locis, characteres Ecclesiastae, sive illius qui in prima persona loquitur, Salomonis proprios esse (I. 12.) *Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Ierusalem.* (XII. 9.) *Cum esset sapientissimus Ecclesiastes.* Ad affinitatem porro sermonum hebraici et chaldaici referendae sunt voces quaedam chaldaicae, quae in hunc librum inductae sunt, cum hebraico sermoni peregrinae voces admisceri incipiebant; quod in aliis locis notant eruditi.

Canticum Canticorum.

Idest nobilissimum Canticum, apud Hebraeos שִׁיר הַשִּׁירִים *Scir Hascirim.* In hoc amoris inter sponsos mutua significatio apparet continua, eaque, allegoria ex nuptiis desumpta, exprimitur. Michaelis post Grotium, teste Alber, in suis adnotationibus asseruit, amorem hic describi obscaenum inter sponsum et sponsam. Iahnius contra vult (*Introd. Part. II.*) castum hic cani amorem utriusque sexus ante matrimonium. Putarunt aliqui, Salomonem ibidem amores suos cum Pharaonis filia indicasse. Quanti porro faciendae sint istae, aliaeque hujusmodi opiniones patet ex Concil. Costantinop. II. (1) et Epist. Pelagii II. Theodorum Mopsuestenum damnantibus anathemate inflicto, eo quod hic quasi delirans pronunciaverit, Salomonem hoc carmine amores suos carnales canere cum uxore sua Æthiopica, vel Ægyptiaca (2). Sanior fuit Hebraeorum sententia, qui sponsi loco Deum intelligebant, sponsae vero Synagogam, cujus electio tamquam desponsatio describitur Ezech. XVI. 8.

Optima vero est eorum sententia, qui sponsi nomine Christum intelligi, Ecclesiam nomine sponsae designari existimant. Ita sentiunt Hieronymus (Epist. ad Paulin.), Augustinus (l. 17. *de Civit. Dei* c. 20.) Ita passim SS. Patres. Sensus hic rationi consonat, quam Scriptura de Ecclesia loquens pluribus in locis servat: (Apoc. XXI. 2. *Vidi civitatem . . . . paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* — (XIX. 7.) *Venerunt nuptiae Agni, et uxor ejus praeparavit se etc.* - - (2. Cor. XI. 2.) *Despondi enim vos uni viro virginem castam exibere Chri-*

(1) *Collat. 4. Art.* 68, 69, 70, 71.
(2) Verba Pelagii sunt · *Cum Theodorus Cant. Canticorum vellet exponere, et non ad commenta, sed potius ad deliramenta laboraret, per hunc librum Æthiopissae Reginae blanditum esse professus est.*

sto. — (Matth. XXII. 2.) *Simile . . . . . . Regnum Coelorum . . . . . . regi, qui fecit nuptias filio suo.* — (XXV. 1.) *Exierunt* (virgines) *obviam sponso et sponsae.*

Et revera in hoc libro interdum sponsa inducitur rustica, interdum principis filia; aliquando soror vocatur; epitheta illi adjunguntur, quae, si de carnali sponsa sermo esset, literalem significationem minime patiuntur, uti nasus instar turris, oculi instar piscinae, etc. Sensus itaque praecipuus hujus libri juxta divinum afflatum mysticus est, de Christo scilicet et Ecclesia. Cum hoc tamen alius congruit sensus mysticus, secundarius quidem, sed magis accommodatitius, de Deipara, ac de anima justa; sicuti cum literali quoque de Salomonis nuptiis significatione cohaerere ille potest, quatenus scribendi occasionem, ut aliqui censent, et allegorias Salomon ex illis desumpserit. *Cum enim* (ait Calmet Proleg. in Cant.) *Constant. II. deliria Theodori Mopsuesteni, ejusque in Cantica commentarium damnavit, quo in opere impius ille omnia ad nuptias Salomonis cum filia regis Ægypti devolvebat; imponendum tantummodo fraenum censuit eorum licentiae, qui totos se ad literalem sensum convertunt, neglecto spirituali, quem maxime quaesitum a Spiritu S. constat. Nunquam tamen rejiciendos, improbandosque censet Patres illos ac Interpretes, qui sensu literali ac historico admisso, spiritalem maxime praeferunt, suamque interpretationem Iesu Christo accommodant.* Hoc idem de Pelagii verborum sensu valere potest. Rectius tamen sensum literalem in hoc Cantico illum esse credimus, qui figuratus est ac metaphoricus, ut in omnibus parabolis; atque solum concedendum esse, hic reperiri grammaticalem quemdam sensum de filia Pharaonis, quatenus ad eam grammatice alludat, ut cum dicit (I. 9.) *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.*

Inquit Hieronymus Prooemio in Comment. Ezech. *Nisi quis apud eos* (Hebraeos) *aetatem sacerdotalem ministerii, idest tricesimum annum impleverit, nec principium Genesos, nec Canticum Canticorum, nec voluminis* (Ezechielis) *exordium et finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam, et mysticos intellectus plenum humanae naturae tempus accedat.*

Stilo dramatico conscriptus est, quo personae loquentes ac veluti agentes inducuntur, et quidem, ut eruditi putant, poetice. Auctor Salomon est, uti ex titulo apparet, et ut omnium consensu confirmatur, solis Thalmudistis et Neotericis aliquibus exceptis, propterea quod voculas aliquas chaldaicas habet, ut supra de Ecclesiaste.

Blaterant increduli contra canonicitatem Cantici Cantico-

rum, quia liber hic, inquiunt, ad amorem incitat profanum, et libidinem spirat. Sed si homines scilicet castissimi Ecclesiae auctoritate et Patrum doctissimorum judicio non moventur, si neque auctoritate Scripturae ipsius, quae variis in locis eamdem adhibet connubii metaphoram, uti Isai. LXII. 5.; Ierem. III., Ezechiel. XVI.; Matth. IX.; 2. ad Cor. XI.; ad Ephes. V.; notent:

1.º Hebraeorum, sicuti aliorum, ruditatem simpliciorem admittere sermonem sine scandalo, uti asiaticus quidam poeta sublimem expressit theologiam stilo poeseos liberioris. Vide Duclot.

2.º Animadvertant, allegorias fuisse Orientalibus usitatissimas, atque hic allegoriam duci a licito et casto connubio. Unde consequitur tantum, caute librum esse legendum, quod omnes concedunt. Vid. Diss. Küstemacher Profess. Munster., et Euphorbum Melesigenicum (qui creditur *Evasio Leone*) *Prefazione alla Versione della Cantica. Parma* 1800.

Enimvero testantur eruditi, etiam nunc Arabes, Indos, caeterosque Orientales de suis rebus mysticis loquentes aut scribentes uti saepissime allegoriis ex vino et amoribus, licet vini usus aliquibus ex illis prohibeatur, sicut Mahomedanis.

3.º Salomonis consilium, ex superius dictis, in hoc libro conscribendo fuisse, ut castissimum Iesu Christi cum Ecclesia et anima justi connubium describeret. Ut ergo recte ille intelligatur, ait Bossuet (*Praefat. in Cant.*): *procul illi, qui terrena sapiunt, animales, spiritum non habentes*; *adsint casti castaeque, qui sanctum amorem spirent.* Carnales enim homines pro spiritu vivificante occidentem literam legent:

Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit.

dixerat jam pridem Horatius.

Duo insuper hic consideranda occurrunt. 1.º Iuxta Hieronymum Salomon videtur in Proverbiorum libro sapientiam docere parvulos, et incipientes: in libro Ecclesiastae virum maturae aetatis, et proficientem: in Cant. Cantic. virum consumatum, et perfectum. 2.º Ex Solomonis libris aliqua reperiuntur in Versionibus, quae in textu hebraico non sunt, eo quod in locis quibusdam paraphrasis potius, quam simplex versio facta esse videatur. Cum porro Vulgata sit authentica ab Ecclesia definita, hinc quae addita in ea apparent, vel fuerunt ab aliis libris canonicis collecta, vel inspirata illis, qui vertentes textum ea addiderunt; vel quae e Textu quidem exciderunt, in Versionibus vero servata sunt.

Sapientiae.

Liber *Sapientiae* tractat de vera Sapientia, ejusque origine, de moribus, operibus, effectibus, et praemiis.

Ex cap. IX. 7. — *Tu elegisti me regem populo tuo.... et dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo* — colligunt Patres multi, Salomonem hujus libri auctorem fuisse, quod confirmant ex eo quod in graecis Bibliis inscribatur liber hic *σοφία Σαλομῶν* — *Sapientia Salomonis* —. Verum alii, et Hieronymus praecipue, Salomoni librum illum non adjudicant, quia veteribus Hebraeis incognitus fuerit, ejusque stilus graecus esse videatur. Probabilius itaque Hieronymus putat eumdem post Alexandrum, cujus successores linguam graecam cum imperio in Iudaeam invexerunt, conscriptum fuisse; et opinantur aliqui auctorem fuisse quemdam nomine Philonis, vel Iesum filium Sirach, qui hoc tempore vivebant. Ita Augustinus (lib. XVII. *de Civit. Dei c.* 20) *Alii vero duo, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo: non autem esse ipsius, non dubitant doctiores.*

At in hac sententia quomodo titulus, qui in codicibus graecis apponitur, a fraude excusatur, cum Salomon ibidem uti auctor citetur? Quomodo supra allati textus cum veritate consentire possunt? Respondent aliqui librum hunc tributum esse Salomoni, eo quod ille liber sensus exprimat, qui Salomonis fuerunt. Sed melius alii ex eo, quod Salomon 3000 parabolas locutus sit, quodque de lignis, de jumentis, de volucribus, reptilibus, piscibusque disputaverit (1), colligunt librum hunc partem fuisse adhuc ineditam illorum, in lucem ab aliquo prolatam, sicuti de quibusdam parabolis factum esse a viris Ezechiae expresse narratur Prov. XXV. 1. (2). Hac autem posita sententia, omnia, ut patet, solvuntur. Fuse de hoc Calmet *Diss. in Sapient.*

Libri scopus fuit, ut observavit Hieronymus, animos Iudaeorum in vexationum aestu confirmare.

Ecclesiasticus.

Liber hic ita appellatur, vel quia in Ecclesia legebatur, uti placet Augustino, vel ad distinctionem simul et imitationem Ecclesiastae, idest Concionatoris. Moralis Philosophia hic velu

(1) *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, ... et disputavit super lignis etc* (3. Reg. IV. 32 33.

(2) *Hae quoque parabolae Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiae regis Iuda.*

ti per axiomata traditur, uberiori tamen modo, quam in Salomonis Proverbiis.

Auctor Ecclesiastici fuit Iesus filius Sirach, civis Hierosolymitanus, qui paulo post Alexandrum vixit, circa Ptolemaei Philadelphi tempora. Colligitur hoc ex titulo σοφία Σειράχ, ex praefatione, et ex cap. L. 29. *Doctrinam sapientiae et disciplinae scripsit in codice isto Iesus filius Sirach Ierosolymita.* Item ex cap. LI. 1. *Oratio Iesu filii Sirach.* Quod si veteres aliqui illum Salomoni tribuerunt, id forsitan in causa fuit, vel quia Ecclesiasticus Salomonem imitatus est, vel quia ex ipso multa deprompsit, vel quia liber hic, utpote *sapientialis* et moralis, Salomonis libris adjungi solet. Vide Augustinum superius citatum.

Prophetae. (Hebr. נְבִיאִים *Nebiìm* vel *Neviìm*).

Etsi Vetus Testamentum omne pro vaticinio haberi possit Novi, illudque figura hujus sit juxta Paullum (1. Cor. X.) ac licet prophetiae nomen, ut alibi docuimus, ad omnia fere trahatur, quae spiritu Dei fiunt, tamen nomen hoc viris quibusdam a Deo inspiratis, ut futura, ac ea potissimum praenuntiarent, quae sub Christo essent ventura, peculiari ratione inditum est. Prophetarum libri horum virorum continent gesta et dicta. In illis duplex saepe habetur sensus; primus rem aliquam prophetis praesentem respicit, alter futuram.

Sexdecim sunt prophetae. Quatuor ex illis majores dicuntur, quia majora illorum gesta ac insigniora fuere, fusioresque elucubrationes; nempe Isaias, Ieremias, Ezechiel, et Daniel. Duodecim minores, nempe Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias.

Notetur 1.° Cum Ieremia jungi solere Baruch, qui illius fuit scriba, quod etiam alibi innuimus; nec non lamentationes, graece Θρῆνους *threnos* de eversione Ierusalem, deque captivitatis luctu.

2.° Oseam omnium primum prophetare coepisse sub Ozia, Malachiam vero oracula postremum fudisse sub Dario Hystaspe Persarum rege; unde Prophetae omnes 300 annor. spatium complectuntur juxta a Lapide, quamvis juxta aliorum computandi rationem spatium illud haud parum augeatur.

3.° Cum singulorum persequi Prophetarum argumenta nimium esset, generatim animadvertere praestat, homines hujusmodi peropportune a Deo temporibus illis fuisse excitatos, quibus tantopere peccabant Iudaei, praecipue schismatis occa-

sione, totque erant clades ab exteris illatae, qui captivos duxerunt populos, et quando Messiae adventus appropinquabat. Quapropter eo tendunt potissimum prophetae, ut peccata arguant, credenda et agenda doceant, utque de Christo futura praenuncient. Singuli Prophetarum libri auctores suos praeseferunt.

De prophetarum libris animadvertendum quoque est, Theodorum Mopsuestenum, Grotium deinde, tandem Neotericos quosdam ita Prophetarum oracula explicare, ut funditus ea destruant; atque ita, quod multorum nunc consilium est, ut in Scripturarum explicatione supernaturalibus rebus via intercludatur omnis. Errorem autem hunc refellemus ubi ex professo de sensibus Scripturae. Hic verba tantum de uno ex adversariorium effugiis faciemus. Prophetae passim ajunt — *Haec dicit Dominus* — aut quid simile, quod juxta nos divinitatem confirmat oraculorum, quae a Prophetis pandebantur. Ast inquiunt illi, (Vide Iahnium *Introd. Part. II.*) hoc solum, multoties saltem, ostendit eos viros ad Deum cogitationes suas referre, et quidquid in ipsorum cadebat mentem tanquam divinae providentiae consentaneum, ab iis veluti Dei vocem pronunciari. Hoc porro futile omnino esse nemo non videt. Nam si quum dicunt Prophetae — *ait Dominus* — re ipsa dominus non esset locutus, a mendacio illi excusari nullo modo possent. Imo signum hoc ipsum Deus per Ezechielem (XIII. 6.) dedit Pseudoprophetarum: *Vident vana, et divinant mendacium dicentes: ait Dominus: cum dominus non miserit eos.... Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? et dicitis; ait Dominus, cum ego non sim locutus*; et per Ieremiam (XXIII. 16.) Deus monet ne verba Prophetarum audiantur, qui *visionem cordis sui loquuntur, et non de ore Domini.*

Obiter monemus legi utiliter posse articulum hunc — *Les propheties confirmées par les decouvertes des voyageurs modernes le plus celebres*, (*apud Ephemerides*: *Annales de Philos. Chretienne Paris. Troisieme Année. T.* 5. *Num.* 25. *Juill.*, *et Num.* 26. *Aout*. 1832.

Machabaeorum.

Machabaeus seu Maccabaeus, juxta nonnullos valet *Quis sicut tu in fortibus Deus*, et derivatur a litteris initialibus quatuor vocum hebraicarum מכבי quae idipsum significant nempe: מִי כָמֹכָה בָּאֵלִים יְהוָה *Mi chamòcha baelìm Jehovàh.* Illud porro uti titulus convenit fortissimis illis viris, de quibus, hic sermo est. Tradunt Hebraei, eam fuisse epigraphem vexillis

suis a Machabaeis appositam ac deprompta ab illo Exodi (XV.11.) *Quis similis tui in fortibus Domine!* Aliis Machabaeus, quod cognomentum proprium Iudae fuit (1. Macb. II. 4.) idem valet ac *Malleus*, *Malleator* sive *Princeps* e vocabulo persico. A Iosepho (*Antiq. lib. XI.*) *Assamonaei* appellantur, qui Machabaei dicuntur. Quatuor habentur libri hoc nomine inscripti, sed duo tantum uti canonici ab Ecclesia accipiuntur. Hisce libris historia resumitur gentis Judaeorum ab Alexandri Magni temporibus, et praesertim inde a persecutione acerrima Antiochi Epiphanis.

Iuxta rerum gestarum ordinem primo loco collocandus est liber tertius, narrans quae populo Dei contigerunt sub Ptolomaeo Philopatore Ægypti rege, et Magno Antiocho rege Asiae. Secundo loco, qui in Bibliis secundus dicitur, gesta Iudae Machabaei cum Antiocho Epiphane, filio Antiochi Magni complectens. Tertium locum obtinet, qui primus dicitur, quia actis Iudae gesta Ionathae, et Simonis fratrum, et successorum Iudae subtexit. Quartum locum sibi vindicat quartus, facta conscribens Ioannis Hircani, qui filius fuit Simonis fratris Iudae. Soli duo medii sunt canonici; inter quos si primum locum tenet, qui juxta ordinem historiae, ex superius dictis, secundus esse deberet, id vel ex eo fit, quod ille magis completam tradat historiam, scilicet usque ad Simonis mortem, in qua, ut ait Sixtus Senensis (*Biblioth. l.* 1. *de libris Machab.*) omnis canonica Machabaeorum historia concluditur; vel ex eo pendet, quod forsitan prius ille quam alter innotuerit, aut saltem prius ut canonicus habitus sit; vel demum ex alia hujusmodi ratione, ob quam mos invaluit, ut primus diceretur; nec consuetudinem hanc gravi sine caussa Ecclesia perturbare voluit. Primus Machabaeorum canonicus liber a quonam fuerit scriptus, incertum. Plerique opinantur, ejus auctorem fuisse Ioannem Hyrcanum filium Simonis fratris Iudae Machabaei. Hic enim Patri successit in principatu, nec non in pontificatu, et omnibus pene Patris, ac Patrui gestis interfuit. Iosephus porro (lib. 1. *contra Appion.*) ait, curam historiae texendae Sacerdotibus vel Pontificibus fuisse datam. Secundi canonici libri auctor censetur Iudas quidam, qui hoc ipso in libro cap. I. 10; et II. 24. dicitur conscripsisse Synagogae Hierosolymitanae epistolas duas ad Hebraeos in Ægypto degentes. Tunc autem Iudas Machab. mortuus erat, unde Iudas hic alius fuit, et a multis ad sectam Essenorum pertinuisse creditur.

Nota. Quae a morte Simonis usque ad Christum evenerunt, per annos scilicet 130 circiter, a Iosepho petenda sunt, qui ex Pontificum Diariis illa excerpsisse creditur.

Libri Novi Testamenti.

Paucis perstringemus quae ad N. T. libros pertinent, cum hi Christianis magis sint noti, magisque familiares.

Evangeliorum.

Liber hic continet quae Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes scripsere, ut Christi verba referrent et acta, quibus Ipse nos redemit, docuitque praecepta ac consilia, ita ut Hieronymus Evangelium appellet *Breviarium* vel *Compendium* totius doctrinae, vitaeque christianae. *Evangelium* εὐαγγέλιον dictum est ab εὖ ἀγγελία *bonum nuntium* relate ad eos, qui Messiam exspectabant; scilicet est *Bonum felixque Nuntium adventus I. C.* Per metonymiam vero significat libros sive historias de adventu, factis et dictis Christi. Singula porro Evangelia suum praeseferunt auctorem.

Cum Evangelia testimonium sint luculentissimum Religionis Christianae, nil mirum, si increduli ex una parte contra eorum auctoritatem magno impetu surrexerint, ex alia Apologistae (quibus accensendus erit merito Graveson *de Annis, et Mysteriis Christi*), eorumdem passim texant apologiam. Prae aliis Evangeliorum osoribus notus est ac cognitus Freret, qui asserit Evangelia innotuisse solum Iustini tempore, qui circa dimidium saeculi secundi floruit. At satis celebris est pariter Spedalieri *Analisi dell' Esame critico di Freret*, ubi et solide et erudite hujus hominis machina confringitur, et Evangeliorum auctoritas egregie demonstratur. Nos praecipua delibantes, ne Biblicarum Institutionum provinciam praetergrediamur, haec breviter adnotamus.

I. Parum obtinerent increduli, si Evangelia non essent *Authentica*, quo sensu liber authenticus dicitur ac genuinus, quando illius est auctoris, cui tribuitur. Etsi enim Evangelia non essent Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis verum opus, adhuc tamen illa *Veridica* essent. Et quidem eorum, quae in Evangelio narrantur, veritatem non id solum ostendit, quod scripta ea fuerint a testibus idoneis, sed insuper 1.° quod doctrina et historia Evangelii eadem sit ac illa, quae continetur in Epistolis Apostolorum Petri, et Paulli; in Actis Apostolicis a Luca conscriptis; in Epistolis Patrum, qui coaevi Apostolis fuere, ac praecipue Clementis, Ignatii, Polycarpi. Haec omnia perpendenti patebunt, ac dilucide ostendit cit. Spedalieri; 2.° quod historia Evangelii tantum abest ut falsitatis ab Hebraeis, Haereticis, et a multis aliis, quibus illa exosa erat summopere, fuerit accusata, quin immo fidem magnam latam-

que obtinuit; ita ut si fabula esset, incredibilius aliquid admittendum foret, tantam scilicet fidem fabellae adhibitam esse. Hujusce fabulae inventor, ajebat vel ipse Rousseau in Aemilio, major esset heroe ipso conficto; 3.º quod ex Evangelistis alius alteri non contradicat, consentiat immo quoad rerum substantiam mirifice, quin tamen conspirationis suspicio appareat ex circumstantiis narrationis, aliorumque; 4.º quod historia eadem cum historicis profanis congruat, adeo ut Iustinus, Tertullianus, aliique ad Romani Imperii annales citaverint fidenter incredulos. Consensionem hanc prae aliis Apologistis exhibet Huet *Demonstr. Evangel.*

II. Evangelia quoque *authentica* esse in eo sensu, ut scripta vere fuerint ab auctoribus, quibus attribuuntur, probatur invicte 1.º ex Patrum testimonio, qui cum Apostolis vixerunt, aliorumque, qui Patribus illis coaevi fuere. Praeter Iustinum, quem Freret ipse adducit, Polycarpus quoque, qui discipulus fuit Ioannis, afferri potest. Nam Iustinus martyrium subiit an. 163., Polycarpus an. 168. Polycarpus autem quomodo fabulam hujusmodi tulisset ac dissimulasset, si ea vere fabula fuisset? Papias Ioannis discipulus de Evangeliis testimonium affert apud Eusebium (*Hist. Eccl. l. 3. c.* 39.); nec non Cajus, sive quis alius Presbyter Romanus, sub finem saeculi II. scribens in fragm. edito a Cl. Muratorio (Dissert. Ant. Ital. T. 3.). De Lucae Evangelio praeterea loquitur perspicue Paullus 2. Cor. VIII. 18. (1), et Ignatius ad Ephes. (2); 2.º ex eo quod Ecclesia uti talia proponat Evangelia. Ecclesiae autem infallibilitatis necessitas, et existentia probari potest aperte, quin ad Evangeliorum auctoritatem confugiatur, sicuti Theologi reipsa demonstrant. 3.º tandem ex eo, quod moraliter fieri non potuisset, ut res haec et apud omnes et semper primis Ecclesiae saeculis fidem esset promerita nisi ita se haberet; quodque demum Evangelia nullam anachronismi suspicionem praebeant criticae severiori.

Actus Apostolorum, Πράξεις τῶν Ἀποςόλων.

Liber hic Apostolorum historiam complecitur a morte Christi per annos circiter 30. Evangelii porro promulgationem ac propagationem primitus respicit, ideoque Ecclesiae quasi infantiam. Lucas Evangelista hujus libri auctor traditur a Hieronymo (*de Scriptoribus Ecclesiast.*), Chrysostomo, aliisque Patribus; et Lucae, qui Evangelium scripserat, quique Paulli comes fuerat, bene omnia quadrant, ac praesertim exordium et stilus.

(1) *Misimus etiam cum illo fratrem; cujus laus est in Evangelio.*
(2) *Ut testatur Lucas, cujus laus est in Evangelio.*

Epistolae Paulli XIV.

Una ad Romanos; duae ad Corinthios; una ad Galatas; una ad Ephesios; una ad Philippenses; una ad Colossenses; duae ad Thessalonicenses; duae ad Timotheum; una ad Titum; una ad Philemonem; una ad Hebraeos. Harum ordo ex dignitate Ecclesiarum, aut illorum, quibus diriguntur potiusquam ex chronologia desumptus est.

Argumentum Epistolarum in genere est, doctrinam et mores docere Christianos, ita ut quaelibet fere epistola constet altera parte dogmatica, altera morali. Quod ad dogmata spectat, tria praecipue inculcat Paullus, nempe a Christo redemptionem omnem, gratiam, et salutem unice repetendam; Legem Mosaicam per Legem novam abrogari; cavendas esse haereses tunc pullulantes. Relate ad mores, Paullus virtutes commendat non per longos sermones, sed per breves sententias, interdum sine ordine, uti veteres Hebraei consueverant: quod liquet etiam ex libris moralibus V. T.

Ex hisce Epistolis, XIII. absque ullo dubio sunt Paulli, cum nomen Paulli initio praeseferant. Decima quarta, quae ad Hebraeos est, hoc nomen non habet; unde S. Hieronymus scribens ad Paulinum, et clarius in Catalogo Scriptor. Ecclesiastic. de Paullo loquens negat, aut valde incertum habet epistolam illam revera esse Paulli. Alii autem negarunt aperte. Plurimorum vero sententia Patrum hanc etiam Paullo attribuit, et Petrus ipse 2. Epist. ad eosdem Hebraeos scribens ait: *Frater noster Paullus scripsit vobis.* Tacuit tamen Paullus nomen suum, vel quia Iudaeis odiosum, vel quia ille non eorum, sed Gentium praecipue Doctor erat et Apostolus.

Epistolae Catholicae, sive *Canonicae*.

Una Iacobi, duae Petri, tres Ioannis, una Iudae. Istae demonstrant, et indigitant fidem, legem, Ecclesiam non aliquibus privatis, sed catholicis ubivis locorum ac temporum; unde et *catholicae*, et *canonicae* dictae sunt. Peculiariter vero Iudas totus est in fide orthodoxa, Ioannes in charitate, Iacobus in oratione, et patientia, Petrus in sanctitate fidelibus commendanda.

Frons epistolae primae ostendit, ejusdem auctorem fuisse Iacobum. Cum vero Iacobus Zebedaei filius ac frater Ioannis, mature fuerit ab Herode occisus, ut ex Act. XII., plerique ajunt, Iacobum hunc fuisse Alphaei filium, ac fratrem Iudae Hierosolymae Episcopum. Sero enim Apostoli scripsere, principio soli praedicationi vacantes. Ex Epistolarum Petri initio, atque ex omnium consensu liquet, Petrum vere fuisse earum

auctorem. Tres alias ad Ioannem reapse pertinere, apud omnes certum fuit semper, idque ex stilo mellifluo, et crebra, quae in illis fit charitatis exhortatione. Postrema, ut ex initio apparet, Iudam certo habet auctorem.

Apocalypsis, Α'ποκάλυψις.

Idest *revelatio* arcanorum, quae Deus Ioanni patefecit in Patmos Insula, quaeque ipse scripsit septem Asiae Episcopis. Usque ad caput IV. Episcoporum, quibus scribebat, et Ecclesiarum mores reprehendit. Deinde res praedicit in Ecclesia futuras, praecipue sub finem mundi. Hieronymus de hoc opere loquens in Epistola ad Paulinum, ait: *Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba.* Ejus initium, et communis Patrum traditio satis ostendunt, Ioannem Apostolum et Evangelistam fuisse hujus libri auctorem. Notandum hic, stilum Apocalypsis ab Evangelii et Epistolarum stilo ob materiei diversitatem differre, et in graeco addi — Α'ποκάλυψις Ιωάννου τοῦ Θεολόγου *Apocalypsis Ioannis Theologi* — ob doctrinae sublimitatem, quam Ioannes hic explicat, non secus ac in Evangelio ab ipso conscripto.

Circa singulorum librorum auctores Tridentini Canon habeatur prae oculis (*Sess.* 4.), ubi non pauci illorum indigitantur auctores. Nobis non admodum immorandum in quaestionibus hujusmodi visum est, de quibus Gregorius in Iob. (c. 1. n. 2.) ait: *Cum ejus rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus, cum scriptorem quaerimus, quid aliud agimus nisi legentes litteras de calamo percontamur?*

Art. V.

Quando, et qua lingua singuli libri sint conscripti.

Quando scripti sunt.

Tempus, quo singuli libri conscripti fuerint ex aetate conjicitur Scriptoris, cui liber quique tribuitur. Quapropter cum notum sit quando vixerint Moyses, Iosue, David, Salomon, Isaias etc., maxime si utamur iis, quae de chronologia disseruntur in altera Institutionum parte, perspicuum quoque erit, saltem plus minus, quando quisque e V. T. libris fuerit exaratus.

Quod ad libros N. T. attinet, opportunum erit, chronologiam vetusta traditione firmatam hic subjicere, et prout ex Eusebio ac Hieronymo, referunt Lamy, et Vitré in additamentis chronologicis.

Scripserunt anno	*a Passione J. C.*	*Ærae Vulg.*
Matthaeus Evangelium	6	39
Marcus Evangelium	10	43
Petrus primam Epistolam, Paullus 1. ad Thessal.	19	52
Paulo post ad Thessal. scripsit Epistolam denuo Paullus.		
Paullus ad Galatas. Lucas Evangelium . .	23	56
Paullus primam et secundam ad Corinthios, nec non epistolam ad Romanos. . . .	24	57
Paullus ad Philippenses, ad Philemonem, ad Colossenses, ad Hebraeos	29	62
Acta Apostolorum	30	63
Paullus duas Epistolas ad Timotheum; unam ad Titum. Petrus secundam	33	66
Epistolae Iacobi et Iudae incertum tempus.		
Apocalypsis scripta fuit	61	94
Ioannes Evangelium	63	96
Ioannes Epistolas	65	98

Nota. Tabula haec supponit Christum natum esse anno 1. aerae vulgaris ac passum anno 33. Ita plures e veteribus cum Dionysio Exiguo, qui, ineunte saeculo VI., aerae vulgaris auctor fuit. At juxta meliores chronologos error annorum quorumdam, puta 4., in hac aera determinanda intercessit; ita ut Christus natus vere sit quadriennio ante annum, qui dicitur primus aerae vulgaris. In epochis ergo superius descriptis aerae ejusdem subducendi sunt e qualibet cifra anni 4., ac proinde sic emendandae:

Matth. Evangelium	6	35
Marc. Evangelium	10	39

Vide Graveson *De an. et myster. Christi Dissertat. VI.*

Qua lingua conscripti.

Quod ad linguam, qua Scripturae Sacrae libri a suis auctoribus conscripti fuerunt, praeter ea, quae superiori articulo obiter indicavimus, praestat et hoc loco V. T. libros a libris N. distinguere. Plerosque V. T. libros hebraice scriptos fuisse unus est Patrum et Eruditorum omnium sensus; idemque a Textu hebraico Protocanonicorum superstite comprobatur. Dicimus porro *plerosque*, non omnes; nam

Chaldaice haec sunt scripta: — Danielis a cap. II. 4. usque ad finem cap. VII.: — 1. Esdr. a cap. IV. 8. usque ad cap. VI. 19.; a cap. VII. 11. usque ad vers. 27. — Ieremiae versus 11. cap. X. — Libri Tobiae, et Iudith. — Cognoscitur hoc partim ex Textu ipso superstite et stilo, partim ex Patrum testimonio, ac praesertim ex Praefationibus Hieronymi.

Syriace vel arabice scriptum colligunt aliqui librum Iob ex modis syris et arabicis, quibus ille scatet, atque ex eo, quod Iob, cui librum non pauci attribuunt, regionem illam juxta eos incoluerit, in qua illae linguae vigebant. Alii putant lingua peculiari Idumaeae librum scriptum esse, ubi scilicet erat terra. Hus, licet alii terram Hus intelligant amoenissimam Damasci vallem, cujus incolae Semitae (Gen. X. 22. 23.) sub nomine Hus commemorantur, et a Ptolomaeo (Geogr. V.) *Uzitae* nuncupantur. Censent tamen alii potuisse ab aliquo, puta Moyse, librum hebraice conscribi, servatis linguae idiotismis, quibus primitus historia a Iob, vel ab alio fuit exarata, vel idiotismis ipsis a Moyse adhibitis, cum in Arabia XL. annos commoratus eosdem ediscere potuerit. Monet hic Sanctius (*Prol. VIII. in Iob.*), sermonem syrum, de quo mentio fit, illum esse, qui Syriae Israelitis proximae fuit proprius, non vero alium, qui postea ex hebraico et chaldaico simul idiomate coaluit post captivitatem, quique veteribus ignotus fuit.

Graece scripta sunt haec: — Sapientia, et II. Machab. — Pars Esther deuterocanonica ex hebraico in graecum translata fuit a Theodotione juxta Origenem Epist. ad Iulium Africanum.

Nota 1.° Quid causae fuerit, cur aliqua scripta sint chaldaico, alia graeco sermone, ex hoc colligitur, quod ille apud Hebraeos captivitatis occasione, iste vero propter Graecorum in Syria, et Ægypto dominationem invaluerit.

Nota 2.° Libri isti, aut eorum partes chaldaico, graeco, aliove, praeter hebraicum, sermone conscriptae, nunc non extant, textu eorum pristino. Si quis videtur exstare, uti liber Tobiae chaldaice scriptus, ille versionem potius reddit criticorum judicio. Textus hi periere, partim quia plerique eorum deuterocanonici apud Hebraeos Palaestinos fuerunt, unde non

magna servabantur cura, et extra canonem illorum erant; partim quia Christiani etiam Palaestini linguam hebraicam pariter et chaldaicam mature cum graeca commutaverunt; partim quia linguae hujusmodi, non statim, sed solum post multum temporis spatium, inter Hebraeos vernaculae factae sunt. Re quidem vera quando vulgaris esse coepit graecus sermo, usitatissima quoque evasit Versio graeca τῶν LXX., uti videbimus deinceps.

Nota demum 3.° Negotium nonnullis facessit, partes librorum aliquas diversa lingua conscriptas esse ac reliquae, quibus libri iidem constant, partes. At rem bene perpendenti patebit, partes illas vel res continere exteris inscriptas, ut in Esther sunt epistolae ad Iudaeos in Palaestina missae, et in Daniele visiones Regis, aliaque, quae utiliter Chaldaeis ipsis innotescere poterant; vel versiones potius esse, uti de versiculo Ieremiae, quem credi vix potest in uno versieulo ab hebraico sermone, quo in caeteris usus erat, recedere voluisse. Menochius tamen opinatur Ieremiam scribere potuisse chaldaice versiculum illum vel ut Chaldaeos ipsamet eorum lingua edoceret, vet ut ipsos, eorumque Deos irrideret. Nonne fit saepe, ut vel in nostris libris aliqua misceantur diversi sermonis?

Novi T. libros omnes latine conscriptos fuisse censuit Harduinus in suo N. T. Commentario: at ipse fuit opinionis hujus sectator primus ed ultimus. Nec immerito sane; ommissis enim aliis, qua de causa juxta hanc sententiam Damasus Hieronymo mandavit, ut codices ex textu graeco emendaret? Communis est Patrum et Eruditorum sententia, uti videre est apud Bellarminum (*De Verbo Dei* lib. 3. cap. 7.) omnes generatim N. T. libros graece fuisse scriptos. Quaestiones tamen sequentes de Evangelio Marci, de Evangelio Matthaei, deque Paulli Epistola ad Hebraeos instituunt aliqui.

Evangelium Marci latine exaratum fuisse putarunt quidam cum Baronio, eo quod Venetiis latinus asservetur codex, qui vulgo creditur autographus Marci, licet erosus ita ille sit, ut legi omnino nequeat. Sed horum opinio haud satis firmo inniti fundamento ostendunt hoc pacto Bianchinius ex litteris Laurentii de Turre, et Dobrowskius in fragmenti illius codicis descriptione. Extabat Aquilejae Codex ms. quatuor Evangeliorum. Ab illo avulsi sunt duo *quaterniones*, in quibus pars Evangelii Marci, et a Nicolao Patriarcha Carolo IV. Imperatori donati, qui illos Pragae collocavit. Reliqui quinque *quaterniones* temporum vicissitudine asportati primum Forumjulii, tandem Venetias, Mocenico duce, translati sunt ann. 1420. Iam vero detectum est, *quaterniones* Venetos unum cum Pragensibus volumen efficere; ex Pragensibus vero adhuc illaesis liquet conti-

neri ibidem Marci Evangelium prout in nostra Versione Vulgata legitur. Nil ergo inde concludi jure potest. Haec ex Alber retulimus.

Quod ad Matthaei Evangelium, Cajetanus, Erasmus, Vizer, multi etiam inter Protestantes censuerunt scriptum illud graece fuisse, idque rationibus infra adducendis. Protestantes porro eo consilio id volunt, ut textui graeco, quem habemus, cuique unice adhaerere cupiunt, Traditionis et Ecclesiae auctoritate rejecta, majus auctoritatis pondus accedat. Plerique vero probabilius credunt, Evangelium illud hebraice conscriptum; nam. 1.° id testantur Patres e primaeva Ecclesia, quando nempe veritas hujusmodi facile constabat. Ita Hieronymus (*Praefat. in Evang. ad Damasum*): *De novo*, inquit, *nunc loquor Testamento, quod graecum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthaeo, qui primus in Iudaea Evangelium Christi hebraicis litteris edidit.* Ita etiam Papias (apud Euseb. *H. E.* lib. 3. c. 39.), Irenaeus (lib. 3. *contra haer.* c. 1.), Augustinus (lib. 1. *de Cons. Evang.* c. 1.). 2.° notat Hieronymus (*Catal. Vir. Ill.*) Matthaeum citare loca V. T. ex textu hebraico, cum alii utantur versione graeca τῶν LXX.

At opponunt 1.° Veteres Patres testimonio Papiae innixos esse qui tamen ab Eusebio traditur mediocris ingenii; quod ex illius de millenario regno opinione confirmatur.

Respondemus, Papiam mediocri licet praeditum ingenio, facile potuisse rem hanc, quae continetur facto, cognoscere. Deinde quomodo probatur Patres omnes Papiae unice inhaesisse? Et sane Hieronymus (*De Vir. Illustr.*) testatur, suis se oculis in Bibliotheca Caesareensi hebraicum Matthaei Evangelium vidisse.

2.° Apud Matthaeum adnectitur interpretatio verborum, quae occurrunt, hebraicorum; quod ibidem agi de aliena lingua ostendit. Ita de Emmanuele I. 23.

Respondemus, interpretationem illam ab Interprete graeco vel latino factam esse, sicuti Hieronymus addidit in Gen. XXXV. 18. de בֶּן־אוֹנִי *Benoni* — id est, *filius doloris mei* — de בִּנְיָמִין *Beniamin* — id est, *filius dexterae* — Exod. XII. 11. de פסח *Phase* — idest, *transitus Domini* — licet liber Genesis aeque ac Exodus certo hebraice sit conscriptus.

3.° Evangelistarum aetate Hebraei omnes graece loquebantur, et hebraica lingua mortua veluti erat. Ergo credi non potest Matthaeum hebraice scripsisse. Sed extinctam tum temporis non fuisse Hebraeorum linguam patet ex eo, quod de Paullo in seditione Hierosolymitana dicitur Act. XXII. 2. *Cum audissent quia hebraea lingua loqueretur ad illos, magis*

praestiterunt silentium. Quinimo quaesivit Tribunus Romanus olim a Paullo (Act. XXI. 37.) num sciret loqui graece? Et revera etiam nunc Hebraei agnoscunt, coluntque hebraicam linguam. Vide de Rossi, *Della lingua propria di Cristo.* Parma 1772.

Quo loco ut fides claritasque superius dictis accrescat, addimus Matthaeum eruditorum judicio probabiliter Evangelium suum scripsisse sermone non quidem puro et veteri hebraico, sed eo, qui Christi tempore in consuetudinem venerat, chaldaicis modis commixto, quemque appellant *Syrum* aut *Hierosolymitanum*, vel *Syro-Hierosolymitanum.* Litteris tamen, juxta Hieronymum, hebraicis Matthaeus usus est, ut apparet ex loc. cit. Praef. ad Damasum; et advers. Pelag. lib. 3. c. 1. ubi de Evangelio Matthaei ait: *chaldaico syroque sermone, sed hebraicis litteris scriptum.* Vide supra ubi de Iob.

De Epistola Paulli ad Hebraeos magis ambigitur. Exaratam illam esse hebraico sermone putarunt Clemens Alexandrinus apud Eusebium (*H. E.* lib. 6.), ipseque Eusebius (*H. E.* lib. 3. c. 38.): Hieronymus etiam (Catal. voce *Paullus*) id ipsum suspicari saltem ostendit; atque ad hoc confirmandum animadverti solet, epistolam hanc ad Hebraeos missam esse, ideoque hebraice conscriptam. At potius graeco sermone scriptam, multi credunt, idque

1.° Quia vel ipse Hieronymus (*Praefat. in Evang.*) ab omnibus N. T. partibus graece exaratis (uti ex ipsius verbis supra allatis) excipit solum Matthaei Evangelium.

2.° Quia eruditorum judicio stilus Epistolae ad Hebraeos disertissimus est, ac magis redolet graecum, quam hebraicum sermonem.

3.° Quia loca in hac Epistola ex V. T. citata juxta graecam Versionem τῶν LXX. semper allegantur, contra id quod in Matthaei Evangelio fit, quod textum hebraeum sequitur juxta superius notata.

4.° Tandem corruere adversariorum argumentum videtur ex eo desumptum, quod Paullus ad Hebraeos scribens hebraice debuerit scribere. Nam ii, ad quos Paullus scripsit iidem sunt, ac illi, ad quos Petrus primam et secundam scripsit Epistolam. Enimvero 2. Petri III. 1. dicitur: *Hanc ecce vobis .... secundam scribo epistolam.* Quare ambae Petri Epistolae ad eosdem datae sunt. Datae sunt vero ad Hebraeos; nam initio primae habetur: *Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, et Bithyniae*, idest Hebraeis dispersis, quibus etiam scripsit Iacobus, ut ex ejus Epistola patet, quorumque, Petrus specialis erat Apostolus. Iam vero ad eosdem scripsit Paullus, ut ex 2. Petri III. 15. apparet: *Sicut et charissimus*

frater noster Paullus .... scripsit vobis, quod de Epistola ad Hebraeos explicatur communius per Interpretes, quam solam dedit Paullus ad Hebraeos, et in qua eadem inculcantur ac in Petri Epistolis.

Hisce positis, dico: Paullus ad eosdem scripsit, ad quos Petrus: Ergo uti Petrus, ita et Paullus graece potuit scribere. Rursus: Paullus uti Petrus scripsit ad eos, qui per Asiae provincias extra Palaestinam dispersi erant: At his familiaris magis erat graecus, quam hebraicus sermo: Ergo ex eo quod Paullus ad Hebraeos scriberet inferri nequit hebraice illum scripsisse.

Proprietates autem graeci et hebraici sermonis, quae in sacris litteris occurrunt, habes in Dissertatione de Idiotismis, secunda Institutionum Parte.

Art. VI.

De Stilo Scripturae Sacrae.

Cum vetus sit, nec paucorum querela de Scripturae sermone rudi ac ineleganti, praestat pauca saltem de illius stilo adnotare, quae e Du-Hamelii Prolegomenis decerpsimus, nec non a Boyle, qui etsi Protestantibus addictus, optime tamen argumentum hoc pertractavit. De hoc multa etiam apud Rollin *Belle Lettere T. 2.*, et aliqua apud Longinum *De sublimitate etc.*

I. Stilus ille contemnendus non est, qui congruentem orationis formam proposito fini seligit. Hujusmodi autem est stilus Scripturae. Ubi enim de sacrosanctis Religionis nostrae mysteriis agitur, propria ac theologica dicendi ratione in Scripturis ea exponuntur, uti in Evangeliis praesertim apparet. Exemplo sit initium Ioannis. Cum Deus leges constituit, ut in quatuor posterioribus Pentateuchi libris, quando nempe sermonis elegantia inutiliter quaeritur, perspicuitas sermonis eminet, elucetque legem dantis majestas juxta materiae convenientiam. Exemplum in Decalogo habemus. Ubi animi ad aliquid inducendi, et permovendi sunt, tum eloquentiam non fucatam, sed veram et divinam prorsus habet Scriptura, ut in Prophetis videre est, et praesertim in Isaia, in Psalmis, in Canticis, in illo praecipue, cujus initium — *Cantemus Domino etc.* — et in Epistolis Paulli.

II. Scripturarum stilus, praeter finis congruentiam, ad personam loquentis quoque accommodatur, nempe est Deo loquente dignus. Earum enim stilus cum simplicitate summa vim conjungit stupendam: ex. gr. *Ibi crucifixerunt eum.* Iungit et summam majestatem, uti: *In principio creavit Deus Coelum*

et Terram: — Fiat lux, et facta est lux; adeo ut inter Dei operationes et Scripturae locutiones mira intercedat tum simplicitatis tum magnificentiae consensio.

III. Scripturae stilus commendari potest rursus ab ejus divina efficacia. Et revera quam pauci alicujus aut philosophi aut oratoris lectione probi facti sunt? Quot e contrario viros probos, sanctos ac martyres, divina aspirante gratia, Scripturae lectio effecit? In profanis scriptoribus materia plerumque sermonis copiae cedit; in sacris contra, vincit orationem materiae dignitas. Id ostendere visus est Paullus (1. Cor. II.) *Et sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis:* et paulo post: *Quae et loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina spiritus.*

At Scripturam accusant aliqui eo quod inutilia quaedam in ea narrentur, uti nonnullae leviores rerum gestarum circumstantiae. Ista vero sunt instar plumarum, quae sagittis aptari solent, quaeque licet non feriant, attamen sagittae in scopum perducendae inserviunt, ejusque dirigunt motum. Praeterea, etsi multa multis videantur inutilia, non tamen id omnibus; nosque ex eis non pauca cognoscimus, quae pium doctumque lectorem monent sapienter. Vide quae dicta sunt de Scripturarum auctoritate.

Accusant alii frequentes repetitiones, sive ταυτολογίαν *tautologiam*; sed haec magnam persaepe habet vim ad res magni momenti inculcandas, atque altius animis imprimendas, fere ut clavus repetitis ictibus altius infigitur.

Alii accusant sermonis duritiem, et inelegantiam. Verum animadvertant hi: non Scripturarum textus a nobis legi, sed versiones, quae multum gratiae et elegantiae amittunt, uti de tabulis non raro fit in archetypi alicujus similitudinem depictis. Sermonis deinde elegantia non eadem est Orientalibus ac Europaeis. Illorum oratio tropica est atque figurata; parabolis abundat; abruptum plerumque est eorum dicendi genus, quod magniloquentiae inservit; quae sermoni desunt, conjecturis supplenda relinquunt; transitiones, ac orationis nexus parvipendunt: hinc ordo interdum minus perspicitur. Ordo tamen, licet occultus, habetur, resque colligatae sunt perinde ac pretiosae gemmae simul junctae per filum interius eas connectens. Eloquentissimi sane sunt Pindarus et Horatius, licet in eorum Odis sermonis contextus difficilis admodum sit: eloquentia scilicet est instar vestium, quae pro varietate rerum, regionum, ac temporum variantur.

Obscuritatem denique Scripturae accusant; sed de hoc, ubi ex professo de Scripturae obscuritate Diss. III.

DISSERTATIO II.

DE TEXTIBUS AC VERSIONIBUS BIBLIORUM.

CAPUT I.

DE TEXTIBUS VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.

ART. I.

De integritate et auctoritate textus veteris Testamenti.

Notandum 1.º Bibliorum editionem, uti cujusvis libri, ea ipsa lingua, iisque verbis, (quamvis characterum *forma* temporis progressu immutari potuerit) quibus fuit exarata, *Textum* appellari. Hic dicitur *autographus*, si illemet sit, quem Auctor scripsit: *apographus* si ab authographo immediate vel mediate sit descriptus. Bibliorum vero editio juxta aliam linguam, sive verba alterius linguae, quae originalem exprimant textum, dicitur *Versio*.

Notandum 2.º dictum jam esse (Dissertatione praecedente Cap. III. Art. 5.) qua lingua textus V. T. conscriptus fuerit: nunc autem inquirendum esse, an textus, quem modo prae manibus habemus, fuerit corruptus.

Notandum 3.º varias esse de integritate textus V. T. opiniones.

Ex Novatoribus multi, quibus recentes Biblici ultro adstipulantur, odio praesertim Editionis Vulgatae, integerrimum illum volunt. Qui tamen omnium recentissimi sunt et textum negligunt, et Deismum tandem profitentur.

Inter Catholicos aliqui, uti Canus (lib. 2. c. 13. *de locis Theolog.*), Morinus (*Exerc. bibl.* 1.), Peyronius (*Défense de l' antiquité* c. 4.), Vossius (*Synt de 70. Interpr.* c. 9.), Salmeron (*in Proleg.* 4.), Serarius (*Proleg.* c. 11.) putant, Scripturarum multa loca studiose fuisse a Iudaeis depravata. Hi vero Patrum testimonio ac Iustini in primis (*Dialog. cum Triphone*), opinionem suam fulciunt.

Alii autem errores solum aliquos leves in textum irrepsisse existimarunt, ita ut nil contra fidem aut mores immutatum fuerit, vel magna quod ad alia inducta fuerit corruptio. Ita prae aliis Bellarminus (de *Verb. Dei* l. 2. c. 2.), Walton

(*Prol.* 7.), Du-Pin (l. 1. c. 4.). Pariter et hi opinionem suam roborant Hieronymi et Augustini auctoritatibus, quas infra adducemus.

Nobis probabilius in primis asserendum videtur, V. T. textum non fuisse substantialiter corruptum juxta sensum paulo ante cum Bellarmino aliisque enunciatum, idque cum allatis Doctoribus probatur hisce argumentis.

I. Praesumpta Scripturarum corruptio vel ante Christum facta fuisset, vel a Christi aetate ad Hieronymi tempora, vel ab istis ad nos. Non primum; quia Christus et Apostoli de hoc nunquam asseclas suos monuerunt, nunquam de hac re Iudaeos objurgavere, immo ipsos saepe saepius ad Scripturas tamquam ad certissimam regulam generatim provocabant. Ita Ioan. V. 39. (1); Matth. XXIII. 1. etc. (2); 2. Cor. III. 15. (3), Act. XIII. 16. etc. (4); speciatim vero Matthaeus semper V. T. loca juxta hebraicum textum citat. Non secundum; Hieronymus enim eodem modo loca V. T. citat et explicat, quo Christus et Apostoli citaverant et explicaverant; qua ex re liquet codices, qui tempore exstabant Christi, eosdem usque ad Hieronymi tempora exstitisse. Deinde inter Hebraeos, qui Christiani facti sunt, fuerunt hebraici sermonis periti, ut de Hegesippo narrat Eusebius (*H. E.* lib. 4. c. 22.) Id ipsum de eodem Hieronymo, de Origene constat, deque tot aliis verisimile est. Hi autem fraudem, si qua fuisset, ex veterum exemplarium collatione detexissent. Tandem si Hieronymi aetate corruptus fuisset hebraicus textus, nullius esset auctoritatis Versio a Hieronymo facta juxta eumdem textum, ac proinde vel ipsa Vulgatae editio ex illa probabiliter confecta, uti dicemus postmodum. Ad horum, quae hactenus dicta sunt, robur audiatur ipse Hieronymus (*Comm. in Cap. VI. Isaiae*): *Quod si aliquis dixerit hebraeos libros postea a Iudaeis fuisse falsatos, audiat Origenem, qui in octavo volumine Explanationum Isaiae huic respondet quaestiunculae, quod nunquam Dominus et Apostoli, qui caetera crimina arguunt in Scribis et Pharisaeis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Si autem dixerint post adventum Domini Salvatoris, et*

(1) *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt, quae testimonium perhibent de me.*

(2) *Tunc Jesus locutus est . . . . . dicens : super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei : omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite.*

(3) *Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses etc.*

(4) *Surgens autem Paullus . . . . . ait : Viri Israelitae, et qui timetis Deum audite : Deus plebis Israel elegit Patres nostros, et plebem exaltavit etc.*

praedicationem Apostolorum libros hebraeos fuisse falsatos, *cachinnum tenere non potero*, *ut Salvator Evangelistae*, *et Apostoli ea testimonia protulerint*, *ut Iudaei postea falsaturi erant.* Neque tertium, idest corruptos libros fuisse temporis spatio Hieronymum inter et nos; nam hoc falsum evincitur ex congruentia, quae apparet Versionis a Hieronymo confectae cum hebraico textu, quem nunc habemus a Iudaeis librariis nostris servatum.

II. Summa tum veterum tum recentiorum Iudaeorum erga Scripturam religio omnem corruptionis suspicionem aufert. E Iosepho enim, ex Rabbinis, aliisque Hebraeorum scriptoribus discimus, Biblia ab illis veluti numen coli, et textum corrumpere, malo quocumque alio pejus dijudicari. Masorethae autem eo usque diligentia pervenerunt, ut versiculos, verba, et litteras cujuslibet canonici libri enumeratas servarent. Hisce positis, quis non videt, fieri omnino non potuisse, ut sive malitia sive ignorantia textus, quod ad substantiam, adulteraretur? Nil ergo mirum, si, referente Eusebio (lib. 8. *de Praeparat. Evang.*), Philo asserat, ne verbum quidem ad sua usque tempora, spatio annorum bis mille in textu mutatum fuisse.

III. Si Iudaei Scripturas adulterare Religionis odio voluissent, certe praecipua sustulissent vaticinia, ac ea maxime, quae Messiam respiciunt. Hoc autem non fecerunt. Constat enim ex Theologia dogmatica, vaticinia juxta hebraicum textum a graecis atque latinis non discrepare, interdum etiam illa Christianis magis suffragari: ex. gr. illud Isaiae (LIII. 4.) *Percussum a Deo et humiliatum*, in hebraeo legi potest: וּמְעֻנֶּה מֻכֵּה אֱלֹהִים *muchèh Elohìm umhunnèh percussum Deum et humiliatum.* In Psal. II. juxta latinos et graecos habetur: *Apprendite disciplinam ne quando irascatur Dominus*: in hebraeo autem est: נַשְּׁקוּ־בַר *Nascekù Bàr osculamini Filium, ne irascatur:* quod est, ut ait Bellarm., invictissimum contra Iudaeos argumentum. Qua de re legatur Augustinus (*de Civ. Dei* lib. XV. cap. 13.) ubi ostendit rem esse incredibilem, Iudaeos codicibus suis eripuisse *veritatem*, ut nobis eriperent *auctoritatem;* eosque late dispersos non potuisse in hoc conspirare.

IV. Illud Dei erga Ecclesiam providentiae haud consonum esse videtur, ut tot illustrium Prophetarum dicta falsari permissum esset; contrarium etiam videtur ejusdem divinae providentiae consilio, ut Iudaei suos circumferentes codices, per totum mundum dispersi, veritati Religionis Christianae testimonium ferrent, ac libros servarent, quibus ipsi revinci possent. Ad rem est sequens Augustini locus (*Enarrat. in* Psal.

LVI.). *Propterea autem adhuc Iudaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas litteras . . . Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos . . . Librarii nostri* (Iudaei) *facti sunt, quomodo solent servi post Dominus codices ferre: ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.*

Objiciunt. I. Multi conquesti sunt Patres, Scripturam a Iudaeis odio Religionis Christianae fuisse corruptam. Ita prae aliis Iustinus (*Dialog. cum Triph.*). Eusebius (*lib. 4. hist. c. 18.*); Origenes (*homil. 12. in Hieremiam*), Chrysostomus (*homil. 5. in Matth.*), Hieronymus (*epist. 89. ad Augustin.*).

Sed respondetur: Verba Patrum, qui citantur, diligentius expendendo apparet nonnullos in primis conquestos esse non de corruptione textus, sed Versionis τῶν LXX. Ita Iustinus (*Dial. cum Triphone*) *Quod illi* (Iudaei) *multos et integros prorsus locos ex translatione eorum, qui cum Ptolemaeo fuere Seniorum sustulerint.... scire vos volo.* Hoc eodem sensu perspicue loquitur Eusebius, eodemque Origenes.

Chrysostomus vero de Iudaeis, vel potius *Iudaizantibus* haereticis, Aquila, Symmacho, Theodotione verba facit, qui Christianae Religionis odio interpretationes comminiscebantur falsas, aut suspectas, et hoc eodem modo loquitur Hieronymus, quem caeteroquin nobiscum sentire ex supra dictis patet. Vide haec omnia apud Bellarminum.

Hac de causa idem Hieronymus ex hebraeo Scripturam vertere voluit, ut restitueret quae Iudaei in Versionibus vel ommiserant vel corruperant, ac (*Praef. in Comm. Isaiae*) aperte eos ridet, qui hebraeos codices falsatos fuisse, uti supra innuimus, putant.

II. Fatentur Iudaei, a sapientibus suis octodecim fuisse in sacris codicibus immutationes peractas, quae in Masora et Thalmud habentur, quasque תִּקּוּן סֹפְרִים *Tikùn Sophrìm*, idest *correctionem Scribarum* vocant.

Respondemus, vel hoc commentum esse, cum in fabuloso Thalmud reperiatur, et cum Epiphanius et Hieronymus Thalmud antiquiores, nunquam *Tikùn Sophrìm* meminerint; vel sermonem ibi de locis, in quibus e duabus lectionibus electa est quae visa est vera. Notetur vero loca ista, uti a Scribis emendata dicuntur, sic quoque in nostra Vulgata legi, sicque a Hieronymo lecta fuisse, ut ipse (*Comment. in Prophet.*) significat. Sunt vero hujusmodi correctiones in rebus parvi momenti, quaeque Religionis substantiam minime attingunt. ex. gr. Gen. XVIII. 22. olim legebatur — *Dominus adhuc sta-*

bat coram Abraham — emendatum est — *Abraham autem adhuc stabat coram Domino* — Num. XI. 15. — *Non videam malum tuum* — correctum est — *non videam malum meum*. Caetera his similia vide apud Walton (*Proleg. 7. Bibl. Polygl.*)

III. Aliqua proferunt exempla, ex quidus diversitas inter Vulgatam et textum apparet. Cum porro Vulgata authentica sit, corruptum fuisse textum evincitur.

Respondemus, diversitates, quae conspiciuntur, aut veram non inducere mutationem, aut eam solum, quam nos ultro fatemur, quaeque cum textus integritate a nobis posita conciliari potest. Quod ut clarius pateat, discrimina, quae notari solent, in varias distinguimus classes:

1.º Aliqua in Vulgata reperiuntur, quae non sunt quidem in eo textus loco, cui respondent, sed in aliis locis textus ipsius occurrunt. Ex. gr Psal. XIII. versiculi aliqui in Vulgata habentur, qui in hebraeo desiderantur; at in aliis Psalmis inveniuntur, et a Paullo (ad Rom. III.) sunt relati. Ecclesia autem noluit antiquum ita legendi Psal. XIII. ordinem perturbare. Haec, ut patet, mutationis nomen vix merentur, sed *accidentales* ad summum mutationes sunt.

2.º Sunt alia, eaque sane multa, quae obscuritate quidem textum involvunt, ac forte diversum primo intuitu praeferunt sensum; sed re diligentius expensa, in idem, ac Vulgata recidunt. Ex gr. Gen. VIII. juxta Vulgatam dicitur: — *corvus egrediebatur et non revertebatur*: juxta hebr. וַיֵּצֵא יָצוֹא וָשׁוֹב *vaietzè iatzò vascòb*, vel *vascòv* — *et exiit exeundo et redeundo* —; sed explicatur volitando circa Arcam, in quam nihil ominus non est reversus. Psal. CIX. 3. juxta Vulg. — *ex utero ante luciferum genui te* — juxta hebr. — מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ *Merèchem mischàr lechà tal jalduthècha*, vel *jaldudècha* — *ab aurora, ab utero tibi ros nativitatis tuae* — quod explicatur ita, ut generatio aeterna ac perpetua asseratur per metaphoram roris foecundantis ac semper virentis. Psal. XVIII. — hebraice יָצָא קַוָּם *jatzà kavàm* — *exivit sonus eorum* — juxta Vulg.; — *delineatio eorum* — juxta hebr., idest coelorum *emanata* ac *directa* pulchritudo. Hic notetur prioris loci interpretationem cohaerere cum Psal. II. ubi diserte dicitur — *genui te* — posterioris vero cum reliquo Psalmo, et cum Paullo Psalmum eumdem Apostolis aptante ad Rom. X Enimvero tam coelestia corpora suo cursu, quam evangelizantium pedes itinere suo, progressu, ac delineatione sonum edunt, qui enarrat gloriam Dei. Vide Lorinum. Praestat autem textum ex ipsius congruenti sensu interpretari, etiamsi propterea minus clare, minusque

commode. Iam vero patet, haec haud vera dici posse discrimina, sed solum textus obscuritatem probare.

3.º Alia vero sunt, quae nullo pacto ab hujusmodi incusatione vindicari possunt, quaeque textus corruptiones reapse ostendunt. Ex. gr. quando in toto textu aliquid deest, quod in Vulgata habetur, cujusmodi sunt verba illa Exodi (II. 22.): *Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis*: quando sensus est omnino diversus, uti Psal. XXI. juxta Vulg. — *foderunt* —; juxta hebr. — כָּאֲרִי *caarì* — *sicut leo* —. Sed haec in primis pauca sunt numero: deinde quaedam ex his sunt aliquorum tantum Codicum menda. Ita Bellarminus ex Rabbinorum testimonio probat in citato loco juxta emendatiores codices legendum esse כָּארוּ *carù*, vel כָּאֲרוּ *chaarù*, idest *foderunt*. Stat ergo ea, quam nos defendimus, textus integritas.

Porro levia aliqua menda, salva fide et bonis moribus, paullatim in textum irrepere potuerunt sequentibus ex caussis. 1.º Ignorantia hebraicae linguae, cujus usus saltem magna ex parte desiit postquam Hebraei in Babylonia chaldaico sermoni assueverant, et postquam Graeci, deinde Romani Palaestinam occupaverant. 2.º Facilitas inter se commutandi varias hebraici alphabeti litteras simillimas uti כב; דר; חה; ון; יו; סם; etc. 3.º Pariter facilitas transiliendi verba, et sententias integras ob similitudinem praecedentium cum sequentibus, quod in chronologicis maxime valet. 4.º Vocalium defectus in hebraico, pro quibus, instituta sunt puncta, quae certe non sunt partes textus, et a quibus simul sensus illius pendet. Exemplum sumi potest ex cit. locis Psal. CIX. ubi vox hebr. יְלִדְתִּיךָ *jeladthìca* significat *genui te*; יַלְדֻתֶךָ *jaldulthècha*, vel *jaldudècha*: *nativitatis tuae*. Psal. XXI. vox *carù* significat *foderunt*; *caarì* vero significat *sicut leo*. 5.º Iudaeorum malitia, qui ex duabus lectionibus eam aliquando eligebant potius, quae minus Christianis favebat. 6.º Praeciso Dei miraculo, vix fieri potest, ut nulla omnino verba mutentur in eo libro, qui frequenter et a multis exscribitur, legitur, confertur, explicatur. Et sane neque textus N. T., neque Vulgata ipsa, uti videbimus, immunes omnino sunt ab hujusmodi mendis. 7.º Ex ipsis accentibus pausantibus, sive interpunctionibus varietas induci potest. Nam juxta illos dissimiliter figitur pausa, ex qua veluti ex commate diversus oritur sensus: ex. gr. Exod. XV. 26. — *Quod rectum est coram eo feceris* — sic interpungi potest, ut sensus sit — *quod rectum est, coram eo feceris*, — vel ita — *quod rectum est coram eo, feceris*.

Objiciunt IV. discrimen inter textum et Versionem τῶν

LXX., quae fidelissime ab hebraeo facta fuit, de verbo pene ad verbum, ita referente Philone (lib. 2. *de vita Moysis*), et Aristea, de quo plura ubi de Vers. τῶν LXX. Cum autem versio haec ab hebraeo nunc in multis discrepet, exinde colligere est, hebraeum esse notabiliter corruptum.

Respondet Bellarminus, contrarium potius inferendo nempe vitiatam esse Versionem, quae authenticitate illa non gaudet, qua Vulgata praedita est. Deinde ait: si textus hebraeus esset adulteratus, ne ipsa quidem Vulgata sincera esse posset, quae, Psalterio excepto, cum hebraeo magis, quam cum graeco congruit. Vide illius Caput de Vers. τῶν LXX. Sed neque ad hoc statuendum, nostra quidem sententia, cogimur. Etenim 1.º Philonis et Aristeae, qui fidelitatem illam summam τῶν LXX. asserunt, auctoritatem tanti ponderis non censemus, cui nemo refragari possit: 2.º Art. 2. Cap. 2. ostendemus, LXX. interpretes in aliquibus rem non omnino attigisse, in aliis paraphrasim potius, quam versionem exhibuisse: 3.º Multis, quae occurrunt, discriminibus inter LXX. et hebraeum aptari possunt quae superius diximus de discrepantiis inter hebraeum textum, ac Vulgatam. Quare et testum et hanc Versionem suae relinquimus integritati.

Art. II.

De Textu Novi Testamenti.

Qua lingua exaratus sit Textus N. T. in praecedenti Dissertatione dictum est. Nunc inquirendum, an textus idem integer sit servatus.

Qui id negarunt et negant, increduli sunt atque gentiles inter quos Celsus id Christianis objecit, teste Origene, uti ex inferius dicendis. Re quidem vera parum proficerent contra Christianam Religionem illi, si textus corrupti forent; probandum enim illis esset, versiones quoque esse omnino adulteratas, vel nunquam fuisse authenticas, ut inde colligerent Ecclesiam Christi vero Dei Verbo carere. Catholicorum tamen omnium una sententia est, N. T. textum erroribus non infici, qui contra fidem, aut mores, vel ex alio capite magni momenti sint, etsi a quibusdam levissimis mendis, quae tamen fidei, morumque substantiam non laedunt, vindicari ille non possit.

Id probatur praecipue eodem fere modo, quo hoc ipsum de V. T. ostendimus. Non minus enim curae et diligentiae in libris servandis, custodiendisque adhibuere Ecclesia Christi, Patres, Episcopi, et Catholici omnes, quam Synagoga et Hebraei pro libris, quos ipsi venerati sunt. Neque minus pariter

Dei providentia Ecclesiam adjuvat nostram, quam veterem. Haec omnia ecclesiasticis historiis confirmantur, quibus evincitur ardens Pontificum, Conciliorum, ac Patrum studium, ut sacrorum librorum pignus sartum, tectumque servaretur; idque nedum quod ad versiones spectat, quibus utimur, sed et quod ad textus, quos saepe consulimus.

Confirmatur etiam ex eo, quod nunquam defuerint, qui data opera insurrexerint contra adulterationes ab haereticis tentatas. Hinc ut monet Bellarminus, teste Tertulliano l. 5. contra Marcionem, ipse quidem Marcion multa corruperat; at fere omnia notat ac repurgat Epiphanius (*Haeres.* 42.) et in nostris graecis Codicibus pura reperiuntur. Ita etiam Ambrosius (l. 3. *de Sp. S. c.* 11.) animadvertit. Arianos ex IV. Ioannis delevisse — *Spiritus est Deus* —. Quapropter corruunt, uti patet, quae Christianis a Celso objecta sunt ex iteratis, ac subdolis haereticorum conatibus ad codices adulterandos; horum enim fraudes irritae factae sunt semper, et injuriae depulsae Ecclesiae, et Ecclesiasticorum hominum zelo. Vide Orig. l. 2. contra Celsum.

Objectant tamen adhuc alia; ac primo referente Victoris Africani Chronico, *jubente Anastasio Imperatore Constantinopoli Evangelia sunt emendata tamquam ab Idiotis Evangelistis composita.*

Respondetur contrarium hoc esse historiae a Liberato Diacono (*Breviar.* c. 19.) relatae: *Hoc tempore* (anno 511.) *Macedonius Constantinopolitanus Episcopus ab Imperatore Anastasio dicitur expulsus tamquam Evangelia falsasset.* etc. Sed data etiam corruptione Constantinopoli conficta, ergone per totum mundum illa facta est? Ergo nullus superfuit e veteribus codicibus?

Plura deinde adducunt Scripturarum loca, ex quibus corruptio ab illis praesumpta apparet. Omnia porro menda, si menda dici possint, vel sunt patentia, vel levia, quae in textum irrepsisse concedendum est, uti diximus de textu V. T. (Vide Bellarm. *de Verbo Dei l.* 2. *c.* 7.). Nos, ut cito ab his expediamur, illa ad duplicem redigimus classem; quarum prima varietatem complectitur, quae interdum textum inter et Vulgatam occurrit, e. g. 1. Cor. XV. 47. dicitur in Vulgata: — *factus est primus homo de terra terrenus: secundus homo de Coelo coelestis*; — in Graeco ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ — *secundus homo Dominus de Coelo* —; ad Rom. XII. 11. in Vul. — *Domino servientes* — in Graecis non paucis codicibus: τῷ Καιρῷ δουλεύοντες *tempori servientes* —; altera iis continetur, quae desunt textui. Hujusmodi sunt prae aliis: historia adulterae, (Ioann. VIII.), caput Mar-

ci postremum. Sunt etiam aliqua, quae redundant in textu, uti orationis Dominicae conclusio (Matth. VI.) — *quia tuum est regnum et potentia etc.* — quae in Versione desiderantur. Fatemur et nos textui praeferendam esse Vulgatam, quae authentica constituta est, quamque patres sequuntur vetustissimi. At dicimus varietates istas deinde fidei, moribusque nihil prorsus officere; illa esse hujusmodi, quae typographorum et amanuensium negligentia, et annorum cursus necessario secum afferunt quodammodo, atque collatis rite codicibus ac Versionibus, et regulis critices sacrae adhibitis, quae ex variis illis lectionibus vera, vel saltem probabilior sit, definiri posse.

CAPUT II.

DE VERSIONIBUS GRAECIS ET ORIENTALIBUS.

Art. I.

§. 1.

Versiones graecae V. T.

A fonte ad rivulos decurrentes, de Versionibus Scripturae Sacrae sermonem aggredimur, postquam de Textibus locuti sumus. Versionum usus duplex est, criticus et hermeneuticus. Criticus in hoc versatur, ut per versionem agnoscamus quid in textu contineatur, vel quaenam inter variantes lectiones eligenda sit. Major autem ad hoc erit versionis fides, si versio non sit ex alia versione confecta, sed ex textu, et quidem puriori, aut saltem illa archetypae alicui versioni magis sit proxima.

Usus hermeneuticus in dignoscendo sensu consistit, quem per versiones facilius consequimur. Ad hoc pariter eo magis conferent versiones, quo antiquiores sunt, cum ita ab aetate minus absint, qua textuum lingua usurpabatur, et quo major intercedit affinitas inter versionis linguam, et sermonem textus, quem sic illa facilius exprimere valebit.

Nunc ad versionum enumerationem deveniemus, et a graecis ordiemur.

Versio antiquior V. T., ut aliqui opinantur, ante imperium Alexandri Magni incerto auctore prodiit, ac florente Versione τῶν LXX. negligi coepit, ac tandem amissa est. Ex ea Plato, ajunt, aliique Philosophi plura hauserunt. De ea multa apud Huet. (*Demonstr. Evang. Pr. IV. c.* 12.). Sed, an revera exstiterit, dubitat Fabricius (*Bibl. Graec. l.* 3. *c.* 12.).

ob monumentorum incertitudinem. Plato vero, aliique multa ex commercio, et collocutionibus cum Hebraeis haurire potuerunt absque libris. Hac ommissa, novem aliae numerari solent. V. T.

Prima est illa τῶν LXX., de qua utpote celeberrima peculiari articulo sermo est habendus.

Secunda est versio ab Aquila primum gentili, deinde Christiano, postea Iudaeo facta, qui tunc demum versionem suam confecit, Imp. Hadriano, plus minus ab anno 90. ad an. 130. aut paullo post.

Tertia Theodotionis ex Catholico, ac deinde Marcionita, proselyti Iudaeorum sub Comodo, qui scripsit primo dimidio saeculi 2.i; citatur enim a Iustino, et Irenaeo. Teste Epiphanio majori fide, quam alii ejus similes, usus est Theodotio, licet Iudaeorum proselytus; ac Daniel juxta illius versionem legebatur in Ecclesiis aetate Hieronymi, uti ipse Hieronymus asserit (*Praef. in Daniel.*, *et Praef. in Iosue.*) Vulgata autem nostra partes Danielis deuterocanonicas e Theodotione versas a Hieronymo adhuc servat.

Quarta est Symmachi, primo Samaritani, vel, ut alii volunt, Ebionitae, ac tandem Iudaeis consociati, sub Severo an. p. m. 208. confecta.

Notamus hic verba Hieronymi Praef. in Iob. *Apud Graecos Aquila, Symmachus, et Theodotio, vel verbum e verbo, vel sensum e sensu, vel ex utroque commixtum, et medie temperatum genus translationis expresserunt.*

Quinta Anonymi Auctoris inventa est in dolio apud Hiericuntem, anno VII. Caracallae, Christi 117.

Sexta auctoris et ipsa anonymi, in dolio pariter apud Nicopolim Epiri detecta anno Chisti p. m. 230.

Praeter hasce duas auctoris anonymi, tertiam aliam similiter anonymam inventam fuisse innuit Hieronymus (*Comment. ad Titum III.*).

Notandum hic est, Origenem ex versionibus supra indicatis conflasse opera illa, quae dicuntur *tetrapla*, *hexapla*, *octapla*. Nam primo singulas paginas divisit in quatuor columnas, in quibus versionem τῶν LXX., Aquilae, Theodotionis, Symmachi collocavit. Haec *tetrapla* sunt. Libros dein perficiens, duas addidit columnas, in quibus textum literis hebraicis et graecis exaravit. *Hexapla* haec appellavit. Adjecit tandem duas alias columnas pro versionibus anonymis, et *octapla* sunt dicta istiusmodi volumina. Alia praeterea anonyma versio in aliquibus Codicibus additur, quod cum eo cohaeret, quod superius diximus fuisse traditum a Hieronymo. Multum enim adlaboravit Origenes ut translatio τῶν LXX. sarta, ac tecta serva-

retur, et ut eadem recte intelligeretur. Laudat eum hoc nomine Epiphanius (*lib. de pond. et mens.*) praeter alios. In Hexaplis vero Origenianis restituendis multi adlaborarunt, ac praecipue Montfauconius.

Septima est Origenis, qui versionem τῶν LXX. emendavit circa annum 245., multis ex Theodotione admixtis, ac notatis.

Octava est S. Luciani Antiocheni Presbyteri ac Martyris, Diocletiani tempore circa an. 300. conscripta, ac intra parietem sub Constantino deinde inventa. Haec quoque emendatio est Versionis τῶν LXX.

Nona Hesychii Episcopi qui versionem τῶν LXX. castigavit, atque Ægypti Ecclesiis tradidit.

De postremis hisce versionibus (seu potius recensionibus) ita loquitur Hieronymus (1.ª *Praef. in libros Paralip.*): *Alexandria et Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam, Luciani martyris exemplaria probat. Mediae inter has provincias Palaestinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt: totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.*

His novem additur ab aliquibus decima, quam nonnulli Hieronymo tribuere, sed melius Sophronio ab aliis tribuitur. Nam Hieronymus graece fidei quidem reddidit N. T., sed Vetus ex Hebraeo transtulit in latinum, atque vulgatam Versionem ad Hexaplares codices reformavit. (Vid. *Apol. advers. Rufin. l. 2. et Prol. Gal.*)

Recensitae versiones caute legendae sunt, cum peculiari non polleant auctoritate, neque ulla gaudeant Ecclesiae definitione, ut Vulgata; cumque ex iis aliae auctores habeant vel Iudaeos vel haereticos, aliae confictae sint ob τῶν LXX. Versionis odium, quae summum obtinuerat usum primis praesertim saeculis, ac parem apud Chistianos auctoritatem.

§ 2.

Versiones Graecae N. T.

Quod ad versiones graecas N. T. cum superius docuerimus Matthaei Evangelium hebraice, aut potius syriaco-hebraice fuisse conscriptum, consequens est, Evangelium Matthaei, quod graece habemus, versionem esse. Hanc Matthaei versionem fuisse exaratam ut plurimum creditur Graecorum commodo, qui inter Christianos adsciti sunt, ac propterea quod Matthaeus ipse

omnium primus Evangelium scripserit. Auctor illius versionis est Iacobus Ap. Minor juxta Synopsim inter Athanasii opera; Ioannes Evangelista juxta Theophylactum (*Praef. in Matth.*); Paullus, Lucas, Matthaeus ipse juxta alios. At Hieronymus (*Catal. Script. Ecclesiast.*) rem prorsus incertam habet. Usus versionis hujus in Ecclesia et apud Patres, ejusdem commendat auctoritatem. Immunis tamen ab omnibus omnino mendis non est, cum interpres non aeque sit divino spiritu afflatus, ut hagiographus, nisi aliud certo constet.

Praeter graecam Matthaei versionem aliae sunt versiones totius Novi Testamenti graeco vulgari sermone exaratae, de quibus nihil hic monendum occurrit.

De omnibus Versionibus hucusque recensitis praeter Bellarminum et Tirinum *in Proleg.* vide Fabricium *Biblioth. graec.*; et Le Long *Biblioth. Sacra.*

Art. II.

De Versione V. T. τῶν LXX.

Ptolemaeus Philadelphus secundus gentis Macedonicae Rex Ægypti ab an. 284 ad an. 297 ante Chr., cum amplissimam Bibliothecam Alexandriae instruxisset, quae, teste Gellio (*lib.* 6. *cap. ult.*), septingenta ferme millia voluminum complectebatur, cumque a Demetrio Phalereo, qui Bibliothecae praeerat, admonitus fuerit volumina apud Iudaeos multa hebraice scripta exstare, quibus ejus populi leges ac instituta continebantur, quaeque Regis Bibliotheca digna essent, Ptolemaeus inquam, Eleazarum Summum Iudaeorum Pontificem scriptis literis rogavit, ut ea monumenta in graecum transferri curaret; atque ut rem Eleazaro gratam faceret, omnes Iudaeos captivos libertate donavit. Hic autem senos per Tribus singulas seniores delegit probos viros, Scripturae ac linguarum peritos, eosque ad Ptolemaeum misit, ut apud eum opus perficerent. A rege illi ad Pharon, quae insula est septem stadiis ab Alexandria dissita, missi sunt, ac versionem compleverunt 73. dierum spatio.

Narrat haec Aristaei, vel Aristeae liber, cujus optima est editio Francofurti an. 1610., et in eo refertur Aristaeum Ptolemaei administrum fuisse, atque ad Eleazarum missum, ut versionem obtineret. Post Aristaeum haec eadem traduntur a Iosepho (*lib.* 12. *Antiqu. c.*2.), et Eusebio (*lid.* 8. *Praepar. c.* 1.) Iustinus vero (*Cohort. ad graec.*) addit LXX. illos sapientes viros fuisse totidem cellulis inclusos, ac a se invicem disjunctos versionem singulos absolvisse tanta consensione, ut una omnium videretur. Epiphanius (*de pond. et mens.*) ait:

A decimo septimo anno Ptolemaei Philadelphi, cujus tempore eodem anno septuaginta duo interpretati sunt, usque ad Cleopatram, anni sunt ducenti quadraginta novem. De hac celeberrima versione erudita multa scripserunt Calmet (*Diss. de vers.* τῶν *LXX.*), Natalis Alex. (*Hist. V. T.* 6.ª *aetate*, *Diss.* 8.), Fabricius (*Bibl. graec. l.* 3. *c.* 12.), aliique.

Scitu necessaria interim attingimus, sequentibus propositis quaestionibus.

Quaeres I. Quid de narrationis superius traditae veritate tenendum?

Respondetur, negari non posse versionem, quae τῶν LXX. dicitur, coeptam saltem esse tempore Ptolemaeorum. Omnia enim inficiari, quae veteres de illa scripserunt ac crediderunt, omniaque inter fabulas amandare haud rationi consonum videtur. Praeterea, ex Prologo Ecclesiastici Huetius Pr. IV. conjicit tempore Evergetis, qui Philadelpho successit extitisse graecam versionem legis, et prophetarum. At de narrationis circumstantiis, idest quando versio illa certo facta fuerit, quo loco, qua ratione, et a quibus, deque aliis hujusmodi, caute ac dubitanter judicium est ferendum 1.° ob diversitatem et repugnantiam, quae in veteribus, non Iudaeis solum, sed et Christianis scriptoribus circa haec invenitur. Consule saepe citatum Fabricium. 2.° Quia Iosephus, aliique historiae Aristaei inniti praecipue videntur. Liber porro Aristaei fabulam multis redolet ab Hebraeis inventam ad gloriam genti suae comparandam. Plures etiam Critici in hac sunt sententia, propterea quod Philadelphi tempore Aristaeus juxta Demetrium ex Ægypto jam esset pulsus, et mortuus; tum propter stilum libelli, et epistolae ad Eleazarum, qui hebraicum redolet sermonem; tum quia Hebraei in Tribus illo tempore non dispertiebantur, nulloque huic rei adjumento fuisset virorum ex omni Tribu delectus. Hieronymus etiam (*Praef. in Pentat.*) animadverit nullum se nancisci argumentum pro cellulis illis a Iustino memoratis; ac alibi (*Praef. in Paralip.*) de iisdem ait: *Quae vulgo sine auctore jactantur.*

Quaeres II. An a LXX. versio facta sit omnium librorum V. T.?

Resp. Hieronymus (*in Ezech. V.*) juxta Aristaeum, Iosephum, et totam Iudaeorum scholam asserit, vel saltem se suspicari ostendit, solum Pentateuchum fuisse translatum. Et re quidem vera non omnes V. T. libri erant tunc in Canonem Esdrae relati. (Vide in Diss. I. de libr. deuter. Cap. III. Art. III.). Communior tamen Patrum sententia vult libros omnes versione illa contineri. Ita prae aliis Iustinus (*Cohortat. ad Graec.*); Eusebius (*l.* 13. *Praepar.*). Imo vel ipse Hiero-

nymus (*l. 2. contra Rufin.*) ait: *Universi tractatus mei horum testimoniis texti sunt*; *commentarii in duodecim Prophetas et meam et Septuaginta versionem edisserunt.* Alibi vero (*Praefat. in Psalmos*) Psalmorum versionem laudat juxta τῶν LXX. versionem. Quis deinde credet Ptolemaeum neglexisse Prophetarum libros? Hisce autem positis, ut initio adductis occurratur argumentis, animadvertitur, 1.° Hieronymum non asserendo, sed dubitando loquutum esse; ex. gr. *Praefat. in Quaestion. hebr.* ingenue fatemur nonnisi aegre posse explicari Hieronymum pro altera sententia. Quod si aliorum librorum versionem appellat aliquando τῶν LXX id forte Hieronymus fecit ut communi inserviret opinioni. Quare Hieronymo ommisso, animadvertitur 2.° in favorem alterius sententiae, aliquos libros (vid. Dissert. supr. citat.) non fuisse relatos in Canonem Hebraeorum, quare ipsi ad graecam versionem non pertinebant; 3.° apud aliquos ambiguitatem ortam esse ex eo quod dicantur translati *libri legis*, idque non ad exclusionem aliorum, sed quia a parte principali omnes denominabantur.

Non incongrue fortasse concludunt aliqui, versionem solius Pentateuchi primitus factam, progressu vero temporis aliorum etiam librorum versiones illi accessisse.

Quaeres III. An vera τῶν LXX. Versio ad nostra usque tempora servata sit?

Resp. Sunt qui putent illam periisse, inter quos Usserius (*Diss. de LXX.*) ait unicum, qui versionis illius exstabat codex, in Bibliotheca Ptolemaei conflagratum fuisse, cum Iulius Caesar Alexandriam expugnaret. Dicunt autem aliam a prima diversam τῶν LXX. versionem evulgari coepisse. Sed plures Usserio adversantur, cum ex una parte vix credi possit unicum fuisse exemplar tam celebris versionis, ex alia auctoritas et usus versionis hujusmodi tum apud Iudaeos, tum apud Christianos suspicari omnino vetant illam fuisse in aliam mutatam. Et revera versio τῶν LXX. integra servata est ad Christum usque et Apostolos; nam, excepto Matthaei Evangelio, in caeteris N. T. libris, passim saltem, citantur loca veteris ex versione τῶν LXX. Rursus loca illa citata cum locis iisdem congruunt, prout leguntur in Codicibus etiam vetustissimis, qui exstant, versionis illius. Ergo usque adhuc conservata est. Hinc Hieronymus, qui Versionem τῶν LXX. *corruptam*, et *violatam* esse dixerat Praef. 1.a in Paralip., testatur Epist. ad Sunniam et Fretellam hoc de versione, quam *communem* appellant Origenes et Eusebius, comprobari; at de versione τῶν LXX., quae in *exaplis* reperitur inquit: — *incorrupta et immaculata Septuaginta translatio* — censeri debet.

Quaere IV. Quid de auctoritate et usu versionis τῶν LXX. sit sentiendum?

Resp. Versionis τῶν LXX. auctoritas magni facienda est, cum antiquitate praecellat aliis; cum a fonte, dum erat purissimus, fuerit deprompta; a viris sermonis hebraici peritissimis confecta; ab Ecclesia graeca unice audita; cum Christi aetate a Iudaeis, ab Apostolis, et ab ipso Christo fuerit adhibita; cum tandem ab illa antiqua latina versio vulgata fuerit expressa, qua occidentalis Ecclesia sex primis saeculis usa est, cujusque pars est Psalmorum, Baruch, Ecclesiastici, Sapientiae, et Machabaeorum versio Vulgatae nostrae inserta. Hinc Sixtus V. in sua Editione ait: *Volumus et sancimus ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem, ut vetus graecum Testamentum juxta LXX. ita recognitum et expolitum ab omnibus recipiatur ac retineatur, quo potissimum ad latinae vulgatae editionis et veterum SS. Patrum intelligentiam utantur.* Utilis ea est ergo ad plura V. T. loca intelligenda partim obscura, partim ambigua in Vulgata; ad dignoscendum, quaenam fuerit Iudaeorum sententia ante Christum de locis V. T.; ad sensus investigandos librorum Novi Foederis et primorum Ecclesiae Patrum, qui exarati sunt eo tempore, quo summus et praecipuus usus erat versionis τῶν LXX.

Ea tamen sapienter uti opus est, variaque, dum ipsa consulitur, prae oculis habenda; ac 1.º confundenda non sunt cum vera τῶν LXX. versione, quae inserta illi fuere ex Theodotione, aliisque; aut quae errata ob incuriam, malitiamve in eam irrepserunt, ut accidit in Textibus; 2.º notandum Interpretes multis saltem in locis, modo explicationem, modo paraphrasim exhibere potius, quam simplicem versionem. E. g. Is. XL. juxta Textum — *videbit omnis caro quod os Domini locutum est* — juxta LXX. — *videbit omnis caro salutare Dei* — Rursus Is. LXX. — *expandi manus meas tota die ad populum incredulum* — juxta LXX. additur — *ad populum incredulum et contradicentem* — 3.º Criticorum judicio, Hieronymi praesertim testimonio (*Epist. ad Sunn. et Fretell.*), praeter nonnulla, quae τῶν LXX. versioni desunt, (ut patet ex Art. de auctore Vulgatae) non semper LXX. rem acu attigerunt, et varia habentur apud eos exempla non accuratae versionis. Ita Gen. XXVI. 32. juxta textum de servis Isaac, qui puteum foderant, dicitur: — *invenimus aquam* — Sed LXX. verterunt — *non invenimus aquam* — per errorem aut falsam lectionem apponentes negationem.

Quamobrem sententia, quam aliqui inter Patres sequuti sunt, hanc scilicet versionem divino afflatu esse factam, uti Augustinus (*lib. 18. de Civ. Dei c. 43.*) aut rejicienda videtur utpote non satis firmis innixa argumentis, aut ita accipienda, ut per amplificationem solum, et peculiarem Dei provi-

dentiam, quae negari non potest, versio illa dicatur a Deo inspirata. Et sane Hieronymus qui Praefat. 2.ª in Paralip. vocat Septuaginta Spiritu Sancto plenos, Praefat. tamen in Pentat. eos dicit inter Interpretes non inter Vates adnumerandos, et in Epistola cit. errores eorum aliquos ostendit.

Bellarminus tamen pluribus probari contendit omnes, qui in versione τῶν LXX. notantur defectus, irrepisse in eam aliorum negligentia, malitia, vel ignorantia; caeterum LXX. interpretes optime transtulisse, prophetas fuisse, habuisse Spiritum S. assistentem, ne qua in re errarent. (Vid. *de Verbo Dei l. 2. c. 6.*).

Quaeres V. Quaenam magis notatu dignae Editiones versionis τῶν LXX. adhuc exstent? Resp. Praeter citatas Art. superiori, Origenis nempe, et Luciani Martyris, celebriores sunt Ximeniana an. 1517. in Polyglottis Complutensibus; Aldina, Venetiis an. 1518.; Sixtina Romana an. 1586. Sixti V. jussu edita. In his aliisque editionibus notamus Versionem Danielis esse e Theodotione. Alexandrina autem Danielis Versio anno 1772. Romae e cod. Chisiano prodiit.

Laudantur etiam mss. Alexandrinum, quod Londini servatur, quodque expressum est in edit. Io. Ern. Grabe, Oxonii 1707-1720. Cottonianum, et Cantabrigense in Anglia pariter et Barberinum Romae, praeter Vaticanum.

Art. III.

Versiones orientales. (1)

Versiones hebraicae.

Evangelium Matthaei (autographi hebraici memoria periit post Hieronymum) in hebraicum translatum, cujusdam anti-

(1) Quaerenti mihi a Cl Mezzofanti, quaenam linguae ac versiones essent *orientales* proprie dictae, respondebat: Lingue orientali, *cioè asiatiche, per essere l' Asia posta a Levante rispetto all' Europa. Queste lingue possono dividersi in diverse famiglie, delle quali additerò le principali. La prima di tutte più cospicua, e che più si deve considerare da noi, è la serie delle lingue Semitiche. Chiamansi così, perchè parlate dai discendenti di Sem, o perchè somiglianti a quelle, che essi parlavano. Prima tra queste è l' Ebraica. Molto ad essa somigliante è la Caldaica antica, nella quale scrissero Daniele ed Esdra. Non molto dissimile è la Caldaica, che abbiamo nelle Parafrasi di Onkelos, e Ionathan. La Siriaca pure ha molta somiglianza con questa, ed in essa abbiamo sì il Vecchio, che il Nuovo Testamento. Non è un puro Caldeo, ma offre qualche differenza, anzi v' ha pure qualche mescolanza di greco. Ciò avvenne per l' influenza grande de' Greci in Siria, allorchè vi regnavano gli Antiochi ecc. dopo Alessandro Magno. Chia-*

quissimi Rabbini opera, uti ex libro liquet, prodiit Basileae per Sebastianum Munsterum ann. 1537. Iterum Matthaei Evangelium hebraicum ex mss. edidit Tillet Episc. Briocensis in Gallia, Paris. ann. 1555. Versio e latino confecta, opus Rabbini cujusdam pariter judicatur a Criticis. Cura Propagandae typis edita sunt Evangelia ann. 1668., quae ex latino in hebraicum verterat Iona quidam ex Hebraeo Christianus, et hebraicae linguae Romae professor. Integrum etiam Testamentum Novum ab Elia Hutero hebraice translatum, typis editum fuit Norimbergae an. 1599.

Samaritana.

Samaritani ex Assyria et Babylonia reduces versionem Pentateuchi, quem veteribus litteris hebraicis (quae nunc Samaritanae appellantur) conscriptum servaverant, quique Pentateuchus dicitur Samaritanus, sibi comparavere juxta eam linguam, cui post captivitatem assueverant, quaeque ex hebraeo sermone potissimum, constat. Si Waltonum audimus, (*Proleg. XI. n.* 20.) non multo post Esdram, et Nehemiam versio illa facta est. Alii saeculo III. aut IV. post Chr. eam assignant. In Polyglottis Parisiensibus, ac deinde in Londinensibus ea versio fuit Samaritano Pentateucho addita.

masi questa lingua Siro-Caldea; credesi che fosse parlata comunemente a Gerusalemme a' tempi del Salvatore, e credesi pure che in questa scrivesse S. Matteo il suo Vangelo. La Samaritana non era distinta in antico dall' Ebraica mentre le Tribù furono unite, e se vi avea qualche differenza, era leggerissima, quale esser suole ne' Dialetti più somiglianti (e. g. *sibolet, e scibolet). In seguito si mescolò moltissimo colla Caldaica, e la Versione Samaritana, che oggi abbiamo del Pentateuco, ci presenta un Caldeo, ovvero un Siriaco, o per meglio dire una specie di dialetto di questi. L' Arabo vince in dovizia ed estensione ogni altra lingua Semitica. Ella è vivente ancora, benchè più o meno ricca, pura, e colta secondo i popoli che l' adoprano negli immensi tratti dell' Asia e dell' Africa, ove sono maomettani. Ha molta somiglianza coll' Ebreo, ma non deve con questo confondersi, nè credere che l' Ebreo derivi dall' Arabo, come se ne fosse un mero dialetto. Ha grande somiglianza coll' Arabo la lingua Etiopica, e per questa somiglianza non è al tutto dissimile dall' Ebraica. Si direbbe che tale non fosse la più antica lingua di quei popoli, ma che in seguito vi fosse recata da Arabe colonie colà stabilite. Ma intorno a ciò leggasi Lodolfo Iob -- Istoria Etiopica. — Capo di gran famiglia tra le lingue d' Asia, è la lingua Sanscritica, morta al pari della Latina, ma da essa derivarono 14. lingue, che si parlano nelle Indie orientali. La lingua della Penisola Malaca ha prodotto quelle, che sono in uso nelle Isole dell' Arcipelago Indiano. La lingua Chinese, la Tartara Manceu, e Tartara Mongolica ecc, non appartengono al nostro instituto, se non in quanto oggidì la Biblica Società traduce in esse il sacro Testo con gran danno de' fedeli, e degli infedeli medesimi.*

Syriacae.

Harum versionum lingua non est vetus Syrorum sermo, sed recentior, ex hebraico scilicet et chaldaico conflatus. Utuntur his etiam nunc Syri illi, qui ad montem Libanum incolunt, ac Maronitae dicuntur. Syriacae Versiones plures sunt. Aliquae enim ex versione τῶν Septuaginta juxta linguam illam elucubratae sunt, quarum una ideo dicitur *Hexaplaris*, altera ***Philoxeniana*** cura Philoxeni Ep. Hierapolitani adornata, alia ***Figurata*** appellatur, utpote paraphrastica. Sed Syriaca versio magis celebris magisque apud Maronitas in usu ea est, quae dicitur ܦܫܝܛܬܐ *Pescitò*, *simplex*, *recta* ob illius simplicitatem, brevitatemque ita syriace nuncupata. Versionem hanc Apostolorum tempore a quibusdam illorum discipulis, aut demum saecul. 2.° factam esse ex constanti traditione apud Maronitas autumant viri docti. (Vid. Walton. *Proleg. XIII. n.* 15.). Vetus, et Novum Testamentum ipsa complecitur, ac Vetus ex hebraico depromptum est, quamvis aliqua conspiciantur ex versione τῶν LXX. Versio N. T. typis primum tradita fuit Viennae Austr. an. 1555. Tota vero (sed aliquibus cum lacunis) in Polyglott. Paris. an. 1645. Accuratius vero omnia edita sunt in Polyglott. Londin. an. 1657. Bellarminus Syriacam versionem laudat (de *Pescitò* videtur loqui), in qua titulis et sectionibus capitum mentio fit jejuniorum, crucis, precum pro défunctis, memoriae Sanctorum et similium, quod mendacii convincit Lutheranos, qui ea tamquam Romanae Ecclesiae traditiones falsas detestantur.

De Versionum Syriacarum, *Pescitò* in primis, aetate, patria, indole et recensionibus (praecipue *Karkaphensi* antea vix de nomine cognita) praeclara nuper protulit Doctissimus Nic. Wiseman (*Horae Syriacae Rom.* 1828. T. 1. pag. 77-257.).

Arabicae.

Plures et istae sunt ex hebraeo. Una Rabbini Saadia Aegyptii Iudaeorum scholae in Babylonia rectoris, confecta circa ann. 900., ét quidem totius V. T. juxta Waltonum (*Proleg. n.* 15.). Pentateuchus editus est Constantinop. litteris hebraicis an. 1546. Versiones istae ad paraphrasim accedunt. Versio charactere hebraeo secunda solius Pentateuchi est anonymi Iudaei africani XIII. saeculi, quam Lugd. Batav. ann. 1622. Erpenius typis edidit. Aliae ex hebraeo versionès arabicae Pentateuchi et Psalterii in quibusdam Bibliothecis Europae servari dicuntur, sed adhuc ineditae. Totius Scripturae, exceptis libris Esther. Iudith, Iob, Machabaeorum II. et III.

versio Arabica habetur in Polyglott. Paris., et accuratius in Polyglottis Lond. adjecto libro Iob. (Vide Walton *Prol. XIV. n.* 17.).

Romae ann. 1671. Propaganda ex mss. atque ex Vulgata concinnavit aliam Bibliorum versionem arabicam.

Sunt et aliae versiones arabicae solius Psalterii.

Quatuor Evangelia arabice edita sunt Romae 1591. et integrum N. T. Lond. 1698.; ab Erpen. 1616.; Lond. 1727.

Aethiopicae.

Translatio ex versione τῶν LXX. facta censetur ante Chrysostomi aetatem, a quo memoratur, (*Homil. II. in Ioan.*) in linguam aethiopicam, quae in Abyssinia, parte Africae, in usu est. Typis tantummodo data sunt in Europa Genesis prima quatuor capita, Malachias, Ioel, Sophonias, Ionas, Ruth, Psalterium, et Canticum Canticorum. Duo hi libri postremo notati habentur etiam in Polygl. Lond.

N. T. editum est Romae 1548., et in Polyglott. Lond. 1657.

Coptica, sive Aegyptiaca.

Ex versione τῶν LXX. deprompta est versio Coptica Pentateuchi saecul. forte II.° aut III.°, et edita Lond. an. 1731. Psalterium Romae an. 1744. et 1749. a Propaganda; Novum autem Testamentum Oxonii an. 1716. edita sunt.

Persicae.

Exstat nunc Persica versio Pentateuchi ex hebr. Iacobi Tawusi Iudaei non ante saecul. IX. exarata, ac typis edita Constantinopoli an. 1546. Alia perhibetur Persica solius Psalterii non antiquior saecul. XVI. Evangelia persice translata Waltonus inseruit Polyglott. Londin. ex antiquo ms.

Armenicae.

Iuxta Moysem Chorenens. (l. 3. *Histor. Armen.* c. 54.), sub Theodosio II. universa Biblia de graeco translata sunt in Armenorum linguam. Auctores habet Isaacum Magnum, et Miesrobum Doctorem, qui in Menologiis Armenis *Sanctorum Interpretum* cognomento nobilitantur. Aliam versionem a S. Ioanne Chrysost. concinnatam refert Georgius Alexandriae Patriarcha (*De Vita S. Io. Chr. T.* 8. *edit. Savill.*) Vide Le-Long. Relatae versiones ad saec. V. referendae sunt. Armenica Biblia edita reperiuntur Amstelodami ann. 1666.; Constantinopoli ann. 1705.; Venetiis ann. 1733. et rursus ann. 1805.

Art. IV.

Paraphrases Chaldaicae.

Rei affinitas postulat ut hoc loco mentio fiat Paraphrasium Orientalium. Paraphrasis enim est latior Textus translatio, et Hebraei, voce chaldaizante, eam appellant תַּרְגּוּם *Thargùm*. Celebres porro sunt sequentes Paraphrases Chaldaicae.

Thargum Onkelos. Iuxta Iudaeos Onkelos coaevus fuit Gamalieli Paulli Magistro (Act. III.). Onkelos dictus est et Aquila. Paraphrasis haec est Pentateuchi.

Thargum Ionathan. Ionathan juxta Iudaeos discipulus fuit Hillelis, qui sub Herode magno vixit; Ionathan cognomen fuit Ben Uzièl. Paraphrasis haec est Prophetarum priorum, et posteriorum, id est Iosue, Iudic., Reg. libr., Isai., Ierem., Ezech. et XII. Proph. Minor.

Thargum aliud tribuunt Iudaei Iosepho caeco, qui Babylone vixit saeculo III., ut ipsi putant. Paraphrasis haec est Psalmor., Iob, Ruth, Esther, et librorum Salomonis.

Thargum aliud Pentateuchi, quod Pseudo-Ionathanis dicitur non ante saeculum VII. vel VIII. scriptum videtur. Recentius adhuc est Thargum Pentateuchi, quod Ierosolymitanum appellatur.

Circa haec aliqua sunt notanda; ac 1.° Paraphrases posterius indicatas uti fortasse similes alias, nullius esse auctoritatis et usus apud nos, cum et voces, et fabellae Thalmudicae, quibus eae refertae sunt, aetatem praeseferant, criticorum judicio, longe posteriorem ea, quae assignatur. Consule Ximenium (*Praef. Complut. Bibl.*) et Bellarm. (l. 2. c. 5. *de Verbo Dei*); 2.° Duas primas Onkelos et Ionathan utiles esse posse, et saepe citari: nam ex una parte apud Iudaeos habentur quasi ut divinae Scripturae, ex alia in iis multa inveniuntur clariora pro Messia, quam in textu: ex. gr. Gen. XLIX. — *donec veniat Schilo* — Onkelos vertit — *donec veniat Messias* —; Isa. IX. — *Pater futuri saeculi* — juxta Ionathan redditur: — *Vir permanens in aeternum Christus* —. 3.° Inverisimile inde fieri, ut duae paraphrases istae merces sint supposititia posterioris aetatis, ut critici quidam putant; nam credi vix potest Iudaeos aut prodidisse aut acceptasse Paraphrases hujusmodi, quae Christianis non parum faverent; 4.° Quod si veteres Patres, ne Origene quidem, et Hieronymo excepto, nunquam harum paraphrasium mentionem fecerint, hoc adscribendum est Hebraeorum studio, qui de rebus suis Christianos celare nitebantur; ex quo etiam fortasse evenit ut Hieronymo opus fuerit *non parvis redimere nummis*, ut ipse narrat (*Praef. in*

Iob), praeceptorem idoneum hebraici sermonis. 5.° Neque Ionathan, neque Onkelos paraphrases ab erroribus immunes omnino habendas esse: re enim vera in Onkelos Pentateucho, qui caeteroquin accuratior esse dicitur, errores aliquos notat Bellarminus (*loc. cit.*). Quare caute haec omnia erunt adhibenda.

Biblia hebr. cum Thargum edita sunt Venetiis per Bombergium 1547; et a Buxtorphio patre Basil. 1618.

CAPUT III.

DE VERSIONIBUS LATINIS ET VULGARIBUS.

Art. I.

De versionibus latinis in communi.

Primum de antiquis, postea de recentibus versionibus latinis sermonem instituemus. Latinae versiones olim innumerae fuerunt, teste Augustino, qui (*de Doctr. Chr. l.* 2. c. 11.) ait: *Qui Scripturas ex hebraea lingua in graecum verterunt numerari possunt: latini autem interpretes nullo modo: ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari.*

Attamen, quae *Vulgata Vetus, Itala, Communis* dicebatur, in usu erat majore ac majore gaudebat auctoritate quod praeter alios Patres docet Augustinus (l. 2. *de Doctr. Christ.* c. 15.) *In ipsis interpretationibus Itala caeteris praeferatur; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.*

Auctor illius incertus est. Suspicatur Calmet (*Dissert. de Vulgata Nova*, ubi plurima sunt de hac Veteri), non unum sed plures fuisse versionis hujus auctores, eamque fortasse collectionem esse versionum cujusque libri, quae magis probatae fuerint. Ex versione τῶν LXX. creditur ea deprompta. Hujus versionis non pauca servata sunt, eaque in Patribus, et quibusdam mss. Multa collegit Flaminius Nobilius, quae sunt a Waltono Polyglottis Londin. inserta. Collectionem auxit Sabatierius, nec non Blanchinius in *Evangeliario quadruplici.*

At latinarum versionum varietas, versionis τῶν LXX., et Vulgatae veteris defectus et corruptio doctrinam et zelum Hieronymi excitarunt, ut ipse egregios susciperet labores ad emendandam, ac perficiendam latinam versionem. Ut Hieronymi utilissimae lucubrationes hujusmodi agnoscantur, multum conferunt tum Praefationes ejusdem, quae in quibusdam etiam Sacrae

Scripturae editionibus reperiuntur, uti in ea, quam edidit Antonius Vitré; tum erudita Natalis Alex. Dissertatio (39., saecul. IV.) de Operibus Hieronymi. Summatim hic referemus Hieronymi laborum seriem atque exitum.

V. T. in primis ex graeco emendavit Hieronymus bis corrigendo latinum Psalterium, deinde caeteros libros. Hujus Hieronymi operis mentio fit etiam ab eodem (l. 2. *contra Rufinum*). Incertum est, an opus hoc mera sit Vulgatae emendatio, an nova versio ex LXX. Probabile censet Natalis Alex. quosdam libros fuisse vere translatos, quod de Psalterio colligit ex Epistola *ad Sunn.*, *et Fretell.*; de Iob ex duabus hujusce libri Praefationibus; de libris Salomonis ex *lib.* 2. *c.* 8. *contra Rufinum*: reliquos porro libros fuisse solum a Hieronymo emendatos. Addimus juxta eruditorum quorumdam observationes, quod Hieronymus Psalterium ad versionem Alexandrinam prius cursim refinxit, deinde diligentius ad textum hexaplarem exegit; idemque praestitit in aliis libris; edidit vero dumtaxat eos, in quos habemus duplices ejus Praefationes.

V. T. Hieronymus idem latine ex hebraeo vertit. Hoc patet ex Catalogo ipsius Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi postremo loco de se loquens ait: *Novum Testamentum Graecae fidei reddidi, vetus juxta Hebraicam transtuli.* Id ipsum patet ex Augustino *de Civ. Dei Lib. XVIII. c.* 43.

De hac Hieronymi versione nonnulla quaeri solent; ac 1.° cur illam Hieronymus susceperit? Suscepisse vero ipsemet respondet ad Augustinum scribens, (qui illum a vertendis libris V. T. dehortatus erat) praesertim *ut scirent nostri quid Hebraea veritas contineret.* Vide Ep. XI. inter Epistolas Augustini. Deinde (*Praefat. in Isaiam*) ait, se ex hebraeo libros vertere voluisse, *ne Iudaei de falsitate Scripturarum Ecclesiis ejus* (Christi) *diutius insultarent.* Septuaginta vero non semper presse et accurate textum hebraicum expressisse notaverat Hieronymus juxta dicta Articulo superiori. Menda quoque illata in versionem τῶν LXX. versionis istius caussam fuisse monet (1.ª *Praef. in Paral.*). Tandem fatetur ille (*Praef. in Pent.*) *Nos post passionem et resurrectionem ejus* (Christi) *non tam prophetiam, quam historiam scribimus, unde multa melius exponi possunt.*

2.° An Hieronymus omnes V. T. libros verterit ex hebraeo? Respondetur. V. T. Libros Protocanonicos latine ex hebraico Textu integre vertit, atque Libros Tobiae et Iudith e chaldaico, et partes Danielis Deuterocanonicas e Theodotione latine reddidit. Minime vero vertit alios libros, id est Sapientiae, Ecclesiastici, Machabaeorum, Baruch, uti etiam Epist. Ieremiae, additamenta ad Esther, et Danielem. Et revera, ommissis

aliis, de horum, saltem aliquorum, auctoritate Hieronymus se dubitasse ostendit (*Prolog. Gal.*, *et Praef. in libr. Salom.*), nec unquam affirmat in Praefationibus se libros eos transtulisse.

3.º An Hieronymi versio latina ex hebraeo caeteris probata fuerit? Colligitur sane ex Praefationibus Hieronymi, praecipue in Iob, obtrectatores non defuisse versionis illius, inter quos Rufinus potissimum. Quinimo Augustinus ipse (*Epist.* 10., *et* 19. *ad Hieron.*) asserit, se in illa versione ob rei novitatem scandali cujusdam periculum agnoscere; quare eamdem quodammodo tunc improbare videbatur. Nihilominus, tempore procedente, haud parum nominis versio illa assecuta est; hinc VI. saeculo Gregorius M. (*Praef. in libros morales*) testatur sedem Apostolicam aeque usam esse Veteri Vulgata ac Nova Versione, quam magna saltem ex parte eamdem esse ac Hieronymi videbimus. Isidorus etiam (l. 1. *Offic.* c. 12. *anno p. m.* 630.) de illa ait: *Cujus editione generaliter omnes Ecclesiae usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis, et clarior in verbis.*

Novum porro Testamentum Hieronymus nunquam vertit, sed repurgavit tantummodo. Colligitur hoc ex Hieronymi verbis supra relatis: *Novum Testamentum Graecae fidei reddidi.* Id vero praestitit Damasi jussu, uti constat ex Praefatione Evangeliorum, quae Epistola ad Damasum continetur.

De hoc pariter Hieronymi opere aliqua inquiruntur: ac 1.º num Hieronymus omnibus N. T. libris manus admoverit? Putant aliqui Evangelia solum fuisse a Hieronymo emendata, cum de illis tantum mentionem ipse faciat Epist. ad Damasum, sive Evangeliorum Praefatione; cumque in Catalogo saepius citato caeterorum librorum emendationem nunquam commemoret. Insuper Evangelia solum recenset Augustinus dum (*Epist.* 10. inferius adducenda) Hieronymum laudat ob N. T. correctionem. Sed probabilius, uti credimus, omnes prorsus N. T. libros ille repurgavit. Nam generatim ait se graecae fidei Novum Testamentum reddidisse. Praeterea, quae causa illum impulerat ad Evangelia repurganda, aeque pro aliis valebat. Tandem Epist. ad Marcell. et variis Comment. emendationes suas innuit Hieronymus circa alios praeter Evangeliorum libros. Quod si ad Damasum scribens Evangelia tantum memorat, id forte ostendit Evangelii emendationem caeteras praecessisse, et forte seorsim editam primum fuisse. Augustinus quoque Evangelia solummodo meminit sive eadem de caussa, sive exempli gratia, uti melius ex responso ad Quaesitum tertium patebit.

Quaeritur 2.º quamnam emendaverit N. T. versionem? Verisimile est, veterem Vulgatam, quam repurgaverat quod ad V. T., ab eo fuisse etiam quod ad Novum emendatam: hac

enim prae caeteris utebantur Christiani, ac si prae eorum manibus aliam ponere contendisset, querimonias non evitasset, quas offendit novam V. T. ex hebraeo versionem evulgans; quod tamen non accidit.

Quaeritur 3.° quomodo fuerit recepta emendatio N. T.? Ex verbis Augustini (*ad Hier. Epist.* 10.) responsum eruitur: *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex graeco interpretatus es, quia pene in omnibus nulla offensio est, cum Scripturam graecam contulerimus.... Et si quaedam rarissima merito movent, quis tam durus est, qui labori tam utili non facile ignoscat, cui vicem laudis referre non sufficit?* Augustinum porro de tota N. T. emendatione loqui colligitur ex Hieronymo, qui eidem rescribens ait: *Si me, uti dicis, in Novi Testamenti emendatione suscipias, exponisque causam cur suscipias etc.*

Latinarum versionum enumerationem rursus aggrediendo, opportunum esset loqui de latina versione Vulgata nova, quae post Hieronymum usurpari coepit, quaeque authentica definita est postea in Tridentino. At cum ea longiorem postulet disceptationem, Articulis insequentibus id reservamus. De caeteris itaque, quae recentiores sunt, nunc agemus, deque catholicis in primis.

Saeculo XV. Eruditi magno exarsere studio latinam linguam ad primaevam puritatem revocandi, atque plures hoc consilio emendati sunt libri, qui sermonis barbariem redolere videbantur. Hac de caussa versio Vulgata non semel fuit reformata. Laurentius Valla omnium primus exstitit, qui criticas notas in N. T. confecit, ut omnia verbis e puro Latii fonte depromptis essent expressa, confecturus etiam integram N. T. versionem, si Romanus Pontifex non obstitisset, ut tradit Erasmus (*Apolog. advers. Petrum Sutor.*). Adnotationes Vallae solum post ejus mortem editae sunt Parisiis an. 1504. cura Erasmi. Iacobus Faber Stapulunsis ad Lutherana dogmata propensus, latinae et ipse puritatis amore ann. 1552. Commentarium edidit in Evangelia, et post annos novem Commentaria item Epistolarum Paulli, integram iis adjungens versionem novam. Vallae et Stapulunsis emendationes haud fuere comprobatae, cum illae sermonis studio minus rectum saepe reddiderint sensum. Plura de illis, aut potius contra illos habet Richardus Simonius (*Hist. Crit. N. T.* c. 21.), qui illud Augustini in Psal. L. meminit. — *Maluit pius interpres minus latine aliquid dicere, quam minus proprie.*

Erasmus N. T. e graeco in latinum vertit, et Basileae Leoni X. dicatum edidit ann. 1516. Opus deinde suum pluries repurgavit evulgavitque, cultiori stilo et ipse studens. Ex.

gr. Ioann. I. — *In principio erat verbum* — juxta Erasmum — *erat sermo* —: Matth. IV. pro — *poenitentiam agite* — scribit — *resipiscite* —, Rom. I. — *cui servio* — ita convertit — *quem colo.* Sensus interim rectitudo damnum passa est in multis criticorum judicio. Hinc Erasmus, qui versionem suam Vulgatae suffectum iri sperabat, contemptum potius offendit sapientum.

Sanctes Pagninus Lucensis Ord. Praed. circa ann. 1528. Novi T. latinam versionem ex graeco, Veteris vero ex hebraico pervulgavit, Clementi VII. dicatam. Felicior habita est V. T. versio. Praestabat enim ille magis peritia hebraici, chaldaici, ac syriaci sermonis, quam graeci. Genebrardus tamen *Praef. in Origenem* (vid. Tir. cum notis) totam Pagnini Versionem accusat, utpote *nimis grammaticam*, quaeque *non satis interdum cohaeret* cum veterum Hebraeorum doctrina, nec cum fidei catholicae mysteriis.

Benedictus Arias Montanus, theologus Tridentini, Hispalensis, Pagnini versionem N. T. perficiens, novam aliam N. T. concinnavit versionem cum Vulgata congruentem magis juxta aliquos. Antuerp. Plant. 1572.

Thomas de Vio Cardinalis, alias Cajetanus, qui obiit. ann. 1534. integrae Scripturae Sacrae versionem confecit latinam.

Isidorus Clarius Brixiensis, Episcopus Fulginatium, aliam elucubravit latinam versionem, Vulgatae adhaerens et Scholia adjungens. Vixit ille saec. XVI. Versio prodiit Venetiis apud Iuntas anno 1542, iterumque an. 1557., et vetita primum, sublatis deinde prolegomenis, ut in ed. an. 1564., permissa est.

Latinae Acatholicorum versiones nunc recensendae sunt.

Tigurina versio latina nomen obtinuit suum a Clero Tigurino, cui dicata prodiit. A Leone Iuda, Zuingliano haeretico pastore, sive ministro, coepta est; deinde quod ad V. T. a Theodoro Bibliandro, et Conrado Pellicano; quod ad N. T. a Petro Cholino, et Rodolpho Gualthero, ex versione Erasmi recognita, confecta est an. 1543.

Francisci Vatabli, Parisiis Profess. linguae sanctae, nomine versio edita est Parisiis ann. 1545., per Robertum Stephanum, celebrem Parisiorum typographum sec. XVI. Versio haec scholiis illustrata fuit. Emendatior in lucem prolata est Salamanticae ann. 1584. Iuvat autem judicium hic subnectere, quod Kortoltus (apud Tir. cum not.) pronunciavit de variis Scripturae editionibus. *Citari solet sub nomine Vatabli non ratione translationis, sic enim Vatablus eam non agnovit, sed respectu adnotationum, quae ex publicis ejus praelectionibus*

excerptae sunt, ut refert ipse Stephanus in Praef. Bibliorum latinorum an. 1557. Versio porro criticorum judicio est ipsamet Tigurina, de qua supra.

Theodorus Beza Calvinista N. T. versionem latinam perfecit, perspicuam quidem et elegantem, sed nihilo minus liberiorem et erroribus sectae imbutam, quae ann. 1556 a Stephano edita est.

Le Clerc latinam versionem cum paraphrasi adornavit, exeunte saec. XVII. ac saec. XVIII. ineunte.

Franciscus Iunius, Emanuel Tremellius, Sebastianus Castalio puritatis latinae cultor eximius, heterodoxi omnes, Bibliorum latinas concinnarunt versiones. Caeteris, quae minus sunt celebres, ommissis, haec duo prae oculis habenda sunt: 1.° Privatorum hominum (cautius autem si heterodoxi sint) translationes adhiberi possunt solummodo ad explicationem Vulgatae (de qua infra), simulque textuum, ac veterum versionum: 2.° De versionibus jam recensitis, aliisque hujus generis, si quid amplius quaeratur, consulendi sunt: Le Long. *Biblioth. Sacr. cur. et emen. Andr. Masch, Halae* 1778.; Simonius *Hist. Crit.*; Walton *Prolegom. in Polygl.*; Andres *Orig. delle Scienze* T. 4.; Brunet *Manuel du Libraire* etc.

Art. II.

De Auctore Vulgatae Novae.

Post Gregorii M. tempora communius in Ecclesia adhiberi coepit latina versio, quam *Vulgatam* appellamus, quamque Tridentinum declaravit authenticam. Haec dicitur aliquando *Nova* ad distinctionem veteris, de qua supra.

De hac, utpote celebriore, variis articulis sermonem discriminatim habere juvat. Versionem istam non esse Hieronymi, sed antiquam Italam suspicantur nonnulli, uti Sanctes Pagninus in Praef. suae versionis. Alii arbitrantur illam promiscue decerptam esse ex Hieronymo et ex Itala; inter quos Bellarminus (*De Verbo Dei* l. 2. c. 9.). Hoc etiam innuit auctor Praefat. quae Vulgatae apposita est in edit. Rom. *Qui namque in ea libri continentur, (ut a majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est) partim ex S. Hieronymi translatione vel emendatione suscepti sunt, partim retenti ex antiquissima quadam editione latina, quam sanctus Hieronymus communem etc.* Hoc ipsum ita probamus partium enumeratione, sicque nostram aperimus sententiam:

1.° Asserendum est probabiliter N. Testamentum Vulgatae ex antiqua versione a Hieronymo emendata, esse depromptum

Hoc probatur ex eo, quod multa loca in Vulgata ipsa legimus, prout Hieronymus in versione illa antiqua corrigenda esse censuit: ex. gr. in Comm. ad c. 2. Matth. ait legi debere: *in Bethlehem Judae*, non *Judeae*: in Epist. ad Marcell. illud ad Rom. XII., — *tempori servientes* — corrigit — *Domino servientes* —. Et revera scimus Hieronymum Damasi jussu emendasse N. Testamentum: scimus hanc Hieronymi versionem plerisque valde gratam et acceptam fuisse, ut etiam ex Epist. 10. Augustini ad Hieronymum constat. Ergo verisimillimum est eamdem fuisse retentam. Confer quae Art. super. dicta sunt de operibus Hieronymi.

2.° Asserendum probabiliter Psalterium Vulgatae editionis non esse ex versionibus Hieronymi vel e graeco, vel ex hebraeo, sed ex antiqua editione, in qua bis ipse elaboravit, ut Psalterium emendaret. Confirmatur hoc ex eo, quod Hieronymi versiones, quae in ejus operibus continentur, cum Vulgata nostra circa Psalterium non congruant, quodque in Epist. ad Sunniam et Fretell. Hieronymus verba ponat communis Psalterii, quae nostro magis consonant. Atque ideo creditur Ecclesiam noluisse novas Psalterii versiones Fidelibus tradere, ne eos a re usitatissima sine necessitate abduceret.

3.° Asserendum pariter, ut probabilius, libros Baruch, Sapientiae, Ecclesiastici, et duos Machabaeorum non esse ex versione Hieronymi, sed ex antiqua translatione. Etenim Hieronymus hos libros vertisse se nusquam monet, nullaque de his Praefatio ejusdem exstat. Vide quae de Hieronymi operibus, superius diximus. Accedit ad hoc quod a Cypriano (*lib. de exhortatione mart.*) aliisque Patribus Hieronymo antiquioribus eo modo libri illi citentur, ac in nostra Vulgata. Partes Danielis deuterocanonicae ex versione Theodotionis depromptae sunt juxta Hieronymum (*Praef. in Dan.*, *et Praef. in Josue*), ut innuimus etiam Art. 1. C. II., ubi de Theodotionis versione. Partes autem Estheris Deuterocanonicas, quas Hieronymus reperit in sola editione Vulgata Veteri, sub finem Versionis suae ex hebraico Textu apposuit, ut ipse monet (*ad Esther X. 3. etc.*).

4.° Asserendum tandem videtur, reliqua omnia Vulgatae esse versionem Hieronymi ex hebraeo. Hoc pacto id probatur.

1.° Hieronymus V. T. ex hebraeo vertit, ut ipse (*Catalog. Script.*) testatur. Omnium primus idem fuit, qui Bibliorum aliqua ex hebraeo in latinum transtulerit, ut colligitur ex ejus Praefationibus, et ex Augustino (*l. XVIII. c. 43. de Civ. Dei*, *et Ep. 8. et 10.*). Post eum non constat, aliud hujus generis opus ab alio, pari saltem celebritate ac plausu, confectum esse. Patet insuper Vulgatam, exceptis libris in As-

sert. 3.ª indicatis, ubique cum hebraeo potius, quam cum graeco consentire. Ergo etc.

2.º Ea omnia, quae Hieronymus in Praef. Pentat., Praef. in Esdram, et lib. de opt. Gen. interpret. dicit in versione τῶν LXX. non haberi, et suae ex hebraeo versioni addidisse, in vulgata reperiuntur: ex. gr. Oseae II. — *ex Ægypto vocavi filium meum —;* Zach. XII. *Aspicient in me, quem transfixerunt.* — Isaiae LXIV. *Oculus non vidit Deus absque te, quae praeparasti expectantibus te.*

3.º Item illa, quae ipse transtulit aliter, quam LXX. verterunt, sic etiam in Vulgata leguntur: ex. gr. Gen. II. — *complevit Deus die sexta opus suum* — juxta LXX.; ipse corrigit — *die septima* — etc. Ita Hieronymus *Quaest. hebr. in Gen.*

4.º Singulis Vulgatae libris appositae legebantur Hieronymi Praefationes. De hisce Praefationibus a se exaratis, et suae ex hebraeo versioni additis loquitur ipsemet Hieronymus *Epist. ad August.* 89., quae est 11. inter Epistolas Augustini. Hae vero Praefationes, quae in antiquioribus editionibus habentur, Romanae editioni sub Clem. VIII. desunt; at permissum fuit, ut diverso charactere impressae in postremum adjicerentur, sicuti ex Praef. de editione Romana colligitur. Hinc in editionibus nonnullis adjectae leguntur, ut initio editionis Ant. Vitré, quod etiam superius indicavimus.

Objiciunt porro aliqui multa Vulgatae loca, quae a Textu hebraico, et a Hieronymi translationibus discrepant. At respondemus generatim cum Bellarmino, discrimina haec proficisci partim a librariorum incuria, de qua saepe dolet Hieronymus in suis Praefationibus, partim a recensionibus, et correctionibus Vulgatae novae post Hieronymum factis; partim denique ex eo, quod Hieronymus non raro eumdem locum, et aliquando etiam sententiam mutet. Vide Bellarminum loc. cit.

Objiciunt etiam *asteriscos* et *obeliscos*, quibus usus est Hieronymus, quique in nostra versione non sunt. Sed notandum, illis Hieronymum usum esse in emendatione, quam confecit, V. T. ad codices Hexaplares, non in versione sua e Textu hebraico, ex qua in plerisque constat Vulgata nostra. Quod autem vel in libris illis non appareant, qui ex Hieronymi correctione sunt, hoc typographis tribuendum est, uti simili de caussa negligi coeperunt Hieronymi tempore; quod patet ex ejus Epistola ad Sunniam, et Fretellam.

Art. III.

De auctoritate vulgatae.

Praenotandum 1.° authenticitatem (ut diximus Dissert. I, ubi de Scripturae loquebamur auctoritate) sumi posse duplici sensu; scilicet vel quaetenus liber, qui authenticus dicitur, genuinum sit opus illius, cui tribuitur; vel quatenus auctoritate gaudeat ad fidem faciendam iis rebus, quas continet juxta materiam suam, et scopum. Posteriori hoc sensu, quem in praesenti consideramus, lex dicitur authentica, si ab eo lata sit, qui auctoritate polleat; historia authentica, si gesta narret fideliter. Hoc eodem sensu Scriptura probata a nobis est authentica ex eo, quod recta et vera contineat, idque non solum propter humanam, qua gaudet, auctoritatem, sed et propter divinam ex eo manantem quod sit verbum Dei. Iam vero ex hoc consequitur apographa esse authentica, si cum autographis consentiant; unde tandem intelligitur authenticitatem versionis in hoc consistere, ut cum vero textu conveniat.

Praenot. 2.° versionis authenticitatem aliam *intrinsecam*, *extrinsecam* aliam esse. Prima in eo sita est quod congruat cum Scriptura originali quod ad res et sententias; altera in congruentiae ejusdem certo ac legitimo testimonio, sive declaratione consistit.

Hisce positis, asseritur 1.° Vulgatam esse authenticam intrinsece.

Argum. I. Iam inde ab annis mille et amplius, idest a Hieronymo saltem, Ecclesia latina universa versione hac usa est. Usi sunt SS. Patres, Concilia, Pontifices, Concionatores omnes. Hoc ex historia clarissime patet. Ergo vel isti errarunt quod nefas est dicere, vel illa est authentica.

Argum. II. Hebraei juxta eorum linguam Scripturam habuerunt authenticam; habuerunt etiam Graeci tum authenticam versionem τῶν LXX., tum N. T. textus. Ergo aequum fuit, ut Ecclesia latina, in qua Petri sedes est, sua lingua authenticam haberet Scripturam. At nullam universim acceptam a tot saeculis praeter Vulgatam habuit. Ergo etc.

Argum. III. Rara est ac difficilis summa hebraici sermonis peritia, et etiam rara fuit olim graeci, ut ex historia Concilii Ariminensis conjici potest. Ergo male provisum esset Ecclesiae latinae, si haec de rebus gravibus fidenter consulere non posset latinam editionem, sed ad hebraeos aut graecos fontes confugere deberet.

Asseritur. 2.° Vulgatam extrinsece quoque esse authenticam. Nam ejus consensio cum originali Scriptura per legitimam

et *infallibilem* Ecclesiae auctoritatem comprobata est, ex decreto scilicet Conc. Trid. Sess. IV.: *Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, Sacrorum Librorum, quaenam pro authentica habenda sit innotescat, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.*

Eadem sessione post recensitum Catalogum Librorum Canonicorum haec habet: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout ab Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit.*

Argumentis hactenus adductis ad probandam Vulgatae tum intrinsecam tum extrinsecam authenticitatem, addere praestat Protestantium bene multorum pro illa testimonia luculentissima. Vulgatam enimvero laudant Lutherus (in *Praef. ad Comment. de noviss. verb. David.*) Pellicanus Conradus (in *Praef. in vers. et nov. Comment. Psalter.*) Ambo Osiandri Pater nempe et Filius (apud le Long. *Bibl. Sacr.* T. 1. c. 4. pag. 767-772.) Theodorus Beza (apud Richard. Simon. *Histoire Critiq. du nouv. test.* c. 25.) aliique bene multi, quorum et verba ipsa refert Cl. Brunati in eruditissima sua de Vulgata Dissertatione inferius citanda. Nobis interim sufficiat Davidem Michaelem afferre, qui (*Suppl. ad Lex. Hebr.* P. III. pag. 992. et *Bibl. Or.* T. XXI. n. 311., *Introd. ad N. T.* c. VII. Sect. XXX.) sic loquitur: *Praeiverat Vulgata male deinceps aliis neglecta, cum sit Versionum una omnium praestantissima.... Ipsi enim auditores mei tam Protestantes, quam Pontificii, facile recordabuntur quantopere ego Vulgatae usum tum criticum, tum exegeticum commendem, ejusque contemptum vituperem.*

Asseritur 3.° Vulgatam ita esse a Tridentino uti authenticam declaratam, ut nihil de authenticitate, quae textibus sit propria, pronunciaverit.

Argum. I. Hoc ex allatis Concilii verbis liquet, in quibus nulla fit mentio textuum, sed solum latinarum versionum.

Argum. II. Colligit Concilium Vulgatae authenticitatem ex longo Ecclesiae usu. At Ecclesia nunquam Vulgatam sic venerata est, ut eam anteponeret textibus hebraicis et graecis; nisi ad summum hoc sensu, quod non ita certi sumus de horum textuum incorruptione, uti de veritate versionis Vulgatae.

Argum. III. Ex eo quod catholica Ecclesia non solum a-

pud Latinos sit, sed et apud Syros, Armenos, Arabes, Graecos, quae nationes Scripturis ex parte originalibus, et in linguas proprias translatis utuntur.

Argum. IV. Ex actis Concilii, atque ex testimoniis, quae sequuntur. Salmeron, qui Theologus fuit Tridentini (*Proleg.* 3.) ait: *Nihil enim ibi de exemplaribus aut graecis aut hebraicis agebatur. Tantum inter tot editiones latinas, quot nostra saecula parturierant, quaenam ex illis praestaret sermo erat.... Liberum autem reliquit* (Concilium) *omnibus qui Scripturas profundius meditantur, fontes graecos aut hebraeos, quatenus opus sit consulere.* Idem testatur Vega alter e Concilii Theologis; Pallavicinus (*Histor. Concil.*); Bellarminus (l. 2. *de Verbo Dei* c. 10.); tandem Rugerius Secretarius Apostol. (lib. *de Script. Canonic.* c. 44.): *Cujus piae aures ferre poterunt hebraicam editionem a Spiritu S. iisdem verbis dicatam, a prophetis conscriptam, ab Esdra restitutam, a Christo recitatam, explanatam..., a qua omnes editiones, velut parente et fonte suo, fluxerunt, correctiones derivantur, et discrepantiae, librariorum culpa exortae, saepius sublatae sunt, nunc explosam, et damnatam esse?*

Argum. V. suppeditat Praefatio Vulgatae, cujus haec sunt verba: *Pius IV..... demandavit ut Vulgatam editionem latinam, adhibitis antiquissimis codicibus MSS., inspectis quoque hebraicis, graecisque Bibliorum fontibus.... accuratissime castigarent:* tantum abest, ut fontes hebraeos graecosve Ecclesia reprobaverit. Quibus vestigiis, juxta Praef. eamdem inhaeserunt qui Pium IV. sequuti sunt Pontifices, qui de accuratissima Vulgatae editione paranda fuere solliciti.

Quaeres 1.° An Vulgata ita sit authentica, ut non solum in rebus omnibus ad fidem, et ad mores pertinentibus, et in iis, quae sunt alicujus momenti, Scripturae originali consentiat, sed etiam ut in omnibus vel levissimis, nullius falsitatis revinci possit, et Scripturae originali omnino respondeat? Negant hoc theologi aliqui, et huc tandem respicit *Diatriba Ecclesiastica circa Tridentinum Decretum de Vulgata Bibliorum editione*, Cabassutii (*Notitia Conciliorum*) simulque *Dissertatio*, quam Bellarmini nomine ex MSS. in lucem protulit Windenofer an. 1749., quaeque Prolegomenis Tirini recentis editionis est inserta. Contrarium tamen tuetur Antoine (*Theolog. Specul.*) ejusque sententia nobis magis arridet. Nam 1.° Si Concilium declaratione sua nullam inducit distinctionem, cur nos distinguere debemus? 2.° hoc semel concesso, ut a Vulgata recedere possimus quoties de re gravis momenti non agitur, quot dubitationibus pateret locus, ac quale in discrimen Vulgata ipsa vocaretur, scilicet paullatim tota illius nutaret auctori-

tas, sicuti in I. Dissert. diximus de Inspiratione Divina, si haec quibusdam solum Bibliorum partibus, non omnibus tribuatur. 3.° errata, quae objici solent Vulgatae versioni, vel talia sunt contra grammaticae regulas, vel contra elegantiam, perspicuitatem, et minutam congruentiam verborum constructionis cum originali, vel in omnibus melioris editionis exemplaribus non inveniuntur, ut videre est in singulis locis apud commentatores, vel tandem sunt librariorum, vel typographorum menda. Quod si forte in quibusdam discrimen quod ad sensum Vulgatam inter et textum apparet, suspicari prudenter possumus, mutatum potius esse textum, cum hic corruptioni facilius obnoxius sit, ut liquet ex iis, quae de textibus diximus, neque gaudeat ea authenticitate qua Vulgata nostra pollet. Vide inferius: *Quaeres 4.°*

Quaeres 2.° an versio Vulgata divinitus fuerit inspirata? Resp., id quidem asserere Morinum (*Exerc. Bibl.* l. 1. c. 12.); at argumenta deesse nobis videntur satis valida ad id propugnandum: nec tamen inficias ibimus, speciali Dei providentia illam effici potuisse, ut scilicet Ecclesiae ejus suppeteret versio authentica.

Quaeres 3.° quandonam ad Textus, vel ad graecas versiones, salva Vulgatae auctoritate confugere liceat? Resp. in primis: Si de locis illis agatur, in quibus menda quaedam evidenter appareant typographica, haud multum erit pro Vulgata dimicandum, quae in hisce non est uti authentica definita: igitur ad textus, et ad graecas, caeterasque veteres probatas versiones confugere nobis integrum est. (Exempla vid. apud Bellarm.) Praeterea textus et graecas versiones consulere saepe licebit ad explicandam Vulgatam, cujus auctoritas hac de causa non contemnitur, sed potius confirmatur. Nam aliquando fit, ut codices vulgatae inter se discrepent, sicuti Ios. XI. 19. — *non fuit civitas, quae non se traderet* — juxta alios codices — *quae se traderet* —. Textus porro secundam praefert lectionem. Aliquando sententia in Vulgata est anceps, ut illud Gen. — *maledicta terra in opere tuo* —; quod referri potest tum ad terrae cultum, tum ad Adae peccatum. Postremum hoc clare exhibet textus. Aliquando etiam vocabulorum vis a phrasi textus pendet, ut Exod. I. 21. — *aedificavit illis* (obstetricibus) *domos* — hoc loquendi modo hebraeus indicare vult foecunditatem, et filiorum copiam. Hac ratione, ut patet, Vulgata non negligitur, sed majorem in lucem profertur.

Quaeres 4.° An Vulgata servata sit incorrupta? Ut apte respondeam noto, Concilium Tridentinum, dum Vulgatam authenticam definierat, animadvertisse editiones Vulgatae, quae tunc temporis exstabant, emendatione indigere, quam Concilium

ipsum faciendam decrevit. Constituta ad hoc Cardinalium, aliorumque Congregatione, plurium annorum cursu emendatio peracta fuit, et opus Sixto V. regnante typis excusum est. Sed antequam illud in lucem emitteretur necessitas emendationis ulterioris fuit detecta, novoque examini Vulgatae editio subjecta fuit. Prodiit tandem Vulgata magis magisque emendata tempore Clementis VIII. haecque illa est Vulgatae editio, cui nunc catholici quique conformare se debent, utpote soli, quam magis accuratam Christi Ecclesia adhuc exhibuerit. Correctiones in Vulgata perfectas, recognitas et approbatas a Sixto V. et Clemente VIII. collegit Luca Brugensis peculiari libello. Ne tamen editionem, omnibus licet aliis puriorem, immunem esse credideris a naevis quibuscumque. In primis enim in praefatione apposita editioni absolutae auctoritate Clem. VIII. haec leguntur. ,, *In hac pervulgata Lectione, sicut nonnulla consul- ,, to mutata, ita etiam alia, quae mutanda videbantur, con- ,, sulto immutata relicta sunt; tum quod ita faciendum esse ,, ad offensionem populorum vitandam Sanctus Hieronymus ,, non semel admonuit; tum quod facile fieri posse credendum ,, est, ut majores nostri, qui ex Hebraeis, et Graecis Lati- ,, na fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum ,, habuerint, quam ii qui post illorum aetatem ad nos per- ,, venerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem descri- ,, bendo minus puri atque integri evaserunt; tum denique Sa- ,, crae Congregationi amplissimorum Cardinalium, aliisque ,, eruditissimis viris ad hoc opus a Sede Apostolica delectis, ,, propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel ,, antiquam interpretem ulla ex parte corrigere, vel emenda- ,, re; sed ipsam veterem ac vulgatam Editionem Latinam, a ,, mendis veterum librariorum, nec non pravarum emendatio- ,, num erroribus repurgatam, suae pristinae integritati ac pu- ,, ritati, quoad ejus fieri potuit, restituere, eaque restituta, ,, ut quam emendatissime imprimeretur juxta Concilii Oecu- ,, menici decretum, pro viribus operam dare* ,,. Praeterea Cardinalis Bellarminus, qui unus e Correctoribus fuerat, litteris, quas ad Brugensem scripsit, diserte fatetur: *scias velim, Biblia Vulgata non esse a nobis accuratissime castigata*, cujus rei causas assignat easdem, quae in Prefatione, de qua superius, indicantur. Nil itaque mirum si Brugensis idem libello altero collegerit correctiones, quae in Vulgatae editione adhuc desiderantur, quas tamen Vulgatae ipsi inserere privatis theologis non licet, sed auctoritati Summi Pontificis est reservatum. Brugensis libellos, et Bellarmini epistolarum fragmenta habes in Bibliis cum adnotationibus du Hamelii.

Quaeres 5.° quaenam prostent post emendationem Vulga-

tae, celebriores ejusdem editiones, magisque accuratae? Respond. Vaticana in primis, quam Bibliorum praefationes commendant, Sixti V. et Clementis VIII. P. M. auctoritate recognita, juxta exemplaria edita Romae an. 1592., dein Plantiniana, typis Plantini Antuerpiae edita; Sabatier cujus aliqua exemplaria habentur tabulis exornata referentibus gesta in Scripturis narrata; Antonii Vitré, ubi multa ad chronologiam utilia, quam non semel commendavimus.

Qui plura de Vulgata desiderat, Bellarminum consulat *de Verbo Dei lib.* 2. Scripsit etiam Cl. Brunati S. J. eruditam Dissertationem *de Nomine, Auctore, emendationibus et Authentia Vulgatae.* Vienn. 1827.

Art. IV.

Versiones vulgares celebriores (1).

Versiones vulgares dicuntur, quae lingua aliqua viva ad alicujus populi usum sunt exaratae, ut a versionibus lingua la-

(1) Cum Cl. Mezzofanti consuluissem de versionibus, ac linguis Vulgaribus, ex eo cognovi quae sequuntur: *Versiones vulgares appellantur eae, quae sermonibus adhuc vulgo usitatis editae sunt. Hujusmodi versiones passim fieri coeptae sunt saeculo XVI. ineunte a Novatoribus, vel ex eorum consilio. Inter* Italicas *hujus generis versiones celebris est, quae a Diodato edita est Genevae. Hanc dicuntur Calvinistae sequuti in* Gallica *versione. Germani ostentant versionem a Luthero ipso conscriptam. Plures, immo fere innumeri agnoscuntur in ea errores ab haereticis ipsis: non enim hebraicis litteris, et graecis erat Lutherus apprime eruditus. Sed pluries haec versio cusa est in Germania, et novis etiam curis quotidie prodit Angli quoque a Iacobi I. tempore suam habent versionem a pluribus confectam, emendatam etiam in quibusdam ad Sanctis Pagnini Versionem ex textu hebraico. Ut haec ab omnibus adhiberetur, lege cautum est in Anglia Itaque in omnibus illius exemplaribus formula haec ponitur in fronte libri,* « lectioni in Ecclesiis adsignata ». *Sueci quoque et Dani jam inde ab eo tempore, quo ab Ecclesia catholica defecerunt, operam dedere, ut vulgarem suam haberent versionem. Quid plura? in ipso quoque Navarrae Regno perquam exiguo, ut rem gratam facerent Ioannae Reginae, quae Henrici IV. Gallorum Regis mater fuit, converterunt quidem rerum novarum in religione studiosi in* celticam *illam Iberorum linguam, quae ibi usurpatur, sicuti etiam in altera illius regni parte, quae caeteris Hispaniarum regnis accensetur, converterunt, in quam, et adhuc exstat Novum Christi Testamentum. Aliae deinde prodierunt vulgares versiones inter catholicos quoque: modo ab Episcopis, aliquando etiam Apostolicae Sedis auctoritate confirmatae. Ex hisce posterioribus est* versio polonica *a P. Wujeco S. J adornata Sed ut ad recentiora et novissima veniamus, nostris hisce temporibus, studium exarsit impensissimum, ut verbum Dei vulgari sermone conscriptum, omnium tum fidelium, tum infidelium manibus teratur. Hinc ortae* Biblicae *illae* Societates,

tina, graeca, et hebraica conscriptis discriminentur, quae nunc saltem extra usum sunt, et doctis viris solum inserviunt. Versiones illae quodammodo vulgares etiam dici possunt, quatenus conscriptae sunt hujusmodi sermonibus, qui ab Ecclesia publico usu non usurpantur. Animadvertendum tamen est aliquas inter orientales a nobis enumeratas, vulgares esse, si stricte loqui velimus. De celebrioribus solum vulgaribus versionibus interim verba facere nobis propositum est.

Versio Gothica.

Ab Ulphila Gothorum Episc. exarata. Ulphila vero successit Theophilo, qui Concilio Nicaeno interfuit. Versionis hujus meminerunt Socrates (*lib.* 4. *c.* 33.), et Sozomenus (*lib.* 6. *c.* 37.). Sola Evangelia credebantur olim in versione hac translata, eaque ex graeco, et ex latino. Haec revera exstabant sola Upsaliae ms. argenteo, et edita sunt an. 1665. At medio saeculo superiori Franciscus Knittellius ex ms. gothico in Bibliotheca Wolfenbüttеliana an. 1758. evulgavit versionem plurium versiculorum Epistolae ad Romanos. Nuper vero Angelus Mai, Cl. Vir, in Bibliotheca Ambrosiana detexit ms. gothicum, in quo versio est tredecim Epistolarum Paulli, et varia fragmenta inter quae aliqua librorum Esdrae et Nehemiae; idemque Ulphilae partium ineditarum specimen edidit Mediolani an. 1819., conjunctis curis cum Cl. Carolo Octavio Castillionaeo; hic postmodum integram Versionem Ulphilianam Epistolae II. ad Corinth. vulgavit Mediolan. an. 1829. Hinc conjicere licet, gothicam versionem complexam esse tam N., quam V. T., cura probabiliter Ulphilae ejusdem.

in Anglia praesertim, quorum opera jam nunc libri a Deo inspirati, et a peritis et a minus peritis in omnes sive linguas sive dialectos conversi propagari curantur. In iis quoque locis uti in Anglia et in Germania, in quibus servantur adhuc, et adhibentur versiones Novatorum, aliae apparantur versiones, quae veteribus illis sufficiantur quasi legentium captui magis accomodatae, vel textus veritati congruentiores. In quibus versionibus vix dici potest, quot monstra, quot portenta in lucem quotidie edantur, cum omnia interpretum arbitrio et licentiae, eorumque doctrinae, quinimo inscitiae permittantur. Versionibus hujusmodi refertae sunt extremi orientis orae. Illic enim laboratur maxime et contenditur, ut hac ratione Christi religio propagetur, vel potius ut obstruatur via Evangelicae praedicationi, quae ingentibus laboribus a divini verbi praeconibus legitime illuc missis suscepta est. Conqueruntur hi, ac merito, nihil obesse magis illorum praedicationi, quam subdolam hanc divini verbi propagationem, qua Ecclesiae auctoritas omnis, et vera oraculorum caelestium sententia funditus evertitur.

Sclavonica.

Ex graeco utriusque Testamenti. Meminit hujus Ioannes VIII. S. P. apud Baronium an. Chr. 880. num. XIX. Tribuitur Sanctis Cyrillo et Methodio, qui Moravos ad Christum converterunt. Pentateuchus prodiit typis Pragae an. 1519.; ibidem tota Scriptura an. 1570., et rursus Ostrogii in Volhynia an. 1581.

Gallica.

Mentionem meretur versio gallica Isaaci Maître, qui et De Sacy, quamvis eam carpat Benedictus Martin in explanatione sua gallica locorum difficilium Scripturae, quasi non satis in aliquibus Vulgatae cohaerentem. Legendus vero est Isaac omnino magna cum cautela, cum Iansenismo ille studeret, ut recte monet Feller (*Diction.*)

Germanica.

Lutherus N. et V. Testamentum vertit in linguam germanicam; alias versiones exararunt asseclae illius Melanchthon, Brentius, Osiander, Flaccius, aliique. In sola vero Lutheri versione N. T. Hieron. Empserus 1400. errores detexit, et evulgavit. Non satis fidelem esse Lutheri ejusdem versionem, fatetur etiam Michaelis *Biblioth. Orient. T.* 1. *p.* 2.

Italica.

Saeculo XIV. aliquot saltem libri italice translati sunt, uti Actus Apostolorum a P. Cavalca scriptore elegantissimo; saecul. XV. prodiit versio omnium librorum sub nomine Nicolai Malermi, Venetiis 1471. et alia auctoris incerti; saecul. XVI. celebres extiterunt versiones Ant. Brucioli et Ioan. Diodati. Hae tamen partim vetitae sunt, partim saltem cum maxima cautela legendae. Peculiarem vero mentionem meretur italica Martini Episc. Florentinorum saecul. XVIII. proxime elapso, cum adnotationibus, laudibus Pii VI. Pont. M. commendata.

Caeterum vulgares versiones enumerare omnes infinitum pene foret, cum in linguas cujusque regionis translata sint Biblia, partim a Catholicis ad fidelium utilitatem, partim ab haereticis, protestantibus et biblicis, qui cum Scripturam unicam pro omnibus regulam esse fidei depraedicent, illam omnibus intelligibilem reddere praesumunt versiones multiplicando.

Pro versionibus italicis consule Maffei, *Traduttori Italiani;* pro omnibus vero le Long, *Bibliotheca sacra;* Andres, *Origine delle Scienze* T. 1.; Rich. Simonium *Histor. Crit.*

CAPUT IV.

DE USU TEXTUUM ET VERSIONUM, NEC NON DE QUIBUSDAM CELEBRIORIBUS CODICIBUS.

Art. I.

De usu Textuum, et Versionum publico.

Censebant Novatores, et recentiores haeretici censent in Missa aliisque ecclesiasticis ritibus Scripturam Sacram legendam esse vulgari regionis lingua, quaecumque ea sit. Contra fert Catholicorum consuetudo, in publico ac communi Ecclesiae usu Scripturam legi debere juxta unam ex tribus linguis, quas Dominus suae Crucis titulo honestavit (Ioan. XIX.), nempe hebraicam, graecam, et latinam, quae antiquitate et gravitate caeteris praestant.

Et primo, ad Missas quod attinet, Tridentinum id vetuit Sess. 22. c. 8. *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur:* et Can. IX. ejusd. Sessionis: *Si quis dixerit . . . lingua tantum vulgari Missam celebrari debere . . . anathema sit.* Immo Pius V. Constit. *Providentia* 1566. Latinos vetuit graece, et Graecos vicissim latine celebrare.

Secundo probatur generatim ex usu Ecclesiae Veteris Testamenti. Nam licet temporibus Esdrae, captivitatis occasione, hebraica lingua desierit esse vulgaris, tamen juxta eam semper legebantur Scripturae, adeo ut interpretatione opus esset, uti colligitur ex 2. Esdr. VIII. 9. 13. Etiam nunc in Synagogis quibuslibet Scriptura legitur hebraice.

Tertio probatur pariter ex usu Apostolorum, qui licet per totum terrarum orbem Ecclesiam propagaverint, et dono linguarum pollerent, non tamen constat ab eis fuisse aliis linguis, quam hebraica Palaestinae propria, et graeca exaratum Evangelium.

Quarto ex universali et constanti Ecclesiae Catholicae consuetudine, quae solum usa est publice hebraica, graeca, latina lingua, etsi hae desierint esse vulgares. Hoc liquet ex operibus Patrum, et ecclesiastica historia. Id tamen intellige, speciali Ecclesiae privilegio secluso, quo aliqui gaudent, uti Armeni Mechitaristae, qui lingua utuntur armena, aliique justa de caussa.

Quinto ex variis, quae sequuntur rationibus: 1.° Unitas

et communicatio Ecclesiarum particularium, tum in Concilio unitarum, tum extra Concilium, postulat ut Scriptura juxta unam, eamque communissimam linguam, legatur. 2.° Inutile, et perniciosum esset lectionem ex vulgaribus linguis adhibere: inutile, quoniam populus non ideo eam intelligeret, sicuti vel latinam callentes linguam; psalmos, prophetas, etc. intellectu consequi haud facile valent: perniciosum, quia populo ansa idcirco praeberetur Scripturam perperam interpretandi, nec non occasio scandali uti patet, aliis ommissis, de libro Cantici Canticorum. 3.° Versiones quotidie mutandae forent, cum vulgares linguae mutentur passim. 4.° Officiorum divinorum majestas, sanctitas mysteriorum, rerumque omnium, quae in Scripturis continentur, poscere videtur graviorem sermonem, quam vulgarem. Vid. Bellarm. *de Verbo Dei l.* 2. *c.* 15., 16.

Art. II.

De usu Versionum Vulgarium privato.

Quarta Indicis Regula, quae decreto cohaeret Pii IV. juxta ejusdem Constit. 24. Martii an. 1564., hisce enunciatur verbis: *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia lingua vulgari passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri: hac in parte judicio Episcopi vel Inquisitoris stetur: ut cum consilio Parochi, vel Confessarii Bibliorum a Catholicis Auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis ordinario redditis: peccatorum absolutionem percipere non possit.* Monuit autem Clemens VIII., qui Indicem iterum promulgavit, confirmavitque, Episcopis et Inquisitoribus sublatam fuisse facultatem hujusmodi licentias impertiendi, decreto Supremae Inquisitionis.

Impia quidem in hujusmodi decreta jactant Protestantes et Biblici, qui per ea asserunt interclusam fuisse viam Christi fidelibus verbum Dei intelligendi, et superstitionem per divinam doctrinam compescendi, simulque illa venditant tamquam subdola Concilii et Pontificum superbiae inventa, ut dominatus, et species oraculi iisdem servetur. Ita prae aliis Semler in Notis ad Simonii Criticam.

At plura, eaque eruditissima scripsit ad sapientissimas illas leges tuendas Fenelon Epistola ad Episc. Arelatensem, quam

notis illustratam italice edidit an. 1824. Cl. Brunati Script. Sacrae Brixiae Professor, qui postmodum Soc. J. nomen dedit, et Sacram Scripturam in Collegio Romano docet. Nos interim, ut necessaria indicemus, quae legem Indicis ab illatis calumniis vindicent, notamus vel a primis Ecclesiae saeculis compertum esse magnum in discrimen fidei integritatem adduci ex eo, quod fieri facile potest, ut Scripturae male intelligantur si, prout quisque vult, illae legi possint. Audiatur Augustinus (Tract. 18. in Ioann.): *Neque enim natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas, et in profundum praecipitantia, nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene; et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur.* Confirmare id posset Synagogae lex, qua aliquarum Scripturae partium lectio solum quibusdam praefinitis conditionibus permittebatur, uti de Cantico Canticorum aliisque monuimus (Dissertat. I. de lib. Cantic.). Haec porro clariora fient ex iis, quae in Diss. insequenti adducemus de obscuritate Scripturae, et de recta interpretandi ratione.

Iam vero, Ecclesiam id sibi solum per supra memoratas leges proposuisse, ut errandi averteret periculum, plura ostendunt: ac 1.° consilium suum aperiunt prima illa Decreti verba: — *Cum experimento* etc. — . 2.° Ecclesia eas leges tulit, cum Reformatorum doctrinae pullularent; quis vero historiam et theologiam vel leviter edoctus ignoret, in quot opposita et absurda, illi scripturas non recte interpretantes offenderint? 3.° iis ipsis legibus concedit Ecclesia, ut Scriptura latine legatur ab omnibus, immo vulgari etiam lingua, dummodo ita legendi facultas data sit: opportunam igitur cautionem exigit Ecclesia, minime vero Scripturarum studio invidet: 4.° circumstantiis mutatis, et periculo remotiore facto, Ecclesia legum suarum temperavit severitatem, atque allata decreta reformavit. Animarum enim aestu refrigescente, Sacrae Congregationis Indicis decreto, 13. Iunii an. 1757. a Benedicto XIV. confirmato Const. *Quae ad Catholicae*, in lib. Ind. omnibus permittuntur versiones Bibliorum vulgares, dummodo istae fuerint a sede Apostolica approbatae, aut editae cum adnotationibus ex SS. Patribus depromptis, vel ex doctis catholicisque viris, cujusmodi est Italica nostra versio Martini, de qua superiori Articulo.

Si quis tamen vel ob mentis imbecillitatem, vel ob pravos cordis affectus detrimentum acciperet ex probatae quoque versionis lectione, ab eadem abstinere se deberet propter legem naturalem, non secus atque a panis et carnis usu, caeteroquin licito, arcendus ille foret, qui infirmum adeo stomachum haberet, ut ea digerere minime valeret. Obiter animadverti-

mus inter decreta Indici Librorum prohibitorum praefixa illud haberi, quo vetantur *Biblia sacra haereticorum opera impressa, vel eorumdem adnotationibus, argumentis, summariis, scholiis, et indicibus aucta.* Prudentissime enim Ecclesia timet Danaos vel dona ferentes.

Art. III.

De insignioribus Codicibus MSS.

Ex iis, quae hactenus de textibus ac versionibus eloquuti sumus, perspicuum fit quanto usui esse possit probatos habere codices, ac, quo magis fieri potest, ab erroribus immunes. Id vero ut patet, nedum in versionum codicibus valet, quibus nos utimur, sed textuum quoque, ad quos saepe, ut diximus, confugitur: hinc ajebat Augustinus (l. 2. *De Doctr. Chr.* c. 14.): *Codicibus emendandis primitus debet invigilare solertia eorum qui Scripturas divinas nosse desiderant.* Quamobrem Pontifices bene multi solertiam hanc adhibentes, juxta emendatiores codices concinnandas curaverunt identidem Scripturae editiones, uti colligitur ex Praefationibus quae Bibliis adjiciuntur. Nos igitur, licet multa de variis versionum et textuum Codicibus obiter paulo animadvertimus, opportunum credimus in fine hujus Dissertationis de Codicibus celeberrimis tum mss., tum typis editis, data opera sermonem habere.

Ac primo de textibus verba faciemus.

Codices hujusmodi, qui maxima prae omnibus auctoritate gauderent, autographi essent procul dubio. At nemo unus aetate hac superest autographus; quod enim de Marci autographo narratur jam inter fabulas retulimus.

Quod si quis quaerat, cur permiserit Deus, tam insignia Religionis monumenta perire, hoc pacto responderi posse nobis videtur, si tamen liceat Dei consilia scrutari.

Codices autographos pluribus de caussis passos esse ruinam liquet, nempe ob captivitates et incendia, quae Iudaeos divexavere, ob excidia insuper, quibus Roma Christiana fuit obnoxia, ob papyrorum, membranarum, aliarumque materierum, in quibus autographa exarata sunt, corruptibilitatem: ad haec omnia accedit quoque apographorum multitudo, eorumque adipiscendorum facilitas, quae neglectum plerumque pariunt autographorum. Similibus pene de caussis factum est, ut neque profanorum veterum autographa ulla habeamus, neque Missalium aut Breviariorum editionem conservemus aliquam saeculo X. vel IX. multo anteriorem. Quare, ut sacra autographa servarentur, miraculum fere Deus patrare debuisset quod tamen Ec-

clesiae minime necessarium videtur. Immo autographis deperditis, major inde patefit auctoritatis Ecclesiae necessitas, ac major illi conciliatur veneratio.

Cum autographa nobis non suppetant, apographis uti cogimur, quorum antiquitas quo major est, eo etiam major, caeteris paribus, exsurgit auctoritas.

Verum et hic nova subit quaestio, scilicet quonam pacto de antiquitate Codicum recte dijudicari possit? totum hoc judicium ab arte critica pendet quam pluribus praeceptis tradunt et Philosophi et Historici. Praeter ea, quae hac de re a multis scripta sunt, ac praesertim a Muratorio (*Liturgia Romana, Dissert. Praelim.*) a Montfauconio (*Palaeographia*), a Monachis Maurinis (*Nouveau Traité de Diplomatique*) eruditissimum exstat Io. Chris. Trombelli opusculum Bononiae editum hoc titulo: *Arte di conoscere l' età de' Codici latini ed italiani.* Ad tria revocantur capita per hunc auctorem ea omnia, unde Codicum aetas innotescit; ad materiam scilicet, in qua Codex scriptus est, ad circumstantias Codicis, ad characteres ejusdem. Materiam appellat marmor, aliosve lapides, metalla, arborum cortices, animalium pelles, chartarum genera, in quibus Codices inveniuntur exarati. Nomine circumstantiarum intelligit auctores, mores descriptos, personas citatas, phrases, voluminum formam: quibus adnectit, tamquam extrinseca Codicis adjuncta praecipua, colorem chartae, litterarum, earumque praesertim, quibus initium capitis, aut titulus constat. Ad characteres tandem refert litterarum formam, collocationem, nexus, ac diversa orthographiae signa. De his omnibus agens Trombellius ostendit quomodo ex diversitate temporum, quibus eadem in usum adducta sunt, conjectari prudenter possit aetas diversa Codicum, qui illa praeferunt.

Eadem porro regulae, quae latinis ac italis Codicibus inserviunt, aptari quoque possunt graecis et hebraicis, proportione servata. Quare ad hebraicos Codices quod attinet, tradunt Critici animadvertendum esse in primis anne in membrana vel pelle exarati sint, et membranarum rursus ac pellium quaenam sit species; characterum deinde formam esse attendendam, nec non apices, versiculorum distinctionem, punctorum, et commatum usum, aliaque omnia, quae sive ad orthographiam, sive ad pronunciationem spectant, inter quae praecipue puncta vocalia, quibus Masoretae vocales expresserunt, atque, putant Masclefitae, primi illi hasce litteras אהוי, ubicumque deessent, supplere coeperunt. Docent denique, juxta temporis diversitatem, quo horum omnium institutus est usus, de Codicum aetate judicium esse ferendum.

Pariter in graecis Codicibus notant Critici prae aliis in-

diciis characterum formam, eos praesertim cum inscriptionibus conferendo, quae Romani Imperii tempore erant in more positae. Animadvertunt insuper spiritus, accentus, nexus litterarum, orthographiae et pronunciationis signa varia, quorum usum diversis tribuunt aetatibus, omnia vero aliquibus post Christum saeculis.

Nunc ad Codicum mss. enumerationem deveniamus.

Mss. hebraica.

Apographa mss. hebraica, quae supersunt, minus quam graeca antiquitate pollent; vix enim, ait Simonius (*Hist. Crit. V. T.* de Bibliis hebraicis), reperire est Codices mss. nongentis annis vetustiores, et omnes juxta Massoram reformati sunt. Vixit autem Simonius saec. XVII. Raritatis autem vel defectus mss. antiquiorum hebraicorum duae causae assignari solent; altera nempe quod post punctationem in iis adhiberi caeptam, vetustiores codices non punctati, parvi fiebant; altera quod mos Iudaeorum fert ut libri sacri, si attriti sint, sepeliantur. Vid. de Rossi (*Proleg. S. Scr.* 15.) Codices vero, qui supersunt, partim apud Christianos, partim apud Iudaeos exstant. Apud Christianos animadversione digni habentur, qui sequuntur.

Ms. Viennense, de quo Cl. De-Rossi (*Introduzione alla S. Scrittura* §. 30.) haec habet: *Di tutti i Codici, che esistono più antichi del Sacro Testo di certa data, il primo è quello della Biblioteca Cesarea di Vienna, che ha in fine un' epigrafe, o nota di un voto fatto nel* 331. *dell' era minore dei contratti, che corrisponde al nostro* 1019. . . . *Il Codice comprende i Profeti e gli Agiografi, e chi l' ebbe in mano, giudicò quella nota della stessa mano e dello stesso secolo.*

Ms. Parisiense in Regia Bibliotheca servatum, quod tamquam vetustissimum dono dederunt Iudaei Henrico II.

Ms. Heildelburgense, quod antiquissimum traditur.

Mss., quae asservantur in Bibliotheca Complutensi ex Saec. XII. testimonio Ariae Montani apud Walton (*Proleg.* 4.).

Ms. Bibliothecae Vaticanae, omnes V. T. libros complectens, quod scriptum censetur an. 1295.

Mss., quae in Bibliotheca Bononiensi nostra collocata sunt. Singularem eorum antiquitatem celebrant multi, ac praesertim Arias Montanus ut ex Prolegom. Walton. Insigniora vero haec sunt.

Ms. Esther in pelle vitulina caeteris facile vetustius, ac saeculo X. vel XI. p. m. exaratum; sed de Rossi (*Var.* Vol.

I. p. LXXXVII.) saeculo XIII. non antiquius illud judicat. Exstat hoc apud Canonicos Rhenanos hujus Civitatis.

Ms. Pentateuchi integri pelle vitulina, quod tamquam Esdrae autographum donarunt Hebraei an. 1308. Aymerico tunc Moderatori Generali Ord. Praed., in quorum Bibliotheca exstabat olim. Antiquissimum saltem eo tempore illud haberi debebat: at ex materia, characteribus, aliisque criticis indiciis non antiquius putatur X. aut XI. saeculo, imo non antiquius videtur De Rossi (loc. cit. p. LXXXVI.) ineunte saeculo XIII. Pentateuchi pars circiter dimidia, pelle conscripta, ejusdem ac superioris p. m. antiquitatis.

Mss. Pentateuchi, Meghill., Aphtar saeculi XIII. cum pluribus aliis saeculi XIV. servantur in Bibliotheca Mutinensi.

Mss. quoque vetustissima in Bibliotheca Mediolanensi reperiuntur.

Iudaei porro hos Codices mss. laudant.

Mss. Iacobi Ben Nephtali, qui rector fuit scholae Babylonicae an. p. m. 1034. Hinc Ms. hoc dicitur etiam Babylonicum.

Ms. Aharonis Ben Aschèr, qui Tiberiade in Palaestina fuit rector. Cum autem Ms. ex Palaestina in Aegyptum fuerit translatum, Aegyptium nuncupatum est.

Ex duobus hisce Mss. Iudaei ferunt suos Codices exscriptos, plerosque saltem. Nostrae vero editiones Bibl. Hebr., paucis locis exceptis, sequuntur Codicem, seu Recensionem Aharonis Ben Aschèr. Ms. Hillelis, cujus mentio apud Rabbinos occurrit solum in fine saeculi XII. Non ergo Hillelis est, qui ante Christum vixit. Ms. hoc utuntur Iudaei Hispaniae.

Ms. Sinai, et Ms. Hiericuntinum solum Pentateuchum continentia, ex quibus Codices typis editi dicuntur excerpti.

Mss. graeca.

Ms. Vaticanum, quod versionem τῶν LXX. continet, quodque Sixti V. jussu typis mandatum est. Complectitur insuper e N. T. Evangelia, Acta Apost., septem primas Paulli Epistolas eo ipso ordine, quo in Vulgata leguntur, et partem Epistolae ad Hebraeos. Latent adhuc omnia, quae ad auctorem, antiquitatem, et reliquam hujus Codicis historiam pertinent.

Ms. Alexandrinum, quod Londini servatur. Cyrillus Lucaris, qui primum Alexandrinus, postea Constantinopolitanus Patriarcha fuit an. 1628. illud dono dedit Carolo I. Angliae Regi. Cum porro Cyrillus testatus esset scriptum illud fuisse paulo post Nicaenum in Aegypto a nobili quadam faemina Thecla nomine, Alexandrinum appellatum est. Idem constat 4. voluminibus, quorum tria V. T. continent, postremum N.

Ms. Cantabrigense in Anglia, quod Criticorum judicio ejusdem saltem ac Alexandrinum est antiquitatis. Servabatur primum in Galliis apud Monasterium Lugdunense S. Irenaei; Galliarum porro calamitosis temporibus in manus Bezae pervenit, qui illud Cantabrigensi Accademiae obtulit. Continet solum Evangelia, et Acta Apostolorum, et adnexam habet latinam versionem.

Praeter haec tria mss. graeca alia exstant multa in Vaticana, Vindobonensi, Parisina, Florentina, aliisque et privatis et publicis Bibliothecis, et illorum numerus, eruditorum calculo, ad 300. fere ascendit. Horum pauca, si quae tamen supersint, universos Bibliorum libros continent; omnia vero redolent aetatem longe posteriorem quam priorum trium.

Horum multa, ut etiam supra circa versiones, ex Alber deprompsimus.

Art. IV.

De insignioribus Codicibus typis editis.

Medio saeculo XV. inventa typographica arte, coeperunt Biblia et a Christianis, et a Iudaeis typis mandari. Editionum, quae insigniores sunt, hic catalogum subteximus, quamvis jam nonnullarum ex iis mentionem fecerimus.

Psalterium editum fuit an. 1457.; et circa aetatem hanc, sed sine anno, universa Biblia.

Rursus universa Biblia an. 1462. Editiones hactenus recensitae Moguntiae prodierunt.

Editiones hebraicae.

Celebriores porro editiones hebraicae, quae primitus prodierunt, hae sunt.

Bononiae 5. *Meghillot* (idest volumina minora). Sunt autem Ruth, Ecclesiastes, Cantic. Canticor., Threni cum comment. Iarchi, Esther cum comment. Abenesrae, sine anno et loco, sed Bononiae certe edita an. 1482. Vide Io. Ber. de Rossi, *De ignotis nonnullis antiquiss. hebr. text. editionibus.* Bononiae item an. 1582. Pentateuchus cum paraphr. Onkelosi.

Biblia hebraica cum punctis et accentibus, Soncini, an. 1488.

Biblia hebr. cum utraque Massora, Thargum, Comment. an. 1518. apud Bomberg.; editionem hanc curavit Felix Pratensis Iudaeo-Christianus; alteram an. 1525-26. curavit Iacob Ben Chajim, quae an. 1547-49. accuratius recusa fuit.

Celebris quidem deinde fuit editio Ios. Athiae an. 1661.; editio vero Van der Hooght an. 1705. celebrior facta est.

Polyglottae.

Polyglottae, id est Textuum, et versionum Collectiones, quae celebritate eminent hae sunt.

Biblia Polyglotta Complutensia an. 1514-17. sumptibus Card. Ximenii Arch. Toletani. In ea sunt textus hebraicus, versio graeca τῶν LXX., latina Vulgata, Paraphrasis Chaldaica Onkelos, N. T. graecum cum latina versione. Haec sex voluminibus constant.

Biblia Regia sumptibus Philippi II. Hisp. Regis edita Antuerpiae apud Plantinum an. 1569-72. multo cum nitore, cura et studio Benedicti Ariae Montani. Octo hoc opus complecitur volumina, in quibus praeter ea, quae in Complutensi exstant, reperiuntur paraphrases omnes chaldaicae cum latina versione, N. T. Syriacum, tam litteris syriacis quam hebraicis exaratum, ac varia Bibliorum adjumenta, uti Grammaticae, Lexica, Variantes.

Biblia Magna Heptaglotta Parisiis edita magnifice simul et pereleganter (utinam aeque accurate) an. 1628-45. cura Michaelis le Jay, Vol. 10. Prae caeteris, quae in superioribus habentur, hic reperiuntur: Pentateuchus Samaritanus cum Samaritana versione, Syriaca V. T. versio, Arabica utriusque Testamenti.

Polyglotta Londinensia a Briano Waltono edita an. 1657. In iis sunt: textus hebraicus cum latina versione interlineari; versio insuper vulgata latina, versio τῶν LXX. ex ms. vaticano cum versione latina Flaminii Nobilii, et cum variantibus ex ms. Alexandrino, Paraphrases chaldaicae cum versione latina, Pentateuchus Samaritanus cum variis versionibus, versiones syriaca et arabica cum latina ambarum translatione, aethiopica Psalt. et N. T., et persica Pentat. et N. T. Omnia vero ita disposita per columnas et numeros citantes versiculos, ut ictu oculi, quid in textu, et versionibus sit, reperias. Prolegomena adsunt erudita. Sex tomis constant et in eorum postremo adjectae sunt variantes lectiones. Addi solet Lexicon Heptaglotton Edm. Castelli Lond. 1669., Vol. 2.

Praeter hebraicas editiones in Polyglottis, aliae innumerae pene sunt factae et a Christianis et ab Hebraeis cum variis latinis versionibus, nec ommittendum — Psalterium hebr. chald. arab. et graec. cum tribus latinis interpretationibus et glossis, studio Augustini Iustiniani Genuensis, an. 1516., qui universa

Biblia Polyglotta pariter editurus erat, si quis sumptibus suffecisset.

Critica arte vero opus est, ut menda detegantur, quae apographa exscribendo, aut typis mandando evitari non possunt.

Editiones graecae.

Quamvis integra Biblia in Polyglottis superius citatis graeco quoque sermone descripta inveniantur, opportunum tamen credimus N. T. quasdam celebriores editiones graecas adnotare.

Erasmus Roterodamus quinquies N. T. graece edidit, primaque editio uno praecessit anno Complutensem. Erasmum multi, qui graecos Codices N. T. evulgarunt, sequuti sunt, inter quos;

Aldus Manutius, qui N. T. edidit an. 1518.

Robertus Stephanus quater Parisiis edidit N. T., ejusque filius novam concinnavit editionem. Nitore aliis praestitit tertia.

Ne vero longiorem texamus catalogum, sat credimus Editorum nomina principaliorum indicare.

Ioannes Millius, Bengelius, Wetstenius, Bentleyus, Kusterus, Griesbachius, Matthaeius N. T. in lucem protulere, variantes notando lectiones; quod ad criticen valde confert.

DISSERTATIO III.

DE SCRIPTURAE SACRAE INTERPRETATIONE.

CAPUT I.

HISTORIA INTERPRETATIONIS BIBLICAE.

Art. I.

Historia interpretationis quod ad Iudaeos.

Vetustissimum sane fuit studium penes Iudaeos Sacram Scripturam interpretandi. Immo vel antequam Moysi tempus et otium suppeteret res scripto mandandi, legimus Exod. XVIII. quotidie Moysem vacasse quaestionibus circa legem dirimendis, uti de manna Sabbati die non cadente deprehendimus Exod. XVI. 23. Sacerdotibus deinde munus legem exponendi commissum fuit, quod ex Malach. II. 7. confirmatur, atque erectum fuisse tribunal in loco sancto pro Religionis controversiis deducitur ex Deut. XVII. Fuerunt quoque inter Hebraeos doctores, qui Scripturam Sacram ex professo interpretarentur, ac Scribae et Pharisaei dicebantur, de quibus Christus apud Matth. XXIII. 2. ait: *Super cathedram Moysi* etc. Ad haec accedit, quod Iudaeis fuit consuetudo, quam memorant Act. Apost. XV. 21. (1), quamque Iudaei etiam nunc religiose servant, in Synagogis per omne sabbatum Scripturarum lectioni, et explicationi vacandi. Ex quibus liquet, nedum quam antiquum, sed et quam ardens ac universale fuerit penes Hebraeos studium legis interpretandae.

Circa modum vero, quo Scripturarum interpretatio a Iudaeis instituebatur, in primis notandum est, eorum regulam interpretandi praecipuam, praeter Tribunalis judicium, in traditione majorum, sive in *lege orali*, quam ex Moysis aliorumque seniorum ore acceperant, fuisse positam. Hinc Scribae et Pharisaei opiniones suas, suasque explicationes traditionum auctoritate semper muniebant, atque non alio nomine a Christo sunt usque increpati, nisi quia traditiones falsas pro veris ex-

(1) *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in synagogis, uti per omne sabbatum legitur.*

promerent, sicuti cum Matth. XV. docebant res parentibus vel necessarias in Templum impendi posse; Matth. vero XXIII. jusjurandum illud tenere, quod per Templi aurum, non vero quod per ipsum Templum conceptum esset, ut alia multa ommittantur, quae licet eorum tantum essent commenta, tamen illi majorum traditione semper munire conabantur. Eadem majorum traditione continebantur, quae fuerunt deinceps pro Iudaeis interpretationis Scripturae subsidia, nempe *Thalmud*, *Masòra*, et *Cabbala*.

Thalmud (hebr. תַּלְמוּד) *opus doctrinale* legem oralem complectebatur, juxta quam lex scripta erat explicanda. De hoc opere loquimur ubi de Archaeologia Biblica.

Masòra hebr. מָסוֹרָה, vel מָסוֹרֶת, *traditio*, (a rad. מָסַר· *Masàr, tradidit, dedit*), criticam continet, qua Iudaei utebantur ad Scripturae puritatem juxta Patrum traditionem servandam. Ad hoc Masoretae Bibliorum versus, verba et litteras numerarunt; insuper expenderunt quoties idem occurrit verbum; varietates notarunt; signa ortographiae, accentus puncta ipsa vocalia illis apposuere, laboresque susceperunt incredibiles, ut certa redderetur, atque determinata consisteret Scripturae lectio. Masoram licet aliqui Moysi aut Esdrae tamquam primario auctori attribuant, Doctorum tamen hebraeorum scholae Tiberiadis post Christum, atque non ante saeculum VI. putant plures institutionem esse. Ita Nat. Alex. ubi de Esdra. Vid. superius Diss. I. Cap. II. Art. 4.

Cabbala (hebr. קַבָּלַת *receptio*), ars dicitur a Iudaeis, per quam ex placitis inter majores receptis mystici sensus in Scriptura deteguntur, quamque aliqui sic promovent ut per eam mira quoque patrentur, veluti per magiam. Cabalam constituunt praecipue in numerico litterarum valore, earumdemque collocatione, ac in hujusmodi materialibus rebus, ineptiisque: ita ex. gr. Deus, inquiunt Cabalistae, cum Mundum conderet, vidit daturum se postea legem Hebraeis, idque quodammodo Moyses significavit primo Genesis verbo בְּרֵשִׁית — *berescìth*, vel *Berescìd* — idest in principio. Nam ultima littera ת, est prima hujus nominis תּוֹרָה — *Thoràh* —, quod legem significat. Cabalam legi ipsi aequiparabant, ejusque usum primi induxere Iudaei recentes, ut ostendit Nat. Alex. loc. cit.

Etsi autem *Thalmud*, *Masòra*, et *Cabbala* fabellis, erroribus, et absurdis referta sint, tamen per ea confirmatur, ut supra innuimus, Traditionem Iudaeis fuisse praecipuam Interpretationis regulam. Soli Karaitae, sive Karraei, qui post Chri-

stum peculiarem sectam conflarunt (vide ubi de Iudaeorum sectis in Biblica Archaeologia), traditionem omnem respuentes, Scripturae textui unice adhaerebant, eodem fere modo ac nostra aetate Protestantes et Biblici.

De Iudaeorum interpretatione notandum est insuper, mysticum sensum ab illis in Sacris litteris fuisse cognitum. Hoc nedum ex eo, quod de Cabbala diximus, constat, sed insuper ex testimonio Philonis de Therapeutis in libro *de Vita Contemplat.*, nec non ex ejusdem Philonis elucubrationibus, quae allegoricis Scripturae interpretationibus refertae sunt: ex testimonio insuper Iosephi in Prooemio Antiquitatum idipsum patet, ubi de Moyse loquens ait: *alia quidem aperto vel simplici modo legislatore tangente, alia vero cum sua honestate allegorice proferente:* ex fragmento Aristobuli Iudaei apud Eusebium (*Praep. Evang.* lib. 8. c. 3.), in quo de mystico sensu mentio fit· ac tandem id constat ex Thalmud, et praecipue Cap. בְּרָכוֹת *Berachòth*, vel *Beracòd*, ubi Tabernaculi Mosaici descriptio ad coelestem patriam significandam trahitur.

Art. II.

Historia biblicae interpretationis quod ad Catholicos.

Christus et Apostoli.

Christus vel ipse in primis agnovit pro hominibus necessitatem interpretationis Scripturarum, quas identidem illis explicabat sensus ostendens plurium V. T. locorum, quae ad semetipsum referebat. Idem discipulis sensum aperuit, ut Scripturas intelligerent ex Luc. XXIV. (1), quo in loco diserte narratur Scripturas ipsum esse interpretatum.

Apostoli etiam in eorum scriptis et praedicationibus, sicuti ex N. T. clare evincitur, saepe Scripturarum loca citarunt, eaque interpretati sunt. Paullus vero 1. Cor. XII. (2) inter Sp. S. dona enumerat *sermonum interpretationem.* Christi et Apostolorum interpretationes, quas habemus, utpote divino spiritu perfectae eadem pollent, ac hagiographa quaecumque auctoritate.

Penes Christianos omnes Apostolorum tempore studium Scripturae exarsisse, ex pluribus colligitur; ac 1.º ex Ioan. V. 39. — *scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere* —; 2.º De Beroensibus Actor. XVII. 11. — *quo-*

(1) *Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.*
(2) *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae .... alii interpretatio sermonum.*

tidie scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent —; 3.° Paullus 2. Timoth. III. laudat Timotheum eo quod ab infantia sacras litteras nosset; 4.° tandem Apostoli omnes in eorum Catholicis litteris rogant, ut eaedem ab omnibus legantur.

Patres.

Apostolis successere Patres. Hi vero quali, quantoque flagraverint studio Scripturam sacram recte interpretandi, ex eorum operibus, nec non ex historia ecclesiastica satis liquet. Illorum multi per homilias, sive explanationes, paraenesi adjuncta, Scripturam populo explicavere, uti Crysostomus, Hilarius, Beda; alii per tractatus morales, ut Gregorius, Beda; alii alio modo, adeo ut nullum sit interpretandi genus, quod inter Patres cultorem non habuerit eximium. De re per se notissima nihil addemus praeter tria haec historica monumenta.

I. Patrum vetustissimorum aetate institutae sunt scholae etiam pro biblica interpretatione. Harum una uti narrat Eusebius (*H. E.* l. V. c. 10. 11.) erat Alexandriae in Ægypto, in qua prae caeteris floruit Clemens Alex. Altera Caesareae Palaestinae, tertia Antiochiae in Syria. De scholis hujusmodi audiatur etiam Hieronymus (*Epist. ad Pammach. et Oceanum*): *Apollinarium Laodicenum audivi Antiochiae frequenter... perrexi Alexandriam audivi Didymum;* ac post alia *Alexandriae* (Origenes) *ecclesiasticam scholam tenuit, succedens eruditissimo viro Clementi Presbytero.*

II. Patrum aevo ad artis praecepta Bibliorum interpretatio fuit redacta. Tichonius Donatista primus fuit qui 7. regulas exhibuit, quibus putabat omnem in sacris litteris difficultatem enodari posse. Augustinus 4. libris *de Doctrina Christiana* hanc auxit artem, quam in postremum perfecerunt alii. Ad hujus artis adjumenta revocanda sunt *Tetrapla*, *Hexapla*, *Octapla* Origenis, et praeclara multa Hieronymi, praesertim vero opera quae sequuntur: *De nominibus et locis hebraicis*; *Quaestiones in Gen.*; *Epistolae multae exegeticae simul et criticae ad Pammachium de optimo genere interpretandi*, *ad Paullinum de studio Scripturarum*, *ad Sunniam et Fretellam de variantibus*; *Praefationes*, quae Bibliis ex Hieronymo adjectae sunt; *Prologus Galeatus*, quem, ut ipse dicit, quasi *galeatum* principium apponit versioni suae ex hebraeo, sive libris, qui in Canone erant Hebraeorum.

III. Patrum aetate floruerunt alii Scriptores egregii simul ac biblici Interpretes, ut Olympiodorus, et Cassiodorus, qui *Catenas* texuerunt; Walafridus Strabo, Anselmus Laudunensis, qui *Glossas* confecere; Paullus Diaconus, Stephanus Cantuariensis Archiep., qui *Postillas* exhibuerunt; Alcuinus, qui Ca-

roli Magni jussu latinam versionem emendavit: posterioribus vero saeculis Rabanus Maurus, Paschasius Radbertus, aliique.

Quod ad modum, sive leges Patrum interpretationis attinet, majorum traditio pro illis duoque praecipua fuit regula. Luculentissima hujusce rei testimonia exhibet Canus loco inferius citando, inter quae illud Hieronymi (*Comm. in Danielem XI.*): *Scripturae sanctae.... intelligentiam absque Dei gratia, et doctrina majorum sibi imperitissimi vel maxime vindicant.* » Patres vero praeter litteralem sensum, etiam mysticum agnovisse, et notissimum est, et ultro concedunt Novatores, qui Patres incusant potius quasi allegorias prosequuti sint, neglecto litterali sensu. Ab hoc tamen reipsa abhorruere Patres, qui allegorias, secluso omni litterali sensu, umbratiles autumabant, easque aut sine radice plantas, aut sine fundamento fabricas appellabant, quod non semel Hieronymus praesertim, et Augustinus expresserunt.

Ex hisce vel paucis, quae de Patribus diximus, nec non ex aliis, quae Cap. IV. *de Clarioribus Biblicis Scriptoribus* addemus praeter multa, quae obiter in decursu Institutionum attinguntur, conjici licet quam immerito Rosenmuller, aliique Protestantes biblicam SS. Patrum eruditionem imminuant, immo proterant. Capite vero III. ostendemus quanti in Scripturae sensu definiendo facienda sit auctoritas eorumdem Patrum, de quibus fusius loquuntur Theologi, et praesertim Canus *De Loc. Theol.* lib. VII.

Theologi.

Catholici quique Theologi de Scripturae Sacrae interpretatione solliciti semper fuere, sive praecepta tradendo, ubi *de Fidei regulis*, et *Locis Theologicis*, sive interpretationes cujusque generis eruditissimas prosequendo. Censum illorum non afferimus, tum quod nimis longum id esset, tum quod celebriores a nobis indicandi sint in Dissertationis hujus decursu, ac praecipue ubi de varia interpretandi ratione, et de clarióribus Interpretibus.

Theologos autem Catholicos interpretationes suas ad majorum traditionem et Ecclesiae judicium, tamquam ad potissimam normam conformasse, ex eo liquet, quod qui ab hac deflexere via in Catholicis non numerentur. Testimonium sufficiat illius, qui ad Theologica quod spectat loca facile omnium est princeps, Melchior Canus superius citatus. Hic (lib. VII. *De Loc. Theol.* cap. 3.) statuit, *in expositione Sanctarum Scripturarum concordem antiquorum sensum esse tenendum, si volumus esse Catholici.*

Duo sunt, quae ad hanc historiae biblicae interpretatio-

nis partem commode referenda censemus. Primo familias exstitisse religiosas, ac Monachorum potissime de Scripturarum studio optime meritas: ea enim aetate, qua in Oriente propter Saracenos, in Occidente propter bella, et temporis corruptos mores ac artes, scientiae vix excolebantur, refugium atque eximium cultum nactae sunt illae in Monasteriis, praecipue vero quod ad Scripturae et linguarum studium. Hoc varii celebrant Scriptores, uti Launojus *de celeberrimis scholis*; Mabillonius *de studiis monasticis*; Trithemius *in Chronico Hirsaugiensi*, qui in Corbejensi Monasterio saeculo X., quod inter rudiora accensetur, celeberrimam Scripturae Sacrae Scholam describit. Confirmatur hoc ex eo, quod Parisiis *Correctorium* asservetur versionis Vulgatae ex Hebraeo, ex versione τῶν LXX., ex Origene et Hieronymo per Religiosos Ord. Praed. saec. XIII. confectum. *Correctoria* vero appellant Criticae libros ad dijudicandum de vera Scripturarum lectione. Lyranus etiam Ord. Minor. praeter Commentaria tractatum edidit *de differentia versionis Vulgatae* ab Hebraeo quod ad V. T., idque saeculo XIV. Idipsum tandem per institutum illud comprobatur, quo Religiosi et monachi quique adsiduae Scripturae lectioni et studio etiam nunc obstringuntur.

Secundo, ad linguarum studium quod spectat, Protestantes sibi vindicare gloriam de linguarum cultu saec. XVI. instaurato, quem post Hieronymum intermissum omnino blaterant. Sed praeter Vulgatae versionis *Correctorium*, et tractatus, de quibus supra, notandum est, alia concinnata fuisse *Correctoria*, inter quae celebre est unum Doctorum Sorbonae, saeculi, ut ferunt, XII.; de quo ut et de aliis *Correctoriis* vide Simonium (*Crit. N. T.*). Deinde Psalterium Iustiniani prodiit an. 1516.; Polyglotta Ximenii edita sunt an. 1514-17. Iam vero haec omnia perfici nullo modo potuissent, nisi viri exstitissent linguarum periti. His addendi sunt Paullus Burgensis, Laurentius Valla, Erasmus, quos graecis et hebraicis litteris eorum opera testantur excultos. Constat tandem in Concilio Viennensi an. 1311. statutum fuisse, ut graecae et arabicae linguae in Accademiis praecepta traderentur. Fatendum est nihilominus Protestantium occasione Catholicos suum acuisse ingenium, et linguarum eruditionem summo ardore prosequutos esse. Hinc eo tempore nedum Commentaria multa, multaeque prodiere versiones, sed et Lexica, et Grammaticae, et alia cujusque generis opera, quae ad Scripturam interpretandam adjumento sunt. Inter haec recenseri merito possunt *Concordantiae*, quas primus collegit Hugo a S. Caro, qui obiit an. p. m. 1262., cujus generis est celebre *Repertorium Biblicum, seu Concordantiae S. Scripturae adornatae opera et studio Reli-*

giosorum Patrum Ord. S. Benedicti. Augustae Vindelicorum an. 1751., Bibliorum divisio in Capita, quam multi Hugoni citato attribuunt, alii tamen Stephano Langhtonio Archiep. Cantuar., qui obiit circa annum 1227. Versiculorum porro divisionem, quam appellant *stichometriam*, saltem prout ea nunc est in Bibliis, prodiisse ferunt an. 1548. in Editione Roberti Stephani. De his fuse agit Calmet *Comment.* T. I. Praef. generali.

Interpretationis opus perfecit denique Tridentinum Concilium, quod Sess. IV. sapientissimas tulit leges pro Scripturae studio, inter quas, ut ubique lectio fieret ad Scripturae sacrae interpretationem. Vid. Trid. *Sess. V. de Ref.* c. 1.

Art. III.

Historia Biblicae interpretationis quod ad Acatholicos.

Novatores.

Haeretici veteres aut Scripturae auctoritatem omnino negabant, aut aliqua solummodo loca vitiabant, quorum interpretationem ad suos errores detorquebant, ut satis patet ex historia haeresum priorum Ecclesiae saeculorum. Primi fuere Novatores, qui totius Scripturae interpretandae artem invexerunt, praeceptis traditam illis omnino contrariis, quae Catholici sequuntur. Saeculo XVI. Lutherus, Calvinus aliique, qui Novatores audiunt, initio quidem generale Concilium, Ecclesiaeque auctoritatem in Religionis caussis revereri ostentarunt, sed postea, neglecta penitus Ecclesiae auctoritate, haec de Scriptura sacra sanxerunt:

1.° Scriptura pro omnibus est regula quod ad credenda et agenda per se sola sufficiens; hinc nullus alius de his requiritur judex: 2.° Scripturae sensus apertus, obvius, clarus omnibus patet, praesertim ubi agenda aut credenda proponuntur: 3.° In dubiis quaestio solvenda est juxta privatum cujuscumque spiritum, scilicet juxta judicium proprium efformatum divino lumine, quod omnibus semper suppetit. Novatores porro interpretationis adjumenta ex linguarum scientia sumenda putarunt, atque etymologiis idcirco adhaerentes multa de fide ac moribus definiebant; ex. gr. idem verbum hebraicum כָּפַר *caphàr* significat *expiare*, ut Exod. XXX. 10. (1), ac *pice extrinsecus linire*, ut Gen. VI. 14. (2). Ergo *justificationem* peccatoris ex-

(1) ..... *et placabit* (Aaron) *super eo in generationibus vestris etc.*
(2) ..... *et bitumine linies* (Arcam) *intrinsecus et extrinsecus.*

plicandam dicebant per *tegumentum* sive *non imputationem* peccati, et *imputationem* justitiae Christi. Graece poenitentia dicitur μετάνοια idest *mentis mutatio*: ergo poenitentiae actum explicabant per actum illum mentis, quo unice peccator nollet a se commissum peccatum. Lutherus interim, ejusque asseclae versiones plures, prout illorum postulabant errores, concinnarunt, de quibus alibi diximus, nempe ubi de Versionibus Vulgaribus.

Ex hoc interpretandi systemate illud est consequutum, ut fere *tot essent sententiae*, *quot capita*, idemque Scripturae locus centum inter sese diversas, ac oppositas etiam interpretationes subiret, ut in materia *de Iustificatione* praesertim ostendunt Theologi. Hoc vel ipsi Novatores animadvertentes, interpretationum licentiae modum se esse impositurus, uniformitatemque opinionum consecuturos existimarunt, si quasdam fidei formulas, librosque, quos appellabant, *symbolicos*, confiterentur, ac sollemniter protestarentur esse veluti tesseram ad Scripturam explicandam. Hinc origo *Confessionum*, quarum (inter celebriores saltem) una *Helvetica* fuit, altera *Augustana*. At excusso semel Ecclesiae jugo, facilius negligi coeperunt *Confessiones* omnes, omnesque libelli; ac restituto interpretandi jure privato cujusque judicio, longius processere varietates, contradictiones, et ambages, sicuti testatur vel idem Michaelis ***Bibl. Orient.***

Sociniani.

Hi a Calvinistis originem duxere, auctoribus Socinis Laelio et Fausto, altero patruo, altero nepote, atque regulam hanc statuerunt pro Scripturae interpretatione. *Scripturam Sacram* (verba sunt Natalis Alexandri *de Socinianis* Tom. IX. *Saecul. XV. XVI.*) *ita esse perspicuam, ut in verbis ad salutem necessariis sola rationis ope, salutariter sine praecedanea mentis illustratione a Spiritu Sancto possit a quovis intelligi. Traditionem fidei regulam non esse.* Quare juxta Socinianos nihil est admittendum in sacris litteris, quod nostro percipi animo non possit viribus prorsus naturalibus. Mysteria igitur, aliaque supernaturalia trahebant illi semper ad ea, quae captui hominis accommodata forent. Ex Novatoribus et Protestantibus aliqui idipsum damnarunt; at in hunc tandem scopulum illorum *privatus spiritus* incidere debebat aliquando. Polonia, ubi Faustus Socinus mortuus est anno 1604., Hollandia, quae Socinianos e Polonia expulsos recepit an. 1665., et Anglia Socinianismo infectae sunt. Celebres porro extiterunt Sociniani Crellius, Eniedinus, aliique, nec a Socinianismo immunis aliquibus visus est Grotius.

Rationalismus.

Per Socinianismum ut patet, ex quo, abjecto spiritu a Deo immisso, *ratio sola* constituitur regula et judex pro explicandis omnibus, quae in Scriptura sunt, licet supernaturalia, inductum est interpretationis systema, quod dicitur *Rationalismus.* Ex hoc deinde semina sunt jacta *Naturalismi*, per quem insuper a Scriptura eliminatur quidquid supernaturale est. De Naturalismo igitur, qui omnium liberrimum interpretandi genus est, quique nunc, heu nimis grassatur, aliqua nunc sunt dicenda.

Naturalismus.

Notandum hic est praecipue neotericos quosdam Germanos Theologos, saeculo XVIII. jam proxime elapso, (dum in Anglia, Gallia, aliisque Europae partibus animos contagione sua inficerent *Naturalismus* superius explicatus, uti *Theismus*, et *Atheismus*) *Naturalismo* et ipsos fuisse infectos, quaemadmodum alios e protestantibus bene multos. Scripturae nulla penes illos auctoritas est saltem divina; nam *Naturalistae* perinde ac *Theistae*, et *Athei* omnem prorsus revelationem respuunt. At verebantur ne, si aperte id docuissent, impedimento foret, quominus late errores suos diffunderent. Quare hoc potius coepere consilium, ut Scripturae venerationem ostentarent, eamque ita simul interpretarentur, ut liber tandem appareret humanus prorsus, fabulis plenus, atque a piis quidem viris, sed rudibus et ignaris, sicuti increduli jactitant, conscriptus. Horum coryphaei plures assignantur: Semler, Rau, Bahrdt, Eichhorn, Michaelis, Iahnius, aliique, quos alias saepe indicavimus. Id consilium fuisse iis propositum revera ostendunt Alber Pannonius *Instit. Hermeneutic.*; Zamboni eruditiss. Dissertatione Romae edita an. 1819. *Saggio contro gli artificj di alcuni Professori d' Ermeneutica*; Ziegler *Oratio accademica de Rationalismo theologico*, *Viennae* 1818. Hoc ipsum clarissime liquet ex principiis, quae statuunt de biblica interpretatione, quaeque hisce continentur:

I. Miracula nulla, et nihil rerum naturalium sphaeram excedens in sacris litteris agnoscunt. Hinc Scripturae narrationes, quibus supernaturale aliquid, aut miracolosum adstrui videatur, alio detorquere totis viribus conantur. Saepe ut *phaenomena physica*, ut *res naturales* prodigiosa illa traducunt. Hinc, si ipsos audiamus, daemonum irruptio in hominum corpora, et eorum obsessio, mors primogenitorum Aegypti, exercitus Senacheribi strages nihil aliud praeter naturales morbos fuerunt. Saepe in *merum dicendi modum*, *in phrases* convertunt, quae gesta asseruntur. Sicuti enim a nobis per characte-

res ab Aegyptiis per hieroglyphica veritates in aliorum animos inducuntur, ita hagiographi quasi actum exhibent, quod docere solum cupiunt. Quamobrem serpens Evam alloquens, arbor vitam ad immortalitatem perducens, ab iisdem tamquam symbola venditantur amoris vitae, sive alterius rei. Quod si narratio Scripturae nullo pacto aliorsum transferri possit, et miraculum aperte praeseferat, tunc ajunt Scripturam enarrare solum, quod a quopiam somniatum fuerit, sive quod, licet falsum, vulgo tamen pro vero habitum sit, sive tandem quod fabula et apologo continetur; unde originem duxit ab hisce interpretibus *sensus fabulosus*, pluribus S. Scripturae locis attributus, quem illi *sensum mythicum* appellant.

II. Negant veras haberi Prophetias in Scriptura Sacra. Praeluserat jam errori huic saeculo V. Theodorus Mopsuestenus; a Costantinopolitano II. damnatus: idipsum rursus propugnatum fuit a Grotio; hoc iterum a Ioanne Clerico; hoc denuo recinunt usque et inculcant Neoterici, de quibus loquimur. Hinc omni ope conantur relationem et connexionem disrumpere omnem V. cum. N. Testamento, et disparatam omnino ostendere Synagogam ab Ecclesia nostra, Legem a Christo. Quinimo Harlemi in Hollandia an. 1792. praemium illi constitutum fuit, qui hocce problema resolveret: *extentne ullae de Christo prophetiae.* Teste autem Eichhornio (*Bibl.* T. 7.) praemium quidam, nomine Konynenburg, consecutus est, qui negantem defenderat sententiam. Vide cit. Alber. Quapropter Scripturae narrationes vaticinia exhibentes aut sicuti meras ingeniosorum hominum *conjecturas* explicant, aut sententias dicunt aliquid historicum, aliudve significantes, quas Christus et Apostoli in N. T. *sensu mere accommodatitio* aptarunt sibi, et Ecclesiae *per quamdam rerum analogiam.*

III. Sublatis miraculis ac prophetiis, nil mirum, si Christum ut purum hominem, non uti Deum agnoscant. Norimbergae an. 1787. librum prodiisse narrant, qui hanc eorum sententiam argumentis confirmare praesumebat. Sibimetipsis semper consentientes ajunt, opinionem de Messia solum Davidis temporibus ortum habuisse, idque ex spe venturi alicujus hominis, qui in omnem dominaretur orbem magna cum Iudaeorum gentis gloria. Iesus, qui purus erat homo, Messiae hujus speciem et characteres Divinitatis affectavit. Cum vero Neoterici isti, ut plurimum, Christiani videri velint, Christi Divinitatem idcirco plures simulant quidem, sed tum Christi portenta juxta principia sua evertunt, tum prophetias ablegant; deinde doctrinam Christi ita explicare student, ut dogmata, quae nos ab ipso credimus tradita, commenta potius appareant. Ad hoc illud praecipue recinunt, quod Christus ad opiniones sese

conformaverit, quibus Hebraei, post captivitates potissimum, imbuti erant ex Gentilium theologia. Hinc dogmata de animorum immortalitate, de resurrectione, de inferno, Christus edocuit juxta Gentilium doctrinam de Cerbero (1), de Styge (2), de Campis Elysiis, de Inferno, deque aliis hujusmodi fabulis. Quod autem de Christo statuunt, ac de ejus doctrina, ad Apostolos quoque proportionaliter pertrahunt.

IV. Ut felicius vero Neoterici sectarentur proposita sibi semel de Miraculis, de Prophetiis, de Christi Divinitate ac doctrina evertendis memorata principia, Criticam artem ad Scripturae verba interpretanda suopte ingenio sibi constituunt. Hujus Neotericorum Criticae pars major sita est in determinanda verborum significatione ex familiari Hebraeorum loquendi more, cui (aiunt) obsequuti sunt claritatis gratia Christus, Apostoli, et Hagiographi cuncti. Hebraeorum autem loquendi morem statuunt proprio marte in *quadam phraseologia* principiis suis favente, aut saltem non repugnante. Ita ex eorum sententia in Scriptura saepe dicitur *Deum apparuisse, loquutum esse* ad significandas cogitationes bonas, bonaque consilia in hominis mente exorta, quae scilicet Hebraei ad Deum referre solebant, et quasi illius vocem, aut oracula considerare. Ita etiam si quid boni inopinato contigisset, ajebant Hebraei id esse *Angelum bonum*; si quid mali, *malum Angelum*. Intelligitur ergo quid apud Neotoricos sint de Angelis narrationes Scripturae. *Filium Dei* appellabant Hebraei creaturam quamlibet Deo peculiariter gratam; et en ratio cur Christus juxta illos licet purus homo, filius tamen Dei sit appellatus. Ita de sexcentis aliis. Ex quibus omnibus colligitur, quid sit horum Interpretum *sensus vulgaris*, juxta quem Scripturam semper explicandam esse volunt.

V. Neoterici Criticae suae partem aliam haud parvam petunt ex linguis, nedum hebraica et graeca, quae dicuntur linguae Scripturae *archetypae*, sed ex caeteris quoque linguis orientalibus, ex arabica praesertim, immo ex linguis omnibus. Horum enim praesidio statuunt verborum Scripturae significationem intelligi posse. Quid autem moliuntur? Cum naturalis verborum structura aliquid exhibere videatur, quod ipsis non arrideat, in aliis linguis, et in arabica praecipue, (cui hebraica, ceu fons mari, comparari quod ad copiam non incongrue potest) vocem expiscantur *Naturalismo* faventem. Deinde aut

(1) *Canis triplici capite, custos, ut Poetae fingunt, januae infernalis, quem Herculcs domuit, et subactis inferis ad superos traxit catenis constrictum.*

(2) *Inferni palus juxta Poetarum fabulam ortam ex Styge fonte, cujus aqua pota statim enecat.*

vocem illam subrogant textum mutantes, aut ex ea etymologiam inferunt, juxta quam textum ipsum suo arbitratu explicant; etiamsi linguae naturam, sermonis contextum, et Patrum sententias idcirco detorqueant. Aliqua proferemus exempla. Celebris est locus Psal. CIX. — *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* — ad ostendendam excellentiam Sacerdotii Christi, attenta maxime explicatione Paulli ad Hebr. V. et VII. At illi, ut hunc sensum excludant, dicunt, explicandum esse illud *secundum ordinem*, hebr. דִּבְרָתִי *dibrathì*, vel *divradi* ex significatione verbi hebraici, quod *Sanctum Sanctorum* denotat, ad quod Iudaei, ubicunque consisterent, sese convertebant, orantes. Quo posito, Psalmus ex eorum sententia indicabat Christum oraturum, uti orabat Melchisedech, qui non locum sanctum ut mos erat Hebraeis, sed caelum naturali modo respiciebat, atque Christum proinde naturalem precandi ritum consuetudinibus aliis legalibus esse praelaturum, sive per Christum introducendam religionem simplicem et naturalem, cujusmodi erat tempore Melchisedech. Septuaginta Danielis hebdomades, quibus completis, juxta Christianorum interpretationem, Messias oriturus erat, quae in Vulgata dicuntur *abbreviatae* (Daniel. IX. 24.), in hebraeo dicuntur praecisae, נֶחְתַּךְ *nechthàch*. Ne hoc de Christo intelligatur, verbum illud explicant, significationem ipsius ab Arabibus desumendo, apud quos, inquiunt, exprimitur per illud *descendere*, vel *revelare*, vel *propere incedere*; quare inferunt, Danielem non de Jesu Christo, sed de 70. annis captivitatis babylonicae loquutum esse, vel de alia hujusmodi re. Notetur tamen, versionem ipsam Arabicam, nec non LXX. vertere *decisae sunt*, non vero *propere incedere* etc. De his ac similibus vide Alber *Exeg. Exer.* Hisce de caussis Neoterici summis extollunt laudibus studium linguarum, quod et necessarium et sufficiens esse ad Scripturae interpretationem jactant. In hac autem re Neotericis praeluserunt Lutherus, Melanthon, Grotius, Erasmus, et Valla grammaticali verborum significationi plus aequo inhaerentes, ut alias adnotavimus.

Hujusmodi principiis positis, nihil, ut patet, impediebat, quominus Theologi isti, et colerent et diffunderent *Naturalismum* simul et *Theismum*. Ne lato quidem ungue differrent a caeteris philosophis, praesertim Gallis, nomen quoque sumpsere *Illuminatorum*, atque ut Galli errores suos disseminare per *Encyclopaediam* propriam instituerunt, ita et hi illuminati Theologi Berolini, praeside Friderico Nicolai typographo, *Bibliothecam*, quam appellabant Germaniae universalem, parandam curarunt, ubi virus absconderent, sub specie librorum de Scriptura et de Religione tractantium, reformandorum, nec

non eorum populi commodo exaugendae copiae. Berolini ad id insuper an. 1766. Societas instituta fuit, quae jam inde ab ejus initio 130. sodalibus constabat.

Kantiani.

Ad systema Theologorum Germanorum referri quodammodo potest principium de biblica interpretatione Emmanuelis Kant nati Regiomonte, germanice *Königsberg*, quae urbs Metropolis est Prussiae, quam vocant *Ducalem.* Hic a religione eliminanda censebat illa, quae credenda essent, uti mysteria: hinc *moraliter* omnia quae in Scriptura sunt, explicanda esse statuebat; dein omnia *naturali tantum ratione* interpretanda esse. Ergo tandem per Kant Scriptura non discriminatur a libro, qui philosophiam moralem contineret.

Societates biblicae.

An. p. m. 1804. Londini in societatem ad Biblia typis mandanda quidam coiverunt, ut passim tum in Anglia, tum in exteris regionibus, qua latissime fieri posset, copia suppeteret exemplarium Bibliorum. Multi in eam adlecti sunt: Biblia statim in sermones vulgares conversa sine ullis adnotationibus, explicationibusque: exemplaria aut parvi divendita, aut nullo pretio distributa; quo factum est, ut anno 1813. exemplaria fuerint distracta numero (quo majorem admodum referunt alii) 167,320. Crevit deinde societatis studium in hanc usque diem, nec ferme ullus sermo est adeo incultus et barbarus, in quem Biblia convertere hujus Societatis asseclae non aggrediantur. Neque vero in Anglia solum, sed alibi quoque hujusmodi societates institutae sunt. Vide *Bibliothèque Britannique* 1818. *T.* 57. *Litterat. pag.* 386.

Ex hisce facile percipitur, quo consilium (quidquid de ejusdem origine fuerit) reapse cesserit, scilicet ut Christiani nil praeter Scripturam requirant, et Religionis negotia suo quisque ingenio per Scripturam, Ecclesia neglecta, contemptisque Patribus, dijudicet. Uno verbo *Societas biblica* Novatorum surculus facta est; quod ex eo confirmatur, quod nunc Lutherani et Calvinistae societatibus biblicis utantur pro *Missionibus*, ut vocant, suis, nempe ad sectas suas propagandas.

Incommoda vero haec eo magis crescunt, quo difficilius est in orientales linguas, Sinensium maxime, Scripturam Sacram fideliter vertere, et quo minus populi illi rudes apti sunt ad judicium ferendum de mysteriis, aliisque rebus supra naturam positis, quae in Scriptura continentur.

De societatibus biblicis, earumque progressibus consulatur

praeterea La Mennais, *Art des Sociétés bibliques*, et *l' Ami de la Religion et du Roi*, praesertim Fasc. 1099. Vide etiam Diss. II. Cap. III. Art. IV. de Versionibus Vulgaribus, adnotat. Cl. Mezzofanti.

Clarum porro satis est, editiones hujusmodi ex eorum numero esse, quae regulis Indicis interdictae sunt, utpote versiones exhibentes nudas et vulgares, sicuti innuimus alibi. Iure itaque ac merito biblicas hasce societates tamquam pestem avertere boni satagunt Catholici; et Summi Pontifices continenter vigilantiam ad hoc adhibent suam. Pius VII. illas *ab institutis Ecclesiae Catholicae* declaravit *alienas* litteris datis ad *Archiep. Gnesniensem in Polonia die* 29. *Iunii an.* 1816., et 3. *Sept. ad Archiep. Mohiloviensem in Lithuania.* Congregatio Propagandae die 3. Aug. an. 1816. per litteras monuit Vicarios Apostolicos Persiae, Armeniae, aliarumque Orientis partium, ut ab hujusmodi societatibus summopere caverent. Indicis etiam Congregatio de novis Bibliis ad examen revocandis sollicita est quam maxime. In Anglia societates biblicas tamque perniciosas Christianae Reipublicae habitas fuisse constat ex *The Orthodox Journal and Catholic monthly Intelligencer for February.* London ann. 1816. Diarium, cui titulus *Mémorial Catholique*, ann. 1828. mens. Febr. acrem describit dissensionem inter societates Angliae ac alias Scotiae. Tandem Franciscus I. Imperator die 3. Decembris ann. 1816. a suis Provinciis decreto prohibuit biblicas societates.

CAPUT II.

DE NECESSITATE INTERPRETATIONIS BIBLICAE.

Ut recensitos errores ex ordine revincamus, simulque viam rectae interpretationi Scripturae sternamus, de necessitate alicujus interpretationis prius est agendum. Haec porro necessitas patet praecipue ex obscuritate Scripturae, et ex sensuum ejusdem varietate, quae duo negant acatholici. Sit ergo primum.

Art. I.

De Scripturae obscuritate.

Probatur Scripturam esse obscuram.

Scripturae obscuritatem multa evincunt, ac

1.° Scriptura ipsa. Psal. CXVIII. David sic orat *da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam*, cui alia multa ejusdem Psalmi similia sunt. Hieronymus vero ad Paullinum ait. *Si tantus Propheta tenebras ignorantiae fatetur, qua nos putas parvulos, ac pene lactentes inscitiae nocte circumdari?* Christus apud Lucam XXIV. duobus discipulis primum, deinde omnibus Apostolis Scripturas interpretatus est: *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Haec autem aperte supponunt Scripturae sensum non esse clarum. Petrus 2.ª Ep. III. 16. ait, in Epistolis Paulli esse *quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant.* Philippus ita interrogat Eunuchum Act. VIII. 31. *Putasne intelligis quae legis? qui ait: et quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi?* Apostoli et ipsi saepe haerebant in intelligentia eorum, quae Christus illis dicebat. Vid. Matth. XIII. 36. (1), XVI. 11. (2); Luc. XVIII. 34. (3).

2.° Patres, ac Theologi, qui nedum verbis saepe testati sunt Scripturae obscuritatem, sed et facto, commentaria elucubrando, multiplicandoque ad Scripturae explicationem. Bellarminus multa colligit Patrum de hac re testimonia. Sufficiant nobis haec duo, Hieronymi unum, alterum Augustini.

Hieronymus integram ad Paullinum scripsit Epistolam, Scripturae obscuritatem ostendens. *Ut intelligeres* (verba sunt Hieronymi ad Paullinum num. VI.) *te in Scripturis Sacris sine praevio et monstrante semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, musicis, geometris, dialecticis, astronomis, astrologis, medicis, quorum scientia mortalibus vel utilissima est, et in tres partes scinditur:* τὸ ὄγμα, τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. *Ad minores artes veniam, et quae non tam lingua, quam manu administrantur. Agricolae, caementarii, fabri metallorum, lignorumque caesares, lanarii quoque; et fullones, et caeteri, qui variam suppellecti-*

(1) *Accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: edissere nobis parabolam zizaniorum agri.*

(2) *Quare* (inquit Christus Apostolis) *non intelligitis? quia non de pane dixi vobis: Carete a fermento Pharisaeorum, et Sadducaeorum?*

(3) *Et ipsi* (Apostoli) *nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quae dicebantur.*

lem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est promittunt medici; tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant.

Scribimus indocti, doctique poemata passim.

Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent antequam discant etc.

Augustinus (Epist. 2. ad Volusianum: *Legi litteras tuas*), inquit: *Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: non quod ad ea, quae necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate, sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie et recte non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tamque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quae intelligendae sunt, latet altitudo sapientiae, ut annosissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: cum consummaverit homo, tunc incipiet.*

3.º Ex ipsis Haereticis, ac Novatoribus praesertim, argumentum sumi potest Scripturarum obscuritatis. Ex Haereticis quidem; nam nulla ferme est haeresis, quae ex Scripturae distorta explicatione aut originem aut confirmationem non petierit, ut Historia docet ecclesiastica, et Augustinus de haeresibus ante illum exortis (*Tract. in Io. XVIII.*). Ex Novatoribus insuper praecipue; nam omnes, quotquot ex illorum familia orti, et divisi sunt in peculiares sectas, ad Scripturam appellant, eamque vindicant pro se Anabaptistae, Quakeri, Separatistae, Methodistae, Moravi, aliique. Hinc tot, ac inter se oppositae Novatorum versiones et commentaria: hinc unius, ejusdemque loci persaepe tam discordes explicationes, ut inter *Confessionistas* viginti inter se diversae sententiae sint ad Scripturae verba de *justificatione* explicanda. Rasberg collegit bis centum diversas interpretationes verborum Christi: *Hoc est Corpus meum.* Lutherus ipse scribens contra Zwinglium et Oecolampadium I. 1. ait: *Si diutius steterit mundus, iterum fore necessarium, propter diversas Scripturae interpretationes, quae nunc sunt, ut ad conservandam fidei unitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.* Sed unde, recte arguit Bellarminus, tot Scripturae interpretationes, si Scriptura sit tam facilis, et aperta?

4.° Ratio ipsa multas exhibens caussas, ex quibus quasi necessario derivari oportuit Scripturae obscuritas. Hujusmodi caussae hae sunt. *Prima*: Res, quae in Scripturis traduntur. Sunt enim multa ad Dei naturam, ejusque attributa pertinentia, ut de *Trinitate Personarum*, *de Providentia*, *de Praedestinatione*, *de Incarnatione*, caeterisque supernaturalibus rebus, atque mysteriis; multa quoque sunt prophetica oracula, quibus ad praefinitum a Deo tempus obscuritas inest sapientissimis de caussis, ut alibi docemus. (Vide Canonem de *Prophetis* in altera Inst. parte.) *Secunda*. Figurae, metaphorae praesertim, quibus Orientales utebantur saepissime; quibusque addi potest poeticus stilus quod ad libros nonnullos, uti Psalterium, Iob, Cant. Cantic. *Tertia*. Idiotismi hebraici, graecique, qui nedum in textu inveniuntur, sed inversionibus quaeque a fideli interprete servati sunt. *Quarta*. Ignorantia Historiae Hebraeorum. Plurima enim, in V. T. praecipue, ad leges et consuetudines, ad loca et tempora Hebraeorum spectant, quae utpote satis eo tempore nota non explicat hagiographus, quaeque nos, ab eo et loco et tempore remotissimos, saepe detinent. *Quinta*. Hominum desidia, et potissime defectus illarum animi dispositionum quibus Deus, sicuti deinceps probabimus, quasi alligavit verborum suorum intelligentiam.

Solvuntur opposita argumenta.

Sed Novatores ac Biblici conantur eruere Scripturae perspicuitatem ex Scriptura ipsa, ex Patribus, et ex ratione. Satis esse arbitramur ad summa quaedam capita responsionum genera revocare, ac plura relinquere apud Bellarminum videnda.

Quod ad Scripturam, notandum est 1.° Perspicuitatem quidem sibi aliquando Scriptura attribuit; sed hoc de aliqua tantum peculiari ejus parte ostenditur, sicuti de lege Domini dicitur Ps. XVIII. — *Praeceptum Domini lucidum*; — Decalogus enim clarissime ad verborum sensum quod attinet, proponitur. 2.° Saepe ibidem non de verborum, ac sensus, sed de rei alterius perspicuitate agitur. Ita Deuter. XXXII. de mandato Domini scribitur — *non supra te est*, *neque procul positum*, — idest impleri potest: 2. Petr. I. *propheticus sermo* comparatur *lucernae lucenti*, ac Paullus (2. Cor. IV. 3.) dicit Evangelium opertum *iis qui pereunt*; idest doctrina et fides, quae ex Scripturae intelligentia proficiscuntur, fidelium mentes aperiunt ac illuminant; at prius illa est intelligenda. Ita N. T. clarum praedicatur Apoc. V. 8. ubi dicitur librum per Agnum fuisse apertum; sed id solum hoc sensu, quod figurae et mysteria fuerint per Christum revelata, nulla prorsus revelationis perspicuitatis habita ratione.

Quod ad Patres notamus: interdum per amplificationem oratoriam ea loca, quae claritatem in Scripturis asserere videntur, explicanda esse, uti Chrysost. *Hom. 3. de Lazaro*; interdum illos cum limitatione esse locutos, uti Augustinus (*l. 2. de Doctr. Christ. c.* 6.) quando ait: *Nihil fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur;* interdum Patres Scripturam esse claram pronunciasse sive quodam tantum respectu juxta superius dicta, sive convenienti posita Pastorum explicatione.

Quod ad argumenta, quae ex ratione sua eliciunt Novatores ac Biblici, animadvertimus: 1.° Etsi Scriptura sit obscura, sententiae tamen de religionis doctrina per eam probari possunt; nam est quidem illa quod ad verba minus nota, sed quod ad veritatem, auctoritatemque notissima est.

2.° Nullam divinae Sapientiae infert maculam Scripturae obscuritas. Magna enim in primis hujusmodi obscuritatis pars ingenii humani infirmitati attribuenda est, ut aegre Scriptura intelligatur. Prae oculis habeantur caussae jam adductae Scripturarum obscuritatis. Deo praeterea sapientissimo, qui est *Deus magnus vincens scientiam nostram* (Iob. XXXVI. 26.), Deo, inquam, suppetere possunt rationes bene multae consiliorum suorum, quas tamen investigare non valeamus. Verum multae quoque caussae nobis praesto sunt, ob quas, docente Augustino, Deus loqui minus perspicue voluit.

1.° *Quod Scriptura obscura sit provisum esse non dubito ad edomandam labore superbiam.* (*De doctr. chr. l. II. c.* 6.)

2.° Ut humiliatus homo oret. *Quando obscurum est*, (aliquid nempe in Scriptura) *medicus illud fecit ut pulses.* (*in Ps. CXLVI.* 6.)

3. Ut homo per gratiam oratione obtentam veritatis intelligendae capacior fiat. *Latior factus*, *capies quod donatur.* (ibidem.)

4.° *Ad intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt.* (*De doctr. Christ.* loc. cit.)

5. Ut nova quodammodo reddatur veritas, dum eadem ex aliis cognitis explicatur. *Iam ista noveratis*, *versus autem istos Psalmi hujus non intelligebatis. Expositum est quod non intelligebatis*, *et innovatum est quod noveratis;* (*in Psal. CXXXVIII.* vers. fin.)

6.° Ut obscuritatis occasione Fideles excitentur ad audiendam Pastorum vocem, et Ecclesiae uniformiter adhaereant. *Nisi enim haberemus occasionem obscuritatis Scripturarum*, *ista vobis non diceremus*, *quibus gaudetis* (*in Psal. CXLVI.* 8.).

Postremam hanc rationem confirmat Novatorum ac Bibli-

corum historia, apud quos, posita Scripturarum perspicuitate, omnibusque hominibus facultate facta pro tribunali sedendi, Religionis negotium in praeceps ruit.

Art. II.

Quinam sint Scripturae sensus.

Dum aliquis scribit, aut loquitur, illius sensum id appellamus, quod ipsius mente conceptum est, quodque verbis, scriptura, aliove signorum genere manifestatur. Sensus itaque Scripturae erit ea veritas sive sententia, quam significatam voluit Spiritus S., quamque verba ipsa Scripturae *mediate* vel *immediate* significant. Hinc oritur multiplex sensuum species, de quibus ex ordine loquendum, quatenus ad rem attinet nostram.

Sensus literalis.

Sensus per verba ipsa designatus, sive id quod verba proxime et immediate significant, graece dicitur *grammaticus*, latine *literalis*. Iam vero verba interdum sumuntur naturaliter sine tropo, interdum cum tropo. Si primum, sensus literalis dicitur *proprius*; si secundum, *improprius*, *translatus*, *tropicus*. Primi exemplum habetur in hoc textu — *Diliges Dominum Deum tuum* —; secundi in verbis Christi — *Ego sum vitis, vos palmites* —. Sensus *literalis improprius* saepissime occurrit in Scriptura, dum haec praesertim loquitur de Deo, de Angelis, aliisque; quorum ideas proprias sensuum ope efformatas non habemus.

Tropus vero consistere potest in una tantum voce, vel in sermone continuato. Unius vocis tropi sunt, metaphora, synecdoche, metonymia, ironia, hyperbole, etc.; quorum omnium in Sacris litteris abundant exempla, de quibus tamen nobis hic non est speciatim dicendum. Si vero tropicus sit sermo integer, oriuntur allegoria, parabola, apologus, symbolum, quae pariter omnia in Scriptura reperiuntur.

Allegoriae, quae continuata metaphora est, exemplum habes prae aliis in Ps. LXXIX. ubi de Deo, ac de populo Dei sub figura vineae ex Aegypto translatae longus fit sermo, quae allegoria vineae in Isaia, aliisque etiam occurrit.

Parabola, juxta vim nominis, comparationem significat. Usurpatur vero aliquando ad res significandas concinne et sententiose prolatas, quo sensu dicitur, Salomonem locutum esse ter mille parabolas. Deinde sumitur pro narratione efficta, verosimili, et ad docendum accomodata, atque hac ratione, ait Hie-

ronymus (*Comm. in Matth.*) Syris, [et maxime Palaestinis fuisse parabolas usitatissimas. Nos eam modo juxta significationem hanc consideramus. Hisce usus est summopere Christus, sive morem gerens Hebraeis, sive ut quaedam multis occulta teneret, uti constat ex Evangelio, et praesertim Luc. VIII. 10. Notamus hic obiter, duo esse in omni parabola animadvertenda. Narratio in primis, scopus deinde parabolae. Scopus aliquando significatur expresse; ita Nathan Davidi loquens post parabolam addit — *tu es ille vir* —; aliquando ex contextu, et circumstantiis narrationis est conjiciendus, ut in multis Evangelii parabolis. Detecto autem parabolae scopo, ait Chrysostomus *non opportet nimia in singulis verbis cura perangi.* Plura enim adjunguntur ad narrationis ornatum, uti in tabula picta, aut in cithara; atque ea non snnt necessario parabolae scopo adaptanda. Ita de numero lampadum in parabola Virginum, de servi conviciis in Dominum, a quo objurgatus erat apud Matth.

Apologus, latine *fabula*, dat brutis, aliisque sine sensu rebus, consilium, sermonem, actionem, ad aliquid significandum. Hujusmodi est concilium arborum eligentium rhamnum in regem; quo stultissimum significabatur consilium eligendi in regem impium Abimelechum (Iudic. IX.). Apologus est etiam quod de duabus aquilis narratur apud Ezech. XVII.

Symbolum est res, vel actio tamquam signum alicujus rei. Hujusmodi fuerunt catenae Ieremiae collo impositae ad captivitatem variis Regibus praedicendam (Ier. XXVII.). Similia narrantur symbola apud Ezech. III.

Sensus mysticus.

Sensus *Mysticus*, sive *Spiritualis*, sive *Typicus* ille est, quem habent verba non immediate et proxime, sed mediis rebus, quas immediate et proxime illa significant: scilicet res verbis significata, Deo inspirante, ad quid aliud exprimendum aliquando fuit ordinata. Ita serpens a Moyse exaltatus filium hominis praenunciabat, docente Evangelio (Io. III.); ita etiam Ionas in ventre Ceti (Matth. XII.) Christum delineabat sepultum. Hinc intelliges tritissimos versiculos:

Littera gesta docet; quid credas Allegoria;
Moralis quid agas; quo tendas Anagogia;

Fatendum tamen est tum apud veteres Patres, tum apud multos e recentioribus haec omnia fuisse sumpta promiscue ad indicandum sensum quemcumque, qui figuras involvat.

Sensus implicitus, et explicitus.

Placet aliquibus inter recentiores utrumque sensum *literalem*, et *mysticum* distinguere in *implicitum*, et *explicitum*. Quando enim verborum significatio quod ad sensum *literalem*, quando typus quod ad *mysticum* clare patent, tunc sensus *explicitus* appellabitur. At quando ratiocinatione vel ulteriori declaratione opus est, *implicitus* oritur sensus. Ita *literalis* sensus erit *implicitus* ad mortuorum resurrectionem quod spectat, in his Exodi III. verbis: — *Ego sum Deus Abraham*, *Deus Isaac, et Deus Iacob* —, ex quibus Christus (Matth. XXII.) resurrectionem intulit, propterea quod non est *Deus mortuorum, sed viventium.* Sensus *mysticus implicitus* erit ad hoc significandum, quod Christiani debeant in caelestem requiem ingredi, in illis Gen. verbis: *Et requievit Deus die septima*!, quem sensum ostendit Paullus ad Hebraeos IV., in creatione mundi typum inveniens redemptionis.

Sensus accommodatitius.

Consistit hic sensus in analoga translatione eorum, quae in Scriptura dicuntur, ad alia, quae sunt extra Scripturae ipsius propositum, idque ob rerum similitudinem. In Patribus et Concionatoribus multa passim occurrunt exempla: occurrunt et in Ecclesiae ritibus, in Missis et officiis Sanctorum.

Art. III.

De existentia sensuum literalis, et mystici.

De sensus literalis existentia.

In omni Scripturae loco sensum inesse literalem, extra omnem dubitationem est. Nam Scripturae verba debent aliquid significare, secus aerem tantummodo verberarent. Enimvero nisi literalis adesset sensus, nec alius quisquam existeret, quippe caeteri omnes sensus aliquam verborum de re aliqua significationem semper praesumunt. Quod si Patres aliqui hoc negare visi sint, notandum est eosdem contendisse solum, literalem sensum proprium non semper occurrere, atque hoc quoque modo aliqui interpretantur quod ait Paullus (2. Cor. III.) *littera occidit.* Immo non defuerunt qui satis probabiliter in multis Scripturae locis plures admitterent literales sensus, sic prae aliis Angelicus (*Part.* 1. *Quaest.* 1. *art.* 10.) Bellarminus (*de Verbo Dei l.* 3. *c.* 3.). Hanc muniebant sententiam tum auctoritate nonnullorum Patrum, tum variis Scripturae exem-

plis, inter quae illud Isaiae (LIII. 8.) *Generationem ejus quis enarrabit?* ubi intelligi potest generatio Christi vel humana, vel divina, vel utraque. (Vide Commentatores). Tandem idipsum confirmabant argumento ex divini eloquii ubertate et foecunditate deprompto.

De mystici sensus existentia.

Sensus mystici existentiam inficiantur Neoterici, de quibus in historia interpretationis verba fecimus: hi cum aliquibus e veteribus negant oracula, ac nexum discindere conantur inter V. ac N. Testamentum, ut pariter monuimus. Celebris est contra sensum mysticum liber Ioan. Wilhelmi Rau an. 1784. *de Typica Theologia.* Ex hisce illi, qui Protestantes sunt, mysticos sensus aperte adoriuntur; qui Catholici videri cupiunt per cuniculos oppugnant, ita ut mysticos quidem admittant sensus, at sic eosdem explicent, ut veri typi, prout Catholici tenent, haud sint. Ita Iahnius (*Archaeol. p. 3. et Enchirid.*) typos distinguit in *historicos*, uti Pascha, quod Aegypti memoriam revocabat; *morales*, ut circumcisio, quae cordis mortificationem significabat; et in *propheticos*, de quorum existentia dicit gravem ac difficilem esse quaestionem, quam nunquam dirimere ipse voluit. Addit, Hebraeos nullos de Christo typos agnovisse; negari tamen non posse, inquit, legem Mosaicam nutu fere, attentis promissis de semine benedicendo a Deo factis, significasse quid aliud dandum Hebraeis lege ipsa excellentius. Sic ille prudentiam affectans, doctrinae suae virus diffundit. Praestat itaque ostendere ex professo, in sacris litteris verum sensum mysticum aliquando contineri. Evincitur autem hoc:

1.° Ex unanimi Iudaeorum sententia, etiam dum eorum Religio vera fuit. Universalis ac constans hujusmodi sententia invictum Traditionis argumentum praesefert. Hos vero omnes ita sensisse colligitur praecipue ex eorum, quae supersunt, operibus, et ex historia interpretationis biblicae.

2.° Ex Scriptura ipsa multimode id probari potest. Primo enim juxta Apostolum (ad Rom. XV.) *quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Plura vero in ea occurrunt, quae, sensu mystico rejecto, nullius essent aedificationis, uti ex. gr. Cantica Canticorum.

Secundo. Typorum in V. T. existentiam idem Apostolus aperte testatur sequentibus locis: (Ad Rom. X.) *Finis enim legis Christus.* (1. Cor. X.) *Haec autem in figura* (graece τύποι) *facta sunt nostri . . . . haec autem omnia in figura contingebant illis*; (ad Galat. IV.) de Sara et Agar *quae sunt per allegoriam dicta*: *haec enim sunt duo testamenta;* denique

ad Hebr. X. ait Paullus legem veterem *futurorum bonorum* praetulisse *umbram*. Plura alia ommittimus.

Tertio. Innumera sunt N. T. loca, in quibus aliquid contigisse additur, *ut adimpleretur quod dictum est*. At hujusmodi loquendi modus ponit aliquid revera pronunciatum, ac ea mente prolatum, ut praediceretur illud, quod venturum erat; secus nec impletum, nec non impletum illud dici posset. Sed V. T. ea, quae adimplenda asserit, significare non poterat, saltem quod ad plurima, nisi iisdem vis concedatur mysticae significationis. Ad rei exemplum, et confirmationem loca haec sufficiant: apud Luc. (XXIV. 25.) sic Christus loquitur: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae loquuti sunt Prophetae! deinde incipiens a Moyse et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant*: inferius vero Christus ait: *necesse est impleri omnia, quae sunt scripta in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Idem Christus apud Ioann. (V. 45. etc.) ait: *est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit.* Legimus etiam (Ioann. XIX.) crura Christo Crucifixo fracta non fuisse, *ut Scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo*, nempe ex agno paschali. Complura sunt alia N. T. loca in quibus haec inveniuntur, *ut impleretur . . . ; quomodo ergo implebuntur ? . . . ; necesse est impleri . . . ;* etc.

Ad hujus argumenti vim adaugendam inservire possunt, quae tradunt Theologi ubi, prophetiis multis ex Scriptura adductis ac vindicatis, credibiles ostendunt Religionis nostrae veritates. Aut enim illa non sunt, in multis saltem, verae prophetiae, aut Scripturae praeter id, quod literalis sensus sibi vult, ulterius aliquid mystice significant. Rursus hoc loco opportune animadvertimus, Theodorum Mopsuestenum negantem prophetica de Christo oracula in Prophetis et Psalmis, a Constantinopolitano II. esse damnatum.

Quarto. Multa proferri possunt V. T. loca, quorum mysticum sensum aperiunt N. T. Scriptores. Aliqua subjicimus. Paullus (ad Hebr. IX.) asserit, ritum solemnis Iudaeorum expiationis designasse universalem hominum expiationem per sanguinem Christi. Quod ne ad nudam rerum analogiam trahatur, notentur haec Paulli verba, *hoc significante Spiritu Sancto . . . quae parabola est temporis instantis . . . . non in manufacta Sancta Iesus introivit, exemplaria verorum.* Melchisedecum gessisse summi Sacerdotis Christi typum praeter Ps. CIX. ostendit Paullus eadem Epist. ad Hebr. cap. VII., qua omnes Melchisedechi circumstantias, quod ad genealogiam, dignitatem, aliaque, describens, haec demonstrare inquit, in eo

Christi figuram divino consilio esse delineatam. De Adami conjugio ait idem Apostolus (ad Ephes. V.) *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Petrus Epist. 1.ª III. Baptismo aptat, quae de Arca dicuntur Gen. VII. Hisce porro locis, ut patet, tam naturalis et juxta mentem scribentis evadit mystica significatio, quam literalis. Literalis enim horum locorum sensus involvit, appellat, et explicat mysticam significationem aliorum, quae citantur, locorum.

Ex quibus omnibus concluditur, aut denegandam auctoritatem N. T., ex quo mystici sensus Veteris eruuntur; aut concedendum esse typos revera existere.

In hac autem typorum cum prototypo, prophetiarum cum rerum eventu, relatione fundatur potissimum arctissimus ille nexus inter V. ac N. T., quem quidem adversarii vellent omni conatu discindere, sed aperte confirmat et res ipsa attente perspecta, et Christus atque Apostoli manu veluti designaverunt, ut plurimum V. T. loca adducentes, eademque Novo adaptantes. Vide Bousset, *Discours sur l' histoire universelle,* quem etiam alibi commendavimus.

3.º Non desunt, qui ratione ipsa duce, congruentiam saltem colligant pro sensu mystico ex eo, quod dignum sit Deo ita loqui aut scribere, ut uno verbo multa doceat, quemadmodum uno actu multa, immo omnia cognoscit. Huc respicere videtur Gregorius (*Mor. lib.* 20. *c.* 1.) dum Scripturam laudans, de eadem sic loquitur: *Scientias omnes atque doctrinas ipso etiam locutionis suae more transcendit: quia uno eodemque sermone dum narrat textum, prodit mysterium, et sic scit praeterita dicere, ut eo ipso noverit futura praedicare.*

Solvuntur Argumenta contra sensum mysticum.

Peculiare Neotericorum effugium ad prophetias declinandas, quod huc quoque referri potest, Diss. I. c. III. Art. IV. ubi *de Prophetis*, praeclusimus. Sed praeterea:

1.º Neoterici illi in hoc toti sunt, ut mysticus sensus, quem juxta Catholicos multae habent Scripturae partes, ad simplicem accommodationem, ad analogiam, sive ad exempla trahatur. Hoc in primis sufficere dicunt mysticae Scripturae interpretationi. Nos vero id fidenter negamus; argumentis illis, quae proposuimus, innixi, quibus etiam singillatim consideratis, certum fit, ex Spiritus Sancti per homines loquentis consilio multa in Scriptura esse significata praeter id, quod verba sibi velint, idest sensu vere mystico. Ab argumentorum repetitione abstinemus.

2.° Christus, et Apostoli loquentes, Iudaeorum consuetudini, ingenio, et opinionibus, quibus illi delectabantur, et erant imbuti, indulserunt. Delectabantur porro quam maxime allusionibus, similitudinibus, comparationibus de industria repertis solummodo, uti Thalmud praesertim ostendit. Imbuti vero erant Gentilium opinionibus, ex. g. de Campis Elysiis, de Cerbero, de Styge, deque similibus. Ad hanc loquendi indulgentiam, a Christo et Apostolis adhibitam, referunt, quae mystica in Scripturis apparent, ac mystico sensui surrogant sensum, quem ipsi appellant *vulgarem*. Sed etsi Hebraei fuerint similitudinibus delectati, respondemus in primis, eos sensus quoque vere mysticos agnovisse et sectatos esse, ut in historia Interpretationis docuimus; nec non ipsos oraculorum existentiae fidem adhibuisse, uti confirmant ea, quae ex Prophetis docebant, ex. gr. apud Matth. II. Messiam e Bethlehem oriundum ex Michea; apud Ioann. XII. 34. Christum mansurum in aeternum ex Psalmis, et Prophetis. Ergo si adversarii statuunt, Iudaeorum consuetudini, et opinionibus adamussim Christum et Apostolos indulsisse, fateantur oportet hos, non secus ac Iudaeos, et vera credidisse oracula, et mysticos sensus agnovisse. Praeterea Apostoli sensum mysticum adhibent etiam cum conversis ethnicis agentes, apud quos accomodatio illa praeter rem omnino fuisset.

Deinde illud quaerimus, quid nomine illius Christi et Apostolorum indulgentiae intelligant? An vilem et turpem Iudaeorum sermonibus et commentitiis opinionibus adhaesionem? Verum hoc primo injuriosum ac impium est de Christo asserere; de Apostolis etiam, qui flagrans suum ac heroicum fidei studium patefecerunt, vel mortem invicte oppetentes pro Deo ac Religionis veritate. Falsum insuper id esse constat ex Scriptura ipsa, quae narrat, Christum saepe et Apostolos redarguisse Iudaeos, sicuti Evangelium aperte refert; nam ex eo habemus (Matth. XXII.), Christum Sadducaeos mortuorum resurrectionem negantes, ipsumque (Matth. XV.) malam Iudaeorum artem Scripturam interpretandi objurgasse: hisque similia egisse Apostolos deducitur etiam nedum ab Evangelio, sed ex Act. quoque Apostolorum. An contendunt, Christum et Apostolos loquutos esse humano loquendi more, linguam et phrases adhibentes iis communes quibuscum vivebant? Sit ita sane; verum hoc non impedit quominus loquendi sensu usi fuerint mystico, ac spiritualia, et supernaturalia tradiderint simul ac futura portenderint. Re quidem vera, dum Christus in Evangelio de Patre suo loquitur, dum (Matth. XX.) regnum negat filiis Zebedaei, hominum quidem adhibet verba et phrases, sed sensum velat rerum, quas homines antea non intellexerant. Hoc in multis aliis legenti apparet.

3.° Commentitiis et absurdis sensibus mysticis abutuntur multi; ac primum abusi sunt Hebraei, uti Cabala, Thalmud, aliaque Hebraeorum testantur. At nos hic facile opponimus, verba de mystico sensu a nobis haberi, qui verus, rectus, ac saltem probabilis sit, juxta regulas, quas deinceps trademus; cujusmodi sunt sensus mystici, quos Christus et Apostoli in N. T. aperuerunt. Caeterum etiam multi literali sensu sunt abusi, distortas fingentes explicationes; ergone et literalis sensus negandus?

4.° Manifesta, inquiunt, sunt exempla, ubi multa in N. T. adducuntur ex Veteri, sensu solum accommodatitio, ex rerum nempe analogia. Ita de Iudaeis incredulis (Matth. XIII.) *Adimpletur in eis prophetia Isaiae dicentis auditu audietis et non intelligetis* etc.; (Matth. XV.) *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longe est a me.* At monemus in primis, vix posse per nos concedi, adductis in locis sensum inveniri accommodatitium, non vere mysticum. Cum enim in universa Scriptura Spiritus Sanctus loquatur, quanam de caussa ostendere ipse non poterit sensus, quos revera suo ex consilio clauserit in aliis verbis, quae citat? Sed cum aliqui (Catholici licet) inter recentiores non renuant, a Scriptura ipsa quaedam citari aliquando tantum rationem similitudinis, aut exempli caussa, sic potius adversariorum argumentum dissolvimus, illud ad Logicae regulas revocando hoc pacto: in aliquibus Scripturarum locis adest sensus mere accomodatitius: ergo et in aliis; nullusque existit sensus vere mysticus. Ommisso scilicet Antecedente, quod ex eo consequi vellent, aperte negamus.

5.° Rosenmüllerius in Scholiis ad Ps. XVI. ita sententiam objurgat nostram: in nullo Scriptore graeco, vel romano obtinet hic usus duplicis sensus *literalis* et *mystici*, quem usum proinde in Scripturam inducere, reprehensione dignum est. Reponimus primum in aliis scriptoribus, profanis licet, non omnino alienas esse figuras, parabolas, apologos, quorum omnium significandi vis mystica est: ex. gr. Tarquinius Superbus apud Livium, baculo decussis papaverum capitibus, Sexto filio significavit quid apud Gabios faciendum esset. His autem alia multa addi possent similia, ac varia congerit Feller (*Catech. Philos.*). Poetae etiam allegoricum dicendi genus adhibent, et Virgilius ex. gr. luget mortem Quintilii Varii Egloga, qua inducuntur Menalcas et Mopsus literali sensu Daphnidis mortem lugentes. Celebre quoque est Horatii carmen XIV. lib. I. in quo poeta sub allegoria navis rempublicam alloquitur, et a civili bello renovando deterrere studet. Sed, id quod praecipuum est, Scriptura Sacra Deum, non hominem

habet auctorem, et inspiratione divina exarata fuit; vaticinia continet: quid ergo mirum, si peculiari gaudeat significandi vi? Vide Gregorium supra citatum.

Art. IV.

Variae de Sensibus Scripturae quaestiones.

Praeter illa, quae postea de recto sensuum usu trademus, aliqua hic subjicimus, ut natura sensuum Scripturae melius pateat.

Quaeres 1.° an validum aeque sit argumentum ex quolibet Scripturae sensu depromptum? Respondemus, quae adducuntur ex *accommodatitio* ita firmum constituere non posse argumentum, ut si ex auctoritate ipsa divina adducerentur, cum sensus ille Scripturae extrinsecus sit, et in mente illum adhibentis tantummodo existat. Quare ubi Ecclesia, vel Patres, aliive eumdem adhibent, horum auctoritatem, non Scripturam ipsam in eo loco metiri debemus. Valet porro sensus hujusmodi praecipue ad pietatem excitandam, fovendamque. Hic obiter notamus, Tridentinum (*Sess. IV.*) sapientissime eos damnare, qui Scripturae verba ad scurrilia accomodant, aut fabulosa; pejus vero ad superstitiones, sortes, libellos famosos, et similia.

Quod si agatur de *sensu literali* vel *mystico*, firmissimum tunc erit argumentum cum uterque sit verus Scripturae sensus ex probatis a Spiritu S. intentus. Hoc vero ad mysticum sensum quod attinet, praeter ea, quae allata sunt, a Scriptura ipsa peculiariter ostenditur, quae stricte ex sensu mystico argumentatur. Ita Paullus (ad Hebr. IX.) *Si enim sanguinis hircorum* etc., *quanto magis sanguinis Christi* etc. In hoc enim loco non ratiocinatur Paullus ex paritate, vel similitudine (et sane hircorum sanguis non auferebat peccata, sicuti sanguis Christi revera abstulit) sed argumentatur *a fortiori*, ut ajunt, fere hoc pacto: si tanta vis erat figurae, quanta inesse debet prototypo figurato? quod aperte typi existentiam praesumit, ejusque requirit veritatem. Cap. vero VII. ex eo quod Melchisedech benedixerit Abrahae, logico sermone infert excellentiam Sacerdotii Christi, quem Melchisedech figuravit. Cavendum hic tamen est, ne verum Scripturae sensum credamus, quod nostrae imaginationis, ingeniique nostri est foetus; id quod praesertim contingere potest de sensu *implicito*. At quando Christus, vel scriptores *theopneusti*, sive etiam Ecclesia et patrum consensus nobis de hoc testimonium suppeditent, tunc ambigere non possumus, sicuti clarius etiam ex sequenti Capite patebit.

Quaeres 2.° quid sentiendum de divisione sensus *mystici*

in *allegoricum*, *tropologicum*, et *anagogicum*? Respondemus divisionem hanc, licet ut diximus non uniformiter ab omnibus acceptam, solidum tamen fundamentum habere, quatenus *mysticus* Scripturae sensus saepe involvat ea, quae fidei, saepe ea, quae morum, saepe quae spei sunt objecta. Fidei inquam, nam saepe in V. T. ac Psalmis praesertim, mystico sensu proponitur credenda in nova lege ex gr. de Christo, et Ecclesia: en sensus *allegoricus*. Saepe traduntur ea, quae mystice ad mores spectant, uti quando de lepra fit sermo, edocemur peccati naturam, et ejus remittendi rationem; en sensus *tropologicus*. Saepe tandem mystice loquitur Scriptura de iis, quae speramus, sive de alterius vitae felicitate, ex. gr. dum loquitur de Hierusalem, de Tabernaculis, de atriis Domini, et en sensus *anagogicus*.

Quaeres 3.° quid de sensu *vulgari*, *mythico*, *kantiano*? Respondemus primo inutile esse sensibus *litterali*, *mystico*, et *accomodatitio* novos alios addere. Ad illos enim, prout consideranti patet, quilibet significandi modus reduci potest. At praeter inutilitatem, novi istiusmodi sensus redolent eorum errores, qui illos sensus excogitaverunt, ea saltem ratione, qua ab ipsis ad usum revocantur. Etenim *vulgaris* sensus ipsis est vulgi loquendi ac opinandi mos, juxta quem omnia in Scripturis explicant, ut hoc pacto eliminent miracula, prophetias, typos, mysteria, aliasque, a quibus abhorrent veritates. Sensus *mythicus*, sive fabulosus iterum ipsis modus est explicandi quaecumque supernaturalia sunt, ut miraculorum praesertim existentiam evertant. Sensus *kantianus* a Kant excogitatus, ut in historia Interpretationis diximus, totus est in eo, ut pro nihilo habenda sint illa, quae ad mores non pertinent, ac mera sunt mysteria credenda, vel quodvis aliud fidei nostrae objectum. Hujusmodi porro errores refutabimus occasione data in hac ipsa Dissertatione; plura tamen Theologis relinquentes, praesertim ubi de Fide, et de Religione sermonem instituunt.

Quaeres 4. quomodo ex doctrina hucusque tradita de obscuritate Scripturae, et de sensibus ejusdem, colligatur necessitas Interpretationis prout hoc in Capite fuit propositum? Respondemus: Ex eo in primis, quod Scriptura sit obscura, deducitur necessitas legum quarumdam, atque auxiliorum, quibus ad certam, aut ad probabiliorem sententiam pervenire possimus de Scripturae ejusdem sensu. Hoc porro interpretationis nomine intelligimus. Sed et hoc ipsum ostendit sensuum varietas, quae saepe ambiguam, atque idcirco obscuram reddit Scripturae veritatem. Et sane errabit interpres, si *metaphoricum* sequatur sensum, ubi est verborum proprietas attendenda. At non minus errabit si proprie explicet, quae *tropice* sunt intelligenda.

Pari modo errabit si *accommodatitium* sensum cum *mystico* confundat: quae omnia magis etiam valebunt, si de sensibus agatur, qui *impliciti* sint.

CAPUT III.

DE RECTA SCRIPTURAE INTERPRETATIONE.

Demonstrata interpretationis necessitate, superest tandem, ut methodum tradamus de hujusmodi interpretatione recte perficienda: hoc autem ita praestabimus, ut primum indicemus ea, quae ad interpretationem praerequiruntur; postea qua ratione ipsa interpretatio sit perficienda ad sensus investigationem; tandem quae certos nos reddere possint de vero Scripturarum sensu, sive de principio, ac regula suprema interpretationis Scripturae.

Art. I.

De iis, quae ad Interpretationem praequiruntur.

Qui ad Scripturae interpretationem accedit, praeditus in primis esse debet virtutibus illis, quas identidem Scriptura ipsa inculcat veluti conditiones, ut lumen divinum hominum mentes collustret ad illam intelligendam, quasque hoc nomine summopere Patres commendarunt. Hujusmodi luminis necessitas ostenditur praesertim ex Petro; (1. Petr. I.). *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim humana voluntate allata est aliquando prophetia, sed Spiritus S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Virtutes autem illae, per quas lumen hocce consequi possumus, praecipue sunt: *Fides, Humilitas*, *Conscientiae puritas, Oratio.*

Fides quidem: quemadmodum enim rationis lumen requiritur ad humanas disciplinas percipiendas, ita ad investigandos recte sensus omnes Scripturae, qua supernaturalia traduntur, necessarium est Fidei lumen. Haec eadem Fides interpreti utilis est apprime, ut falsos devitet sensus, cujusmodi sunt omnes, qui Fidei adversantur. Huc referantur ea, quae Artic. insequenti dicemus de *Analogia fidei.*

Humilitas autem, nedum quia Deus *superbis resistit* (Iacob. IV.), et *ubi est humilitas ibi sapientia* (Proverb. XI.), sed etiam quia sine eadem comparati satis non sumus, ut ve-

rum sensum attingamus Scripturae, cum nos potius, nostrosque sensus superbia inflati aucupemur.

Conscientiae puritas. Huc respicit Paullus (1. Cor. II. 14.): *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei ..... spiritualis autem judicat omnia.* Cassianus (*de spiritu gastrimargiae* c. 34.) ait: *Ideo tanta varietas erroresque inter tractatores* (Scripturae) *ipsos exorti sunt, quod plerique minime erga purgationem mentis adhibita diligentia, prosilientes ad interpretandum eas, pro pinguedine vel immunditia cordis sui diversa atque contraria vel Fidei, vel sibimet sentientes, veritatis lumen comprehendere nequiverunt.* Hinc Boetius: *Splendor ille, quo regitur, vigetque coelum, vitat obscuras ruinas, et mentem sequitur nitentem.*

Oratio: cujus necessitatem toties professus est David (Psalm. CXVIII.) ad intelligendam Scripturam. *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam; da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua;* et Iacobus etiam sua Epist. cap. I. ait: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo.* Unde Augustinus (lib. 3. *de Doctr. Christ.* c. 37.) haec habet: *non solum admonendi sunt studiosi litterarum venerabilium, ut in Scripturis Sanctis genera locutionum sciant,.... verum, quod est praecipuum et maxime necessarium, orent ut intelligant.*

Secundo animadvertendum est, neminem in Scripturis explicandis valere admodum posse nisi theologicam scientiam optime calleat, nempe ut de mysteriis et legibus, de quibus Scriptura agit, disserere recte, quantum licet homini, valeat, et contraria possit enodare argumenta. Maxime vero hac nostra, qua vivimus, aetate interpreti opus est, ut probe noscat Christianae Religionis veritatem.

Tertio ad Scripturae interpretationem assidua requiritur ejusdem lectio. Hanc Deus commendavit (Iosue I.): *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.... tunc diriges viam tuam, et intelliges eam*: hanc quoque Patres, ac praesertim Augustinus (lib. II. *de Doctr. Christ.* c. 8.) *Erit igitur divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, etsi nondum intellectu, jam tamen lectione.* Saepissime vero insinuat hoc Hieronymus in suis Epistolis. Et revera totum praelegere librum, quem explicare contendis, utilissimum de libro quocumque censetur; quanto autem magis id est dicendum de Scripturarum codice, cujus libri cum eumdem respiciant finem, inter se se quodammodo colligati sunt, et lucem sibi invicem afferunt?

Quod ad ordinem vero legendi Scripturam, non una est Interpretum opinio. Sunt enim qui dicunt utilius ordiri a N. T.,

in quo, ut ait Augustinus, Veteris manifestatio habetur; sunt qui utrumque alternatim per capita ex ordine legendum existimant; sunt demum fortasse qui alias proferunt methodos. Harum quaelibet pro arbitrio eligatur, dummodo Scriptura universa continenter et ordinate legatur, ejusque lectio intra temporis spatium non admodum longum contineatur tota. Duguet (*Regole per l' intelligenza della Scrittura*), Lamy (*Apparatus* etc.) exemplum distributionis exibent, ut tota Scriptura unius anni curriculo perlegatur.

Requiritur quarto, ut Interpres prius cognoscat (quoad ejus fieri potest), quis librum, cujus interpretationem aggredi vult, conscripserit, ad quos, qua de re, quando, qua lingua, caeteraque libri adjuncta, quorum explicationem appellarunt nonnulli *Exegesim*. Haec enim cum optimam suppeditent regulam pro quolibet libro interpretando, eam aeque praebent pro Scripturae interpretatione.

Art. II.

De ratione Scripturarum interpretationis perficiendae.

Antequam rationem aperiamus, per quam investigare possumus Scripturarum sensum, duo animadvertemus. Primum: regulas, a nobis ad rem hanc tradendas, communes esse, saltem magna ex parte, cuivis libro obscuro explicando; nam cum Hagiographi humano more plerumque locuti sint, ad eorum intelligentiam critica ars quoque illa conducet, qua utimur ad hominum sermones et scripta intelligenda. Secundo: hasce regulas a nobis non ita tradi, quasi omnes semper necessariae simul sint, neque ea mente, ut omnes etiam simul sumptae cujuslibet loci interpretationi sufficiant. Fieri enim potest, ut modo una, modo altera lumen satis afferat ad eorum locorum, quae interpretanda assumimus, intelligentiam; fieri etiam potest, ut aliquando, omnibus etiam adhibitis regulis, Scripturarum sensus privato interpreti remaneat adhuc impervius. Hinc juxta opportunitatem prudenter illae applicandae sunt, ac omnes tandem jungendae supremae interpretationis regulae, de qua Art. insequenti.

Analogia Fidei.

Cavere in primis debet interpres, ne per explicationem suam in ullam prolabatur sententiam Fidei dogmatibus, et morum doctrinae contrariam. Cautio hujusmodi a recentioribus appellatur *Analogia Fidei*. Hanc ipse Paullus ad interpretationem necessariam ostendere videtur illis verbis (ad Rom. XII. 6.):

Habentes autem donationes secundum gratiam qaae data est nobis, differentes sive prophetiam secundum rationem fidei, ubi prophetia pro interpretatione sumitur; hoc ipsum confirmatur a Petro in secunda Epistola (I. 20.). Augustinus quoque id docuit (lib. 1. *contra Cresconium* cap. 33.) *Quisquis falli metuit obscuritate quaestionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat:* et rursum (lib. 3. *de Doctr. Christ.* c. 2.) *Cum verba propria faciunt ambiguam Scripturam..... consulat regulam Fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, et Ecclesiae auctoritate percepit.* Enimvero cum dogmata Fidei a Deo ipso sint Ecclesiae data, his adversari nequeunt Scripturae, hoc est Dei ipsius verba.

Hanc itaque Fidei analogiam prae oculis habeat interpres, ut absurda evitet: ex. gr. male se gereret interpres ille, qui litteraliter explicare vellet membra Deo tributa, officia, affectiones animi, aliaque humana; aut loca quibus Christus dicitur agnus, petra, etc., nec non illa, quae contra proximi caritatem esse videntur, cujusmodi sunt: abscindere manum, pedem, oculum ad scandalum vitandum; odio habere patrem et matrem, quia haec omnia litteraliter sumpta damnat Fides, et morum sanctitas.

Analysis.

Sumitur hic Analysis pro inspectione argumenti sive finis nedum totius libri, sed etiam ejusdem partis, in qua occurrit obscuritas. Haec enim interpretibus magno est usui, ad verborum sensum facilius assequendum ex. gr. (ad Rom. III. 28.) *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Hoc de medio tollere primo intuitu videtur necessitatem bonorum operum. At dubium evanescit omne, si cum Augustino in expositione hujus epistolae animadvertamus, in ea de hac quaestione agi: *Utrum Iudaeis solis Evangelium Domini nostri J. C. venerit propter merita operum Legis, an vero nullis operum meritis praecedentibus, omnibus gentibus venerit justificatio Fidei, quae est in Christo Jesu, ut non quia justi erant homines, crederent, sed credendo justificati deinde juste vivere inciperent.* Quare eorum operum tandem excluditur necessitas, quae naturalia sint, quaeque solum consistant in observantia legis Mosaicae.

Notandum vero, in aliquibus libris non unicum, sed multiplex pertractari argumentum, sicuti praecipue contingit in Epistolis Paulli, in quibus ut plurimum partim Fidei dogmata, partim morum variae doctrinae traduntur. Praeterea id quoque

juvat prae oculis habere, quod ad praecipuum spectat argumentum, atque ab iis discernere, quae obiter sunt dicta, nec non ab iis, quae solius illustrationis sive ornatus gratia sunt addita, ut in parabolis, et similitudinibus.

Recursus ad fontem.

Ad fontem confugere dum interpretationis nodus difficilis incidat interpreti peropportunum judicatur, iis de caussis, iisque regulis, quas indicavimus Diss. II. Cap. III. Art. III. Quaer. 3.°

Variantes Lectiones.

Haeret non raro interpres dum inter diversas, quae in diversis codicibus legendi rationes occurrunt, nescit quaenam ex iis vera sit, quamve sequi debeat. Diversitates hujusmodi *Variantes*, sive *Variantia* appellantur. Autographis amissis, textibus aliquando incertis, aliquando et ipsis erroris suspicionem praebentibus, nunquam vero ab Ecclesia authenticitate donatis, quomodo dubium deponet interpres?

Ut Variantium incommodo, quantum fieri potest, prospiciat, ille haec duo praestabit: Variantes lectiones imprimis colliget; deinde judicium de iis instituet.

In collectione Variantium plurimum elaboraverunt quod ad V. T. Houbigantius, Parisiis an. 1753.; Walton *Proleg.*; Kennikot, Oxonii an. 1770.; Rossi, Parmae an. 1784.: quod ad N. T. vero praecipue Valla, Erasmus, Brugensis, Curcellaeus, et Millius, qui in hoc 30. annos insudavit, et Oxonii in Anglia typis edidit an. 1707. triginta millia variantes lectiones. Post illos Kusterus, Bengelius, Wetstenius, et Christianus Fridericus Matthaeus, qui iterato edidit locupletiores Variantes an. 1782. His addi possunt Ioan. Griesbachius, Hughius, et Aug. Scholzius, qui percensere, et dijudicare, atque diversos Codices ad certas veluti Familias revocare conati sunt. (Vid. Sacy, *Journ. des Savans* 1823. p. 719., *et Bibl. Univ. de Gen.* 1822. T. XX.)

At eorum qui Variantes collegere, judicium non semper uniforme est; neque omnes Codices, praesertim mss. posterius repertos, diligenter perpenderunt; tandem non raro sententia ab iisdem prolata corruptas Religionis opiniones redolet. Hinc suum interpres instituat judicium necesse est, pro quo ferendo hae statuuntur regulae.

1.° Generatim loquendo, si nihil obstet, ei linguae potius adhaerescendum est, ex qua in aliam facta fuerit translatio. At diligenter est animadvertendum errorem irrepere potuisse in

fontem, postquam rivuli puram hauserint aquam; qua de caussa emendatores latinae Vulgatae quaedam reliquerunt, licet non omnimode textui, ut nunc est, conformia.

2.° Antiquiores Codices recentioribus anteferantur. Nam saepius apographa multiplicando, facilius erroribus occasio praebetur. Sed pariter et hoc cautiones multas postulat; nam codex aliquis, licet antiquus, transcribi potuit negligentius, quam plures alii recentiores.

3.° Lectio, in quam plures conspirant Codices, solet lectioni pauciornm Codicum praeponi. Possunt tamen qui pauciores sunt rectam prae se ferre lectionem; et plurimi etiam Codices unius tantum testimonio aequipollere, si ex uno omnes fluxerint.

4.° Usus, juxta quem Variantes a Patribus in Commentariis suis, aliisque operibus adhibitae sunt, plurimum conferre potest ad veram lectionem definiendam. Animadvertimus tamen Patres interdum uti Codice non accurato potuisse, et multa etiam memoriter facile allegasse.

5.° Iuxta Criticos suspectam potius habere, caeteris paribus, debemus lectionem, quae clarum reddit sensum, quam quae obscurum. Praesumunt enim illi, ideo corruptam probabilius a Librariis, ac Sciolis eam fuisse, ut intelligere valerent hujusmodi Scripturae loca.

Ex his omnibus facile liquet, quam multis circumsepta sit spinis Interpretationis istiusmodi via. Sed Variantibus omnibus aptare illa possumus, quae de textu hebraico habet Bellarminus (*De Verbo Dei* l. 2. c. 2.): *Varietates istae non tanti sunt momenti, ut in iis, quae ad fidem et mores pertinent, Sacrae Scripturae integritas desideretur. Plerumque enim tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quae sensum aut parum aut nihil mutant.* His similia monet Walton (*Polygl. Lond. Proleg.* 6.) qui de hac sententia testes producit etiam Capellum, Bochartum, Grotium, aliosque; hoc ipsum monet Curcellaeus in edit. N. T. cum Variantibus.

Contextus.

Contextus dicitur antecedentium et consequentium collatio in eodem sermone. Cum enim omnia ordine et connexione inter se se juncta sint, facile lumen aliquod ex collatione hujusmodi effulget, ut integer sermo intelligatur. Immo auctor ipse solet nonnunquam declarare illa, quae antecesserunt, vel quae sequentur: ex. gr. illud Paulli (ad Rom. VI.) *Non enim sub lege estis, sed sub gratia*; explicatur deinceps ab ipso Apostolo, dum docet Christianos in ea Religione versari, quae abun-

dat gratia ad vitandum peccatum, non vero in Lege Veteri, quae praecepta quidem tradebat, non autem per se gratiam. Cavendum vero est, ne in omnibus sententiis ejusdem sermonis synonyma semper requirantur, et significationis aequalitas semper postuletur; nam tunc integer sermo ad unicam sententiam redigeretur. Hoc abutuntur mali interpretes, hocque abusus est Iahnius (*Enchiridion* §. 39.), ubi in Ps. II. explicat illa verba *Filius meus est tu: Ego hodie genui te* (ut argumentum pro Messiae divinitate auferret) de regia Christi dignitate, propterea quod de hac dignitate intelligendi sint versiculi praecedentes.

Parallelismus.

Parallelismus; dicitur plurium locorum de eadem re loquentium inter se comparatio. Fit enim aliquando, ut in uno ex iis clarum appareat quod in altero obscurum est. Hoc sensu August. (lib. II. *de Doctr. Christ.* cap. 9.) ait, *ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla.* Ex. gr. (Matth. XI. 11.) *Non surrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno Caelorum major est illo.* Hoc juxta multorum Patrum sententiam illustratur a Matth. III. et XIII., ubi *regni Caelorum* nomine significatur Ecclesia Christi, cujus membra majoris excellentiae sunt membris Ecclesiae Veteris, ac proinde Ioanne ipso, qui baptizavit quidem in aqua, minime vero in Spiritu Sancto. Ioannes autem dicitur *inter natos mulierum major,* id est ex Luc. VII. 28. *major propheta*: alii enim prophetae annuntiaverant Christum venturum, Ioannes Christum baptizavit, et digito praesentem commonstravit. Ita etiam Matth. XI. de Ioanne ipso dicitur, *venit Ioannes neque manducans*, *neque bibens*, quod per haec verba a Matthaeo III. explicatur: *Esca autem ejus erat locustae*, *et mel silvestre*; quare in primo loco exquisitus ciborum et potus delectus solummodo negatur, quod clarius elucet collatis Lucae verbis (VII. 33.) *Venit enim Ioannis Baptista neque manducans panem*, *neque bibens vinum.*

Duo hic animadvertenda. 1.° *Parallelismus* omni pollebit vi, quando certo constare poterit de sensu illius loci, ex quo petitur lumen; sicuti dum Scriptura aut Ecclesia illud explicat; minime vero si illius sensus nos lateat, aut privatae tantum auctoritati innitatur. 2.° Ineptum esset semper determinato sensu verba sumere in aliquo loco, ex eo quod in alio eamdem habuerint significationem, nam eidem verbo plures inesse possunt diversi sensus. Ita pessime opinantur Neoterici Christum Filium Dei appellatum ex eo quod in aliis locis homines Deo cari *filii Dei* dicantur.

Antilogiae.

At si ex *Parallelismo* lumen interpreti affulget quandoque, ex eodem tamen nova enascitur aliquando difficultas interpretandi. Fit enim ut aliquis Scripturae locus alteri oppositus videatur, quae oppositio graeco nomine dicitur ἀντιλογία, *Antilogia*. Has Antilogias objectant, tamquam discrepantias Religionis hostes; ut ex. gr. Porphirius et Iulianus, qui contradictionem effutiebant inter genealogiam Christi a Matth. I. descriptam, et aliam a Luc. III. Antilogias omnes tam V. quam N. Test. collegit Tirinus, et apposuit ad calcem Commentarii sui, cujus etiam loca citat opportuna ad solutionem antilogiae cujuslibet. Nos generales quasdam regulas ad hoc tradimus, quas privatus interpres sequetur, sive, ut verius loquamur, quaedam monita exhibemus, quae utiliter habebit ille prae oculis in antilogiarum solutione: ac

1.° Illud firmiter statuendum est, omnes Scripturae antilogias ex mentis nostrae defectu sive ignorantia solummodo proficisci. Cum enim Scriptura verum sit Dei verbum, nequit in eam cadere antilogia ulla stricte sumpta, idest contradictio. Si qua ergo antilogia occurrit, eadem hujusmodi speciem tantum praefert, scilicet ex eo quod utriusque loci sensum non bene sumus assequuti.

2.° Hinc ad antilogias solvendas proderunt omnes, quae traduntur regulae pro Scripturae interpretatione, sive pro dignoscendo vero locorum sensu. Quare nil mirum, si detecto ex. gr. typorum mendo per *Recursum ad fontem*, aut vera determinata lectione per *Variantium legem*, antilogiae plurimae evanuerint.

3.° Logicorum effatum pro vera contradictione distinguenda notetur, cum illud simul solvendae antilogiae inserviat; aderit scilicet contradictio quando *idem praedicatum juxta eumdem respectum affirmatur et negatur de eodem subjecto*. Deficiente vel uno ex his, contradictio cessat. Animadvertet ergo accurate interpres, an de eodem agatur *subjecto*: atque ita si objiciatur, ex. gr., Antiochum 1. Mach. VI. in fuga et reditu dici morbo interiisse, simulque dici occisum 2. Mach. I., antilogiam dissolvet, ostendendo juxta multorum saltem sententiam, sermonem in primo loco haberi de Antiocho Epiphane, in altero de Antiocho Sidete. Notabit diligenter *praedicatum*, quod subjecto attribuitur; sicque, ex. gr., si Gen. I. cuncta dicuntur creata valde bona, id non contradicitur Marc. X., ubi solus Deus dicitur bonus, quia alia est Dei, alia creaturarum bonitas. *Circumstantias* tandem considerabit attente, quas saepe diversas deprehendens, antilogiae dubium deponet; ex.

gr. 3. Reg. VIII. duae Decalogi tabulae solum intus Arcam servari dicuntur; ad Hebr. IX. adduntur *urna aurea habens manna, et virga Aaron.* At primus locus Salomonis tempus respicit; Paullus vero de tempore Moysis loquitur, (nisi melius interpretandum sit τό in Arca *ad Arcam, juxta Arcam*). Christus juxta Marc. XV. crucifixus fuit hora tertia, juxta Ioannem XIV. hora quasi sexta. Sed aequivocam fuisse apud Iudaeos horarum significationem ostendimus ubi *de Archaelogia* circa temporis mensuras. Ita etiam genealogiae Matthaei, et Lucae sibi invicem non adversantur, quia unus secundum naturam, alter secundum legem genealogiam descripsit. Hac eadem animadversione antilogiae multae auferuntur circa annorum calculum, qui non semper eodem modo initus est; ex. gr. anni peregrinationis Hebraeorum dicuntur 430. Exod. XII. ab adventu Abraham in Palaestinam incipiendo; Gen. XV. iidem dicuntur 400. a nativitate scilicet Isaac. (De hoc vid. etiam *Dissert. de Idiotismis* Art. V. num. 4.).

4.° Vera non habetur antilogia, quando res eadem hic fuse, alibi presse narratur, ommissis (non tamen negatis) pluribus circumstantiis. Ita Saulis interitus diversa enarratur ratione 1. Reg. ult., et 2. Reg. I. Ita etiam multa apud Evangelistas nunc fuse, nunc summatim narrantur, praesertim de miraculis et passione Christi, de quibus videantur nostri *de Evangeliis Canones.*

5.° Neque antilogia est, si qua res dicatur ad aliquem effectum sufficiens, ad quem alio loco necessaria quoque dicuntur alia: nam tunc eidem rei caetera consociantur illi conjuncta. Sic (Luc. XI.) *Date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis*, si nempe *eleemosyna* sic erogetur uti Religio praecipit, quae caritatem, aliasque virtutes requirit ad meriti adeptionem. Ita etiam virtutum complexus designatur, ubi sola fides, alibi vero spes sola, vel sola caritas ad salutem consequendam valere dicitur.

Linguarum peritia.

Utilissimum esse interpreti textus et diversas interdum adire versiones, constat ex dictis paulo ante, et in Diss. II. Perutile ergo erit linguam graecam praecipue callere, et hebraicam, quae dicuntur Scripturae linguae *archetypae.* Lingua porro hebraica utilior est quam graeca ipsa, cum auctores, qui libros S. Scripturae conscripsere, modis hebraicis quamplurimis usi sint. Linguarum hujusmodi utilitatem testatus est Augustinus (l. II. *de Doctr. Christ.* c. 11.) *Homines . . . duabus aliis* (praeter latinam) (linguis) *ad Scripturarum divi-*

narum cognitionem habent opus. Hebraea videlicet, et Graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas: Hieronymus (*ad Sunniam et Fretellam*) ait: *Sicut in novo testamento si quando apud Latinos quaestio exoritur, et est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem graeci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum; ita in veteri testamento, si quando inter graecos, latinosque diversitas est, ad hebraicam recurrimus veritatem, ut quidquid de fonte proficiscitur, hoc quaeramus in rivulis.* Pluribus linguarum graecae et hebraicae utilitatem prosequitur Canus. *de Locis Theolog.* l. II. c. 15.

Linguae quoque Chaldaica, Samaritana, Syriaca, Arabica, et orientales omnes hebraico sermoni affines ad Scripturarum intelligentiam adjumento erunt. Procul dubio sermones hujusmodi ad hebraicum quam proxime accedunt, nedum quod ad indolem ac naturam linguarum, sed et quod ad sonum ipsum verborum; adeo ut certent inter se Eruditi, quinam ex illis omnibus alios antecesserit, ac quinam ex aliis emanaverit; quod tamen ita est intelligendum, ut excipiatur lingua illa Syriaca, cujus exstant monumenta, quaeque est caldaica recentior, et Regum Syriae tempore erat usitata; nisi quis velit, et hanc recentiorem linguam ex vetustissimo Assyriorum sermone retinuisse plurima. Ex istiusmodi affinitate interdum fit, ut vim significationis alicujus verbi hebraici prudenter conjectemus ex eadem voce apud Arabes, aliosque; interdum quoque, ut significationem eamdem determinemus, verborum etymologiam sive radicem hebraicam apud Arabes caeterosque orientales expiscando. Qua de re notamus, radices hebraicarum quarumdam vocum ex hebraico sermone ipso non satis apparere, cum Hebraicus sermo desueverit, cumque fere sola Hagiographa supersint hebraico sermone exarata. Ita Montaldi in suo Lexico hebraico radices quasdam in hac lingua inusitatas ostendit, quas ex chaldaico, arabico, aliisve investigat: ex. gr. פָּלַךְ *palàch* rad. hebr. inusit. arabice, *rotundus fuit, rotunditatem prae se tulit.* Ideo juxta aliquos, hebraicum פֶּלֶךְ *pèlech* in genere significat rotundum, in specie vero *colum* significat, quo foeminae nent. (2. Reg. III. 29., Proverb. XXXI. 19.).

Linguarum omnium graecae, hebraicae, aliarumque orientalium utilitatem confirmant tandem haec duo: 1.º Usus Ecclesiae, ac Principum Catholicorum, qui in Archigymnasiis Cathedras linguarum illarum, Ecclesiae bono consulentes, erexerunt, idque praesertim post Concil. Vienn., quod, ut alias

innuimus, statuit ut linguarum graecae, et arabicae praecepta traderentur: 2.° Polyglotta multa, magno labore comparata, ut Scripturam legerent interpretes omnibus illis linguis exaratam, ac facilius verum Scripturae sensum, collatis omnibus, eruerent.

Huic porro interpretandi viae majus accedit pondus ex eo, quod determinata verborum hebraicorum significatione per alias linguas, Scripturae contextus aliquibus in locis et planior et intelligibilior nobis reddatur. Exempla suppeditat liber Iob, in cujus interpretatione, teste Hieronymo (1.° *Praefat.* in hunc librum), *ex ipso hebraico, arabicoque sermone et interdum syro, nunc verba, nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit.*

Hic tamen quisque cavere debet ab illo Neotericorum multorum errore, quem in eorum Interpretationis historia exprompsimus. Extollunt isti linguarum orientalium, ac praesertim Arabicae studium, tamquam ad Scripturae interpretationem omnino necessarium; illud insuper Scripturae ipsius intelligentiae sufficere depraedicant. Hoc porro (praeter illa quae de Ecclesiae auctoritate adducemus) utpote Religioni nostrae injuriosum, negamus in primis; nam inde colligeretur ad recentiora usque tempora, quibus arabica lingua, aliaeque orientales magno studio a Catholicis excoli coeperunt, plures inter Patres ac Theologos, qui illarum linguarum praesidio destituti erant, et quorum tamen magisterio utitur Ecclesia, neccessarium ad Scripturas Sanctas interpretandas adjumentum hoc neglexisse. Ubi notamus obiter, ardens arabicae linguae studium exarsisse tempore Maimonidis, qui vixit saecul. XII. Praeterea non adest sufficiens ratio cur spem illam tutissimam collocent Neoterici in Arabicae linguae cognitione. Vel enim per hanc praesumunt certissime addiscere vim verborum hebraicorum, quae in Scriptura occurrunt; vel loquendi usum intelligere Hebraeorum, penes quem jus est et norma dicendi.

Quod ad primum animadvertimus Arabicae linguae verba magis etiam, quam alia caeterarum orientalium, varia pollere significatione, quapropter unum idemque vocabulum ad centum et eo amplius res diversas indicandas trahitur. Quomodo ergo ex sola arabicae linguae cognitione tuto hauriet interpres determinatum Scripturae sensum? Insuper lingua Arabica etiam nunc viget et usum obtinet; de qua proinde confirmatur illud Horatii *Epist. II.* ad Pisonem.

Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.

Hinc animis semper pendebimus, utrum sensus verborum sermonis hebraici, qui jam pridem desuevit, ut notum est, etiam nunc ad arabicum eamdem omnino, quam antea, rationem servet. Ad hujus argumenti confirmationem notamus: 1.° duas fuisse celebriores Arabicae linguae dialectos, quarum quidem una, Mechana scilicet, praevaluit post Mahometem, sed altera Syriacae, ipsique Chaldaicae similior obsolevit. 2.° Arabes vix habere librum Alcorano antiquiorem, id est saeculo VII. aut VI. exaratum. Ex quibus fit, ut Arabibus via magis occludatur, unde vetustissimi hebraici significationes per suam linguam illi detegere certo possint. Tandem ex sensu verborum unius linguae, verborum alterius sensum determinare, *periculosae plenum opus aleae* erit semper, licet illae affines sint inter se se, unaque ab altera exorta sit: hinc sensum locutionum hebraicarum ex arabica definire qui velit, magnum in discrimen errandi veniet, non secus fere atque ille, qui proprietates latini sermonis ex italico, qui a latino proficiscitur, inferre cupiat.

Multo vero minus Arabica lingua ad morem loquendi, et conventiones Hebraeorum certo patefaciendas inserviet. Ad hoc enim requireretur, ut testimonia illius aetatis superessent, qua Hebraeorum libri scripti sunt. Atqui Arabes, sicuti diximus, vix ullum habent librum Alcorano antiquiorem. Praeterea Arabes, licet ab Abraham prognati, ab Hebraeis tamen disjunxere se se et Religione, et Reipublicae institutis, et loco, et caeteris hujusmodi.

Quod autem de Arabica lingua locuti sumus, proportione servata, valere potest de Chaldaica, Syriaca, aliisque orientalibus linguis. Horum itaque omnium summa est, linguarum orientalium studium ad Scripturae interpretationem magnum quidem adjumentum suppeditare, ut et nos fassi sumus; necessarium vero esse, atque ita sufficiens, quemadmodum vellent Neoterici, minime concedi posse. In hanc tandem ivit sententiam Iahnius (*Enchiridon* §. 8.); Ernestius (*Instit. Interpretis Part. I.*); Arigler (*Hermeneutica Bibl. generalis* §. 62.), ubi habet, *usus loquendi non sufficit ad sensum inveniendum, sed praeterea spectari debet consilium loquentis.* His similia sunt verba aliorum, quos citavimus, quique caeteroquin sunt eximii linguarum studii laudatores.

Arcohaelogia Biblica.

Quemadmodum in Tullii, aliorumque Romanorum elucubrationibus multa inveniuntur, quae ad Romanorum consue-

tudines et historiam spectant, quaeque idcirco nos saepe haerere cogunt, qui alio tempore, loco, ac diversis vitae institutis vivimus; ita multa in Scriptura, et praesertim in V. T. occurrunt, quae rerum hebraicarum cognitionem postulant. Saepe itaque difficultatem superabit interpres, qui praecognoscat ea, quae pertinent ad Hebraeorum originem, Religionem, politiam, vivendi rationem, caeteraque, quorum cognitio *Archaeologia Biblica* nuncupatur, de qua nos alibi disseremus.

Rectus sensuum usus.

Ut recta fiat interpretatio, cognoscat opus est interpres, ubinam prudenter aptari possit et debeat mysticus, ubi solum litteralis sensus, proprius, impropriusve. Ad hoc exhibentur Canones insequentes e natura ipsa sensuum petiti, ac primum quod ad litteralem sensum.

Can. I. Recedendum non est a sensu litterali proprio, nisi evidens ad id cogat necessitas. Hoc uno ore fatentur Theologi et interpretes cum Patribus, ac praecipue Augustino (l. 3. *de Doctr. Christ.*); idque jure ac merito: secus enim, si figuras constituendi aequa esset semper potestas, nihil certum, stabile nihil in Scripturis sanctis reperiretur, et Dei locutiones alio, uti liberet, detorqueri facile possent, sicuti plures fecerunt Haeretici. Turpissime ergo hoc nomine erravit Calvinus, figuratum sensum sine caussa opponens institutionis Eucharistiae verbis. Haec autem necessitas, ob quam sensu litterali proprio uti non liceat, habetur, quando litteralis verborum sensus adversaretur fidei puritati, morumque sanctitati juxta id, quod statuimus *de Fidei analogia.*

Can. II. Ut mysticus sensus alicui loco tribuatur, ipsius Dei exploranda mens est, neque tribui potest, nisi ex quo Deus aliquo modo illum manifestaverit. Consequitur hoc ex ipsa mystici sensus natura, qui in rerum significatione quadam consistit ex Dei loquentis consilio. Peccant igitur illi, qui perquam facile allegoriis indulgent et mysteriis; quo nomine Hieronymus (*Praef. in Isaiam* lib. V.) carpit Origenem, quia *ingenium suum facit Ecclesiae sacramenta.* Augustinus etiam de hoc audiatur (l. XVII. c. 3. *de Civ. Dei*): *Mihi autem sicut multum videntur errare qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud praeter id, quod eo modo gestae sunt, significare arbitrantur; ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt.* Id ipsum non semel repetit lib. 1. *de Doctr. Christ.*, scilicet cap. 36., et 37. Errant etiam quod ad hoc Neoterici illi, qui mysticum sensum, tamquam meram interpretis comparationem dijudicantes, vel ad arbitrium sta-

tuunt, vel ubi volunt, contemnunt. Interpretis itaque est solum, sensum mysticum explorare, et investigare, minime condere; ad summum explicabit illum magis et evolvet.

Can. III. Mysticus sensus tunc solum certus erit, quando eum ostendit vel Scripturae ipsius auctoritas, vel Ecclesia. Sponte hoc fluit ex Can. praecedenti, et ex insequenti Articulo; nam sola Scriptura et Ecclesia certo valent ostendere divinae locutionis sensum, et Dei consilia patefacere. Et sane quando Scriptura ipsa uno in loco mysticum demonstrat sensum, qui in alio reperitur, tunc hujus mystica significatio evadit litteralis quod ad illum; proindeque tam erimus certi de mystico sensu quam de litterali. Patefacit porro Scriptura mysticum sensum, dum in uno loco asserit illud, quod in alio relatum est, ad aliquid mystice significandum dictum esse; aut dum argumentando aliquid infert ex alio loco, qui vim ad probandum non haberet mystica significatione rejecta. Hujus rei exempla occurrunt passim in N. T., ubi multa verborum mysteria V. T. panduntur a Christo et Apostolis; praesertim vero in Epistola Paulli ad Ebraeos. Recolantur quae dicta sunt Capite superiori ad probandam mystici sensus existentiam. Ecclesia vero mysticum ostendit sensum vel per unanimem Patrum consensum, qui et Ecclesiae sententia est, vel per sollemnem definitionem universae Ecclesiae datam, nec non per universalem et constantem traditionem in sollemnibus ritibus aut alio modo conservatam, juxta id quod Art. seq. addemus.

Can. IV. Quando sensus mysticus Scripturae, aut Ecclesiae auctoritati certe non innititur, certus esse non potest; eo tamen probabilior erit, quo majori interpres, qui illum patefacit, fuerit pietate excultus, mysteriis Religionis instructior, et Scripturarum studiosior. Prima hujus Can. pars declarata jam fuit: secunda vix probatione indiget cum ex dictis evidens sit, plus illum ad Dei consilia investiganda valere, qui virtutibus ad Scripturae interpretationem necessariis magis sit praeditus. Nil ergo mirandum, si Patres et Ascetae sensus promant aliquando, qui rudibus et imperfectis vix probabiles videantur. Cave tamen, ne Patrum et Ascetarum sensum accomodatitium cum mystico confundas.

Can. V. In *typo* non est quaerenda omnimoda cum *antitypo* convenientia; neque omnia, quae in illo sunt, ad hunc pariter trahenda. Id enim esset Dei loquentis mentem praetergredi. Nam, ut ait Paullus (ad Hebr. X. 1.) *umbram habens lex futurorum bonorum; non ipsam imaginem rerum.* Sic igitur tractandi sunt *typi*, uti *parabolae*. Quare male interpres Christo aptaret Ionae fugam, qua hic Dei jussionem declinare frustra conatus est, ex eo quod Ionas *typus* dicatur in Scriptura ipsius Christi.

Can. VI. Illud non est contra mystici sensus alicujus loci veritatem, quod idem agnitus non fuerit prius, ac praecipue ab Hebraeis, quod ad V. T. Huic quidem contrariam sententiam tuebatur Iahnius *Enchir.*, ut juxta Neotericorum principia *typos* subduceret. At de *typis* confirmatur, quod de prophetiis ait Petrus prima Epist. (I. 10. etc.) *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt .... quibus revelatum est: quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quae nunc nunciata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis.* Prophetiae quoque Danielis nuncupantur liber signatus *usque ad tempus statutum* (Dan. XII. 4.) Et sane cum mystici sensus ex Dei manifestatione patescant juxta Can. II.; quid mirum si detegantur solum quando Deus suum manifestaverit consilium, et ab illis, quibus Deus se crediderit?

Can. VII. Interpreti ingens suppetit copia locorum praesertim V. T., in quibus aut certo, aut probabili judicio mysticos sensus invenire ipse possit. Ostenditur hoc per generale argumentum ex eo ductum, quod Deus Mosaicam legem ordinaverit ad Christum designandum, ejusque Ecclesiam: unde a Scripturis Christus appellatur *finis legis*, et lex ipsa *paedagogus noster in Christo.* Id ipsum confirmatur illis Paulli verbis (1. Cor. X. 11.) *Haec autem omnia in figuris contingebant illis*: nec non Christi et Apostolorum exemplo, qui, ut ex Evangelio praesertim, et ex Epistolis Paulli patet, innumera citarunt loca, ex quorum mystica significatione Christianam Religionem, ac diversa ejusdem dogmata comprobarunt.

Hinc primum in rebus ipsis visibilibus significationem mysticam aliquando reperire poterit interpres, multa trahendo ad *invisibilia*, (Dei scilicet naturam respicientia) quae per visibilia manifestantur; aut ad *animam*, quae intellectualis mundi instar est; aut ad *Ecclesiam militantem*, de qua juxta Gregorium (*Homil. XII. in Evangel.*) *sciendum est, quod saepe in sacro eloquio regnum Caelorum praesentis temporis Ecclesia dicitur*; aut *Ecclesiam triumphantem*, cujus intelligibilia dona per terrena nobis adumbrata sunt. Hinc etiam plurimae V. T. Personae, sicuti SS. Patriarchae, aliique viri pietate et gestis insignes, quamdam Christi imaginem, ut ita dicam, exhibuere, quemadmodum etiam totus Hebraeorum populus Christianam rempublicam praefiguravit. Hinc tandem ad Christum, et ad Christianam Religionem plurima ex *caeremonialibus praeceptis* referuntur; multa quoque ex *rebus historicis*, praesertim ex bellis a Iudaeis pluries susceptis adversus gentes ipsis infensas, quae typum saepe gesserunt illorum hostium, contra quos est nobis colluctatio; demum aliqua etiam ex *judicialibus*, uti de lepra certum est.

Horum omnium exemplis abundant Patres et interpretes, nec non multa facile occurrent Scripturarum studioso. Eximium exstat opusculum S. Epiphanii Arch. Constantiae Cypri continens: *Testimonia e sanctis et divinitus inspiratis Litteris de Unigeniti Dei Verbi e caelo in terram adventu*, *de ejusdem prodigiis*, *et de passione ac resurrectione etc.* quod a Stephano Ant. Morcellio latine versum, editum est in Commentariis *Memorie di Religione* (T. XIII. Mutinae 1828.). Exstat insuper Hieronymi Laureti, *Silvia allegoriarum*, mysticos totius Scripturae sensus complectens, titulis juxta Alphabetum dispositis: sunt praeterea Sanctis Pagnini *Isagogae ad mysticos Sacr. Script. sensus lib.* 18. Lugdun an. 1536.

Art. III.

De supremo interpretationis principio.

Licet omnes interpretationis vias inierit, de quibus hactenus, non semel tamen optimus interpres indiget regula aliqua superiore, ex qua sensum adhuc incognitum eruat; semper vero illi opus erit cognoscere an certus sit sensus, quem Scripturae verbis attribuit, non secus atque mercator prae manibus tenet lydium lapidem, quo purum aurum probet. Hisce continetur *Supremum Interpretationis Principium*, cujus necessitatem uno fatentur ore Acatholici simul et Catholici, quamvis in eo assignando illi ab istis quam maxime discrepent. Hic est praecipuus de Interpretatione Biblica controversiae nodus, quem ut pro virili parte solvamus, Acatholicorum primo refutabimus systemata; postea illud, quod Catholici tuentur, propugnabimus.

§ 1.

Supremum interpretationis principium nequit privato Novatorum spiritu contineri, neque Naturalismo sive Rationalismo Socinianorum, ac Neotericorum.

Constituerunt Novatores, sicuti in historia interpretationis diximus, tamquam supremum tribunal quaestionibus de Sacra Scriptura definiendis, spiritum privatum, qui cuique homini praesto est. At nomine hujus Spiritus vel intelligitur peculiare lumen ultra naturae vires a Deo gratis concessum, vel rationis lumen creato cuique intellectui a Creatore inditum.

Si primum, ostendant oportet, peculiare hujusmodi lumen omnibus revera praesto esse; nam quae supernaturalia et gratuita sunt, sine gravi argumento admittere nefas est. Iam

vero si argumentum hoc ex hujuscemodi luminis necessitate ducant, turpiter errant; nam sufficit, immo utilius est, uti deinceps patebit, si Ecclesiae Pastores et Patres peculiari hoc lumine solummodo gaudeant. Quod si illius argumentum suppeditari credant per ea Scripturae loca, quae ipsi studiose colligunt et adducunt, quaeque gratuitam et universalem hujus luminis promissionem a Deo factam exhibere videntur, haud minus decipiuntur; nam, uti probabimus Artic. insequenti, loca illa nullam habent vim ad hoc demonstrandum. Praeterea aperte Scriptura docet gratiam sacras litteras recte interpretandi peculiare esse donum aliquibus solum reservatum: ita (1. Cor. XII.) *Alii quidem per Spiritum datur sermo Sapientiae .... alii interpretatio sermonum;* (1. Ioann. IV.) *Carissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Tandem spiritus Dei esse non potest, qui tot parit incommoda et absurda, quae a privato Novatorum spiritu necessario oriri, ortaque mox ostendemus. Negamus itaque, supernaturale hoc lumen omnibus esse hominibus indiscriminatim impertitum juxta Novatorum placita.

Si vero secundum, idest si nomine illius spiritus privati ipsum rationis lumen intelligant, quo omnia in Sacris Scripturis metienda ac definienda sint, antequam hanc quaestionis partem aggrediamur, breviter notamus tunc istiusmodi Novatorum systema cum systemate Socinianorum congruere, qui idipsum diserte statuerant; consonare insuper Neotericorum quorumdam systemati, qui ut Deismum et Naturalismum diffunderent, Socinianorum principio addere non dubitarunt, nihil non naturalibus viribus peractum in Scriptura referri; tandem sytemati respondere Kantianorum, qui impium perfecere incredulitatis opus, ad moralem philosophiam Scripturam integram, sicuti docuimus, redigendo. Supremum horum omnium interpretationis principium, quod naturali hominis intellectu continetur, hoc pacto evertimus:

1.° Contrarium id in primis apertissime est ipsis Scripturae verbis. Haec enim ita loquitur: (2. Petr. I.) *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia* (idest explicatio) *Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

2.° Iuxta modo citata Petri verba sic argumentamur. Deus ipse est, qui per Scripturas loquitur, quique per eas talia prodit, quae rerum naturalium fines excedunt, uti *miracula*, *vaticinia*; multo vero magis ea, quae ipsius spectant naturam, uti *Personarum Trinitas*, vel ejus attributa et liberae determinationes, ut *Incarnatio*, *Praedestinatio*, *Gratia*, etc. Quo-

modo ergo naturalis hominis intellectus (is praecipue, qui miserandos Adae corruptionis effectus experitur) potest illa, supernaturalia prorsus, divina, infinita, profunda mysteria, ac impervias caelestis sapientiae vias metiri, de iisdem recte per se solum judicare?

3.° Deus haud satis Ecclesiae suae consuluisset, si judex supremus de Scripturae interpretatione privatus cujuscumque hominis spiritus (sive supernaturalis sit, sive naturalis solum) constitutus esset. Nam. 1.° Iudex vivus deesset, qui in hisce controversiis ab utraque litigantium parte audiretur, et coactiva polleret auctoritate ad judicium dirimendum: 2.° Occlusa esset via Haereticorum conversioni; nemo enim ex his optimum se habere spiritum non jactat, spiritibus aliorum praeferendum. Hinc lepide non minus quam vere Novatores ac Naturalistae judicibus aequiparantur pro tribunali sedentibus, ac singulis quidem suam dicentibus sententiam, sed nemine suffragia colligente, judiciumque pronunciante: 3.° In quacumque bene constituta Republica legum interpretatio non permittitur privato cujusque judicio, licet omnes cives eo rationis lumine praediti sint, quo conditae sunt leges. Quanto ergo magis id erit cavendum, ubi de legibus, deque aliis agitur, quae supernaturali lumine exarata sunt? 4.° Privato hoc spiritu admisso, multa sequantur necesse est diversa et opposita, juxta diversum et oppositum hominum judicandi morem. Hoc Ecclesiastica confirmatur Historia, quae ostendit, quam variae et sibi invicem adversantes fuerint unius etiam Scripturarum loci interpretationes, sicuti de *justificationis* et *Eucharistiae* materia, ex hac spiritus privati regula traditae: quod incommodum vel ipsi Novatores animadverterunt, atque hujusmodi malo confessionibus suis et libellis symbolicis remedia dare conati sunt. Quis credat igitur, privatum hunc spiritum a Deo judicem Scripturarum supremum esse constitutum, immo vero ipsum esse supernaturale donum Dei, qui voluit, ut in Ecclesia sua esset *unus Dominus una Fides* (ad Eph. IV.), utque Scriptura aedificationi, non destructioni deserviret? Larvam, quaeso, deponat caterva illa recentium Acatholicorum, et veterum; negent hypocritae aperte potius Sacrorum Librorum inspirationem, Christianae Religionis veritatem, Dei revelationem ac providentiam, quo nempe recidunt tandem eorum consilia.

§. 2.

Supremum interpretationis principium situm non est in usu loquendi.

Neoterici aliqui ut Rationalismum suum probabilem magis

redderent, statuerunt loquendi usum supremam esse normam ad definiendum verum Scripturae sensum. Ita Iahnius (*Enchir.* §. 7.) *Usus loquendi primorum lectorum, et ipsius auctoris primum et summum est Hermeneuticae principium, a quo omnes regulae interpretandi pendent.* Ariglerus (*Hermen. Bibl. General.* §. 26.) ait: *Usus loquendi ceu suprema interpretandi lex suspiciendus erit.*

Contra vero: Primum et supremum cujuslibet scientiae principium cognitum in primis esse debet aliunde, quam ex eo quod demonstrandum est: praeterea indigere non debet probatione alterius superioris principii, et per se sufficere debet ad omnia de illa scientia vel arte probanda. Ita jure ac merito *principium contradictionis* in Ontologia primum et supremum principium dicitur. Nunc quaerimus, quinam sit loquendi usus, qui hujusmodi gaudeat characteribus pro Scripturae interpretatione? Respondent usum hunc haberi in lingua Hebraica, qua nempe usi sunt Hagiographi V. T., quamque redolent bene multum etiam Hagiographi N. T., addunt tamen, quod ad N. T., Graecorum loquendi usum addiscendum esse quoque, uti Xenophontis, Polybii, Herodoti, Diodori Siculi, atque ad hoc formularum graeci sermonis collectanea comparata sunt a Raphelo, Wetsteno, Küpkeo, aliisque, ut refert Alber.

Sed quaerimus rursus, quanam via Hebraeorum usum loquendi addiscemus? minime certe id consequi possumus ex hebraicis libris, qui supersunt; nam hi libri (vix alios reperias) canonici sunt, sive Scripturarum partes constituunt; ergo nequeunt esse Scripturae interpretationis principium, quod prius cognoscendum, ac aliunde petendum est, ut paulo ante diximus.

Auxilio hic vocant linguas Arabicam, Chaldaicam, Syriacam, aliasque Hebraicae linguae affines, quarum ope addiscere est, inquiunt, Hebraeorum loquendi usum. Sed hujusmodi linguas, licet adjumento eae sint ad Scripturarum intelligentiam, haud sufficere tamen ad morem loquendi Hebraeorum certo patefaciendum, ostendimus superius, ubi linguarum studium commendavimus.

Quamobrem concludimus, Hebraeam linguam, a qua juxta Neotericos petendum esset primum interpretationis principium, hujusmodi munus haud praestare posse, cum de ea nobis non suppetant testimonia ad eam rem satis idonea. Quod adeo verum est, ut Iahnius ipse, Eichhornius et Ernestius id tandem fassi sint. Iahnius quidem (*Enchir.* §. 8.) post Ernestium (*Instit. N. T. c.* 1.) dicit, morem loquendi Hebraeorum conjiciendum esse a tempore, regione, loco, disciplina, Reipublicae et Religionis forma, moribus, aliisque, cum meliora desint testimonia. Ariglerus (*Hermeneutica generali* §. 62.)

ait: *Usus loquendi non sufficit ad sensum inveniendum, sed praeterea spectari debet consilium loquentis.* Ommittimus plura his similia, ex quibus liquido constat. Neotericos ipsos evertere suum interpretationis principium, dum fatentur, in eo uno non esse acquiescendum, sed ad alia progrediendum.

Quod si etiam nobis cognitus esset Hebraeorum loquendi mos, non idcirco is constitueret Biblicae interpretationis satis aptum principium. Etenim in Scriptura sacra supernaturalia multa traduntur: neque sensu litterali omnia tradita sunt, sed plurima etiam mystico. Haec porro omnia metiri non possumus ex humano loquendi more, qui mos ad summum norma erit illorum, quae humana et naturalia sunt, quaeque captum hominis non excedunt. Hoc Christi et Apostolorum exemplo confirmare possumus, qui de natura Dei, de mysteriis, de Ecclesia loquentes, saepe etiam vaticinantes, modum loquendi adhibuere Hebraeis audientibus impervium, qui propterea saepe illorum sensum scrutabantur. Ea, quae diximus in solutione Arg. 2.di contra *sensus mystici* existentiam modo etiam recolantur.

§. 3.

Supremum interpretationis principium a Catholicis omnibus recte constituitur in Ecclesiae auctoritate, ac SS. PP. consensu.

1.° Ex V. T. id probatur; nam in Deut. (XVII. 8.) haec statuuntur. *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram: et judicium intra portas tuas videris verba variari: surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore: quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem ...... sequerisque sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.* Ad hoc ipsum referuntur quae habentur (2. Paral. XIX. 11.) (1), Eccle. (XII. 11.) (2), Agg. (II. 12.) (1), Malach. (II. 7.) (4). Necessitas porro, et utilitas, quae tunc aderat, communis alicujus tribunalis pro legis interpretatione, valet etiam in nova Lege pro Christianis omnibus.

(1) *Amarias autem Sacerdos, et pontifex vester in his, quae ad Deum pertinent praesidebit: porro Zabadias alius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quae ad regis officium pertinent.*

(2) *Verba sapientum.... quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. His amplius, fili mi, ne requiras.*

(3) *Haec dicit Dominus exercituum: interroga Sacerdotes legem.*

(4) *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.*

2.° Probatur idipsum ex N. T. variis testimoniis: nam 1.° e plurimis locis colligitur, Petro et successoribus ejus commissum esse, ut omnes Christianos doceant. Patet hoc, pluribus ommissis, ex illis Christi verbis ad Petrum: *confirma fratres tuos* Luc. (XXII. 32.); *pasce agnos,.... pasce oves.* Ioan. (XXI.). Iam vero hujusmodi munus vel illud sibi vult, ut ipsi Christianos omnes doceant concionibus sive scriptis, vel ut doceant definitionibus suis de iis, quae circa doctrinam fidei tenenda sunt. Primum dici nequit, quia onus esset, quod ab illis nullo modo sustineri posset, ac aliunde Sanctissimi Pontifices incusandi essent, qui hoc non praestiterunt. Ergo alterum. Praecipua vero res, quod ad fidei doctrinam, in Scripturarum sensu versatur: 2.° Paullus (ad Eph. IV.) ait: *Dedit quosdam quidem Apostolos; quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Diserte hic adstruitur Pastorum Ecclesiae auctoritas, ac necessitas ad fidei unitatem, rectamque doctrinam tenendam. 3.° Ad hujus argumenti confirmationem afferri possunt omnia illa, quibus Theologi ostendunt Ecclesiae *infallibilitatem*, ac praesertim illud Paulli (1. Timoth. III. 15.) *Ecclesia columna et fundamentum veritatis.* Nam, hoc posito, Ecclesiae judicium de Scripturarum quaestionibus certissimum erit, eritque judicium ipsius Dei. Rursus, cum nullum aliud praeter Ecclesiam tribunal hujusmodi *infallibilitate* gaudeat, consequens inde erit, supremum idem esse biblicae interpretationis principium.

3.° Traditio universalis et constans in Ecclesia Dei semper fuit norma Scripturarum interpretationis, quod satis jam ostendimus in historia biblicae interpretationis. Porro hanc majorum traditionem Ecclesiae solum, et SS. PP. magisterium certo pandere christiano cuique valet.

4.° Ecclesiae praxis id quoque confirmat. Nam saeculis omnibus nova exorta sunt dubia, et omnia semper Summi Pontificis et Conciliorum judicio sunt soluta. Hoc patet, si primi saeculi historiam ex Actis Apostolorum regolamus, cum controversia circa Moysis legem instituta fuit, et concilio Apostolorum dirempta; idipsum, quod ad posteriora saecula perspicue constat ex Historia Ecclesiastica. Asserere autem illud non esse rectum, quod Ecclesia tenuit semper et tenet etiam nunc, *insolentissimae insaniae est*, ut ait Augustinus (*Epist.* 118. c. 5.).

5.° Patres tum graeci, tum latini, quorum testimonia fuse describunt Canus et Bellarminus (nos ipsi obiter multa attigimus), unanimi consensu id testati sunt. Audiatur interim pro omnibus Vincentius Lirinensis (*Commonit.* cap. 11.): *Hic forsitan requirat aliquis: cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei Ecclesiasticae intelligentiae jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam Sanctam pro ipsa sui altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter alius, atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Iovinianus, Pelagius, Caetestius, aliter postremo Nestorius. Atqui idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticae, et Apostolicae interpretationis linea, secundum Ecclesiastici, et Catholici sensus normam dirigatur.*

6.° Hisce omnibus permota, et in Tridentino Concilio universa congregata Ecclesia sancivit haec, quae firmissimum assertioni nostrae praebent robur. (*Sess.* 4.) *Ad coercenda petulantia ingenia decernit* (Concilium), *ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, Sacrum Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.* Quid porro hisce verbis disertius spiritum privatum Novatorum, et Rationalistarum principium evertere potest, et Ecclesiae vindicare auctoritatem?

Ridiculi sane sunt Neotericorum conatus, ut hujus Tridentini decreti vim eludant. In eorum numero est Iahnius (*Introd. in lib. Vet. Feod.* part. 1. §. 91. p. 2. §. 28.); inquit enim: *Petulantia ingenia, quae carpit Concilium, sunt Protestantes, non vero illi Catholici, qui reprobant testes facti, de quo agitur, ignaros.* Hujusmodi testes putat Iahnius esse Patres. Huic concordat Arigler (*Hermeneut. gener.* §. 15.). At si idem praestent, Catholici, ac Protestantes, cur illos non feriet memoratum Tridentini decretum? Permisitne Concilium Catholicis quod ferre non potuit in Haereticis?

Idem Iahnius (loc. cit.) haec quoque habet. *Concilium dumtaxat edicit, qua ratione Scriptura in rebus fidei et morum explicanda non sit: nequaquam vero praecipit, qua ratione aut e quibus principiis explicanda sit. Paucis: decre-*

tum Concilii est mere negativum non positivum. Hoc vero quid ineptius? Si enim aliquid prohibetur, simul praecipitur illius oppositum. Et sane vel interpres Scripturae affingit sensum contrarium sensui Ecclesiae, vel eidem congruentem, aut saltem ab eo non alienum. Si contrarium affingit, tunc reus fit violati decreti; si congruentem aut non alienum, tunc ille Scripturam juxta Ecclesiam interpretatur, quae permittit immo etiam commendat novas locorum explicationes, dilucidationesque dummodo illius sensui minime oppositas.

Praeterea mentem Concilii declaravit Pius IV. in formula Fidei, quam Catholici omnes profiteri debent, hoc pacto: *Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor.* Itaque positivum omnino est Tridentini decretum de Scriptura explicanda juxta sensum Ecclesiae, et Patrum consensum. Contemnit quidem *Auctor anonymus* Epistolae ad Fejer (qui idem Iahnius esse creditur) contemnit, inquam, Pium IV., cui, ut ipse putat, auctoritas non est conciliare decretum immutandi. Verum, ut alia praetereamus, quis e Catholicis Summo Pontifici jus denegabit, authenticam interpretationem, sive declarationem conciliaris Decreti condendi?

Effugium ex his omnibus petunt Neotorici nonnulli asserendo Tridentinum et Pium IV. de Scripturae sensu vere non loqui, sed de summa Fidei tradenda, sive Religionis summa, per traditionem extra Scripturam nota. Hac vero ratione Tridentini simul, ac Pii IV. decretum ab illis omnino subverti quis non videt? Nam utrobique sermo manifesto habetur de *Scripturae sensu,* atque caussa lati Decreti, quae statuitur utrinque, ex eo petitur, quod Ecclesiae sit proprium *de vero sensu Scripturae* judicare.

7.º Variae tandem, ac nostro quidem judicio firmissimae adsunt pro thesi nostra rationes, quas hic summatim attingemus.

Prima. Scriptura sola esse nequit norma sufficiens quod ad credenda et servanda a singulis Christi fidelibus. Oportet enim ut cognoscant hi, quaenam sit Canonica Scriptura, rursus an eadem sit incorrupta, dein quinam sit ejusdem sensus; quae res, attentis iis, quae de Scripturae obscuritate monuimus, haud parum difficultatis habet. Haec quidem omnia Christus et Apostoli docuerunt; at undenam haec sunt addiscenda? verae scilicet traditionis vestigia diligenter sectando? Sed hoc privati homines quomodo assequerentur? Duae ad id

suppetunt viae, uti Scholae loquuntur, *Examinis* una, altera *Auctoritatis*. Iam vero quam arduum erit iter *examinis*, quod ingenium, studium, eruditionem postulat eximiam, adversariis ipsis fatentibus, qui linguarum studium ad hoc insuper requirunt? Quot dein periculis obnoxium erit hoc ipsum, in quod ea omnia recidunt, quae de spiritu privato adnotavimus? Unica ergo, si qua erit via a fidelibus sequenda, in auctoritate consistit, qua aut nemo, aut sola gaudet Ecclesia. Aliquam vero singulis fidelibus suppetere viam hujusmodi haud imperviam, Divinae Providentiae est omnino consentaneum.

Secunda. Si Christus nullum pro fidelibus constituisset tribunal, quod ipsius leges servaret incolumes et tuto explicaret, nullum pene intercederet discrimen inter Christi Ecclesiam, et Sectas, sive Accademias philosophicas a Pythagora, Aristotele, Platone, aliisque institutas. Nam in hac hypothesi Ecclesia esset instructione et exhortatione unice munita, iisque inniteretur, quibus vel philosophi isti usi sunt. At hoc posito, quorsum recident magnifica illa de Christo, *regem eum constitutum super montem sanctum*; *cujus imperii fines sint terrae fines*; *cujusque diuturnitas sempiterna*, aliaque Psalmi, aliaque Scripturarum loca non obscure praenunciant? Quare Christus ipse ait, *data est mihi omnis potestas* etc. *sicuti misit me Pater, ego mitto vos*? Cur ergo quotquot philosophorum systemata longe lateque diffusa sunt, quotquot Scholae et Accademiae sunt institutae, penitus evanuerunt, Christus vero *heri, hodie*, *et in saecula*?

Tertia. Sublata tribunalis alicujus auctoritate, cujus sententiae sine appellatione sint, actum esset de Fidei Unitate, de certa morum regula, de schismatum, haeresum, et controversiarum fraeno. Et sane (quod de privato quoque spiritu attigimus) praeter leges in qualibet bene constituta Republica judex vivus uti necessarius agnoscitur Reipublicae ipsi et Civium bono. Quanto id magis dicendum de Christiana Republica, ubi leges tot supernaturalia involvunt principia, cujusmodi in Sacris Scripturis adsunt, et ubi homines legum earumdem observantia ad finem supernaturalem pervenire debent?

Scholion pro Patribus.

Aliqua ex superius indicatis argumentis expresse valere pro Patribus non minus quam pro Ecclesia, cujusmodi est postremum Concilii Tridentini Oraculum, per se patet. At praeterea omnia illa generatim pro Patribus valere possunt, quae pro Ecclesia adducuntur. Haec enim credit ac docet, quod in Traditione habetur; Patres vero custodes simul sunt ac testes

Traditionis. Peculiari hinc, et Divina praeditus est auctoritate SS. PP. consensus, quem sequitur Ecclesia, quemque idcirco Theologi habent pro invicto Theologiae loco. Quod adeo verum est, ut Concilium Nicaenum II. Act. 2. cultum erga Imagines Sanctas vindicans, hisce verbis usum sit: *Sanctorum nostrorum et divinorum Patrum doctrinae insistentes, et catholicae Ecclesiae, in qua Spiritus Sanctus inhabitat, traditionem observantes, definimus* etc.

Re quidem vera, quod ad biblicam interpretationem spectat, evidentissimum efformat Traditionis argumentum SS. PP. mira prorsus harmonia, quae de illa in eorum operibus conspicitur. Ex. gr. Antiochiae scripserunt Ignatius et Chrysostomus, qui Constantinopoli quoque multa exaravit; Alexandriae Athanasius et Macarius; Cyrillus Hierosolymis; Proclus Constantinopoli; in Cappadocia Gregorius et Basilius; Corinthi Dionysius; Efrem in Syria; in Africa Cyprianus, Optatus, Augustinus; in Cypro Epiphanius; in Italia Ambrosius, Leo, Gregorius, Hieronymus, qui et in Palestina multa conscripsit; in Hispania Orosius et Isidorus; in Anglia Beda. Accedit ad hoc, ut diverso tempore, et saeculorum spatio interjecto Patres citati scripserint; unde concluditur, Tradionis lumen unice potuisse eos dirigere in tanta interpretationum consensione.

Circa illa, quae hucusque de Ecclesia et Patribus dicta sunt, iterum audiatur Lirinensis (*Common. c. 2.*): *In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est enim vere, proprieque catholicum . . . . . Sed hoc ita demum fiet si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores, ac Patres nostros celebrasse manifestum est: consensionem quoque iidem si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium sacerdotum pariter, et magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.*

Quaeres quomodo eruatur Ecclesiae sensus, et quinam sit Patrum usus?

Quod ad Ecclesiam.

Cum superius statutum sit, summum interpretationis biblicae principium in Ecclesiae auctoritate positum esse, recte sane hoc loco inquiritur, quonam modo se prodat Ecclesiae

judicium circa Scripturam. Multiplici vero ratione manifestatur; ac

1.º Dum Ecclesia verba alicujus loci per definitionem ostendit hunc vel illum habere sensum: ita Tridentinum (*Sess. 7. Can. de Baptismo*) verba illa Christi apud Ioann. III. *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*, declaravit (anathemate inflicto) ad metaphoram minime esse detorquenda, et ideo significare aquam veram et naturalem. *Sessione* etiam 13. *c.* 1. eorum Christi verborum, *hoc est corpus meum*, docuit sensum esse, ut realem Christi praesentiam in Eucharistia ostendant.

2.º Ecclesia judicium suum satis aperit, dum aliquam Religionis doctrinam ex aliquo eruit Scripturarum loco, cui proinde certum erit talem inesse sensum, qualem patefacit Ecclesia.

Ita ex. gr. dum Tridentinum (*Sess.* 13. *c.* 1.) auctoritatem Ecclesiae *infallibilem* eruit ex iis Paulli verbis (1. Tim. III.) de Ecclesia, *columna et fundamentum veritatis*, verba haec idcirco Ecclesiae *infallibilitatem* revera significare recte tenetur.

3.º Sensum Ecclesiae ostendit unanimis Patrum consensus. Nam id tenuit et tenet Ecclesia, quod uniformiter docuerunt Patres Traditionis custodes ac testes, ut antea dictum est. Quare Tridentinum simul jungit et Ecclesiae sensum, et SS. PP. consensum, ad Scripturarum rectam interpretationem.

4.º Tandem usus et praxis Ecclesiae, quid ipsa judicet, manifestat. Sic cum Tridentinum (*Sess.* 13. *c.* 5.) testatur, morem fuisse universalem et constantem Ecclesiae Catholicae *Latriae* cultum impendendi Eucharistiae; recte ex hoc Ecclesiae usu verba Scripturae, quae de Eucharistia sunt, de reali Christi praesentia Ecclesiam semper intellexisse constat.

Quod ad Patres.

Cum statutum a nobis praeterea sit, consensum SS. PP. primarium esse interpretationis biblicae principium una cum Ecclesiae auctoritate, oportet, ut de recto Patrum usu nonnulla indicemus; ac in primis duplex distinguitur Parrum usus; *dogmaticus*, et *criticus*. Constitit dogmaticus in inquirendo sensu, quem Patres Scripturae tribuere. Criticus in ambiguitate et incertitudine Codicum auferenda versatur.

Quod ad *dogmaticum*, qui rei nostrae praecipue interest, animadvertimus hasce requiri conditiones, ut eorum auctoritas *irrefragabilis* sit: prima est, ut omnes consentiant: secunda, ut agatur de re ad fidem spectante, vel ad mores. Harum

conditionum necessitas eruitur tum ex Tridentini loquendi modo, tum ex eo quod per eas Patrum traditio dignoscitur, ob quam praesertim illorum valet auctoritas.

Quapropter si vel Patres discordes sint, vel de re loquantur, quae in materia fidei aut morum adiaphora fuerit, tunc eorum auctoritas non erit *irrefragabilis*, sed nihilominus erit semper magni facienda ob ipsorum doctrinam, sanctitatem, et antiquitatem.

Quod ad *criticum* Patrum usum, huc alibi dicta revocentur, scilicet ex eorum commentariis, aliisque operibus deduci saepe quomodo legerint, et an revera haec vel illa verba Scripturae legerint, quae citant; quae res argumento est interpreti ad concludendum, in Scriptura verba illa reapse reperiri, ac reperta esse semper; deinde hoc vel illo modo eadem esse legenda.

Art. IV.

Solvuntur argumenta contra doctrinam Articulo superiori traditam.

Per summa, ut dici solet, capita discurrendo, solvimus ea, quae contra principia a nobis posita objiciuntur. Hoc enim nobis sufficere videtur, immo claritati magis inservire.

1.º Ut tueantur privatum Novatorum spiritum, quem rejiciendum esse § 1. diximus, citant quidam aliqua Scripturae loca, quae docere videntur, omnes homines a Deo inspiratos esse ad Scripturam interpretandam. Ita (Isa. LIV. 13.) *Ponam.... universos filios tuos doctos a Domino.* (Ierem. XXXI. 13.) *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* (1. Ioann. II. 27.) *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed.... unctio ejus docet vos de omnibus.* (1. Cor. II. 15.) *Spiritualis judicat omnia.* Ommittimus alia his similia. At quisque probe intelligit hisce locis tantummodo innui gratiae et interioris fidei efficaciam; idque tum ex scopo, tum ex contextu sermonis, nec non ex argumentis a nobis adductis pro Ecclesiae auctoritate. Hoc autem non labefactat, sed supponit Ecclesiae magisterium, et doctrinae sufficientem propositionem, explicationemque.

2.º Ut ejusdem spiritus privati, ac naturalis intellectus vim sufficere ostendant ad Scripturae interpretationem, loca ejusdem adducunt, quae examen credendorum ab unoquoque instituendum hortari videntur. Hujusmodi sunt (1. Thess. V. 21.) *Omnia autem probate, quod bonum est tenete;* (1. Io. V. 1.) *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo*

sint. Actor. XVII. narratur Beroenses scrutatos esse Codices sacros, ut perspicerent an id verum esset, quod Paullus praedicabat. Haec autem aliaque similia vel intelliguntur de examine ac de probatione ab iis requirenda, qui auctoritatem habent, quando dubia circa fidem exoriuntur, aut de scrutinio doctrinae illius viri, cujus auctoritas non satis est comperta, sicuti Beroensibus Paullum perpendentibus, contingebat. Nil ergo pro adversariis.

3.º Ut auctoritas Ecclesiae auferatur, quam § 3. vindicavimus, loca illa proferuntur, quae de rebus fidei humanum quodcumque judicium rejicere videntur. Hujus generis sunt: (1. Io. II. 27.) *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos.* (Matth. XXIII. 10.) *Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus.* At reipsa horum Scripturae locorum sensus est, ut hominum judicium rejiciatur, si fidei oppositum illud sit; sive juxta illud Matth. loc. cit. *Qui major est vestrum, erit minister vester,* immoderatum judicandi desiderium reprobatur; uno verbo, vitiosum tantummodo rejicitur hominum judicium, cujusmodi sane non est Ecclesiae judicium. Praeterea judicium Ecclesiae non hominum est, sed sicuti Spiritus Sancti, qui Ecclesiae adstat, oraculum est habendum.

4.º Opponunt, Scripturae injuriam irrogari, si explicationem ejus Ecclesiae subjiciamus. At nullam irrogant Catholici injuriam, dum non ad Scripturarum robur et veritatem Ecclesiae postulant judicium, sed ad illarum sensus explicationem obtinendam, dumque Ecclesia non de Scripturae auctoritate judicat, sed de nostra intelligentia. Ad haec, ut superius diximus, Ecclesiae judicium est ipsum quodammodo verbum Dei propter illud, quo gaudet, Sp. S. auxilium; unde in Concil. Apostolorum (Act. XV. 28.) sententia ita fuit prolata, *Visum est Spiritui Sancto et nobis* etc.

5.º Si totum interpretationis negotium, instant, Ecclesiae relinquendum est, omnis ars Hermeneutica evanescit, ac locus nullus, nullum officium interpretibus relinquitur: expectandum nempe erit tantummodo Ecclesiae judicium. At nos, minime id sequi, respondemus. Nam vel Ecclesia judicium suum manifestat, vel non: Si judicium suum manifestat, interpretis erit ostendere ipsam interpretationem, tueri, explicare, atque a Neotericorum aliorumque perpetuis oppugnationibus vindicare. Si tacet Ecclesia, ut hactenus de pluribus fecit, interpres arte sua probabiles sensus investigabit et eruet, regulas sequens, quas Art. II. exposuimus. Et sane, licet Ecclesia auctoritate gaudeat quod ad dogmata fidei, et morum praecepta, nihilominus Theologiae tum Dogmaticae, tum Scholasticae, tum Moralis evidens est usus et utilitas. Idipsum pro sacra Hermeneutica valebit.

6.° Patres, quorum auctoritatem §. 3. cum Ecclesiae auctoritate conjunximus, idoneos esse denegant ad authenticam Scripturae interpretationem, cum ad hanc (inquiunt) linguarum orientalium cognitio requiratur omnino, quae Patribus defuit. Ita prae aliis Iahnius, cujus verba superius retulimus, Patres appellat testes ignaros facti, scilicet minime edoctos esse de usu loquendi Hebraeorum, cujus cognitio (si ipsum audias) omnino est necessaria. Sed contra; 1.° Argumentum hoc injuriosum admodum est tot Patribus linguarum scientia excultis, uti Hieronymo, Origeni, ac pluribus aliis inter Graecos praecipue. Hieronymus autem nedum linguam Hebr. et Chald. sed et Traditiones atque usus Rabbinicos apprime calluit, ut ex ejus operibus clarissime patet. 2.° Argumentum idem supponit linguarum orientalium notitiam et necessariam et sufficientem ad dignoscendum Hebraeorum loquendi morem, et ad Scripturae sensum detegendum: quod agentes de *sensu mystico*, et §. 2 Art. superioris, refellimus. 3.° Christiani per prima Ecclesiae saecula, imprimis Pastores, et Doctores, dum toti erant in Scripturis Sacris legendis, meditandis, et in doctrina praedicationis Apostolicae conservanda ac tradenda, id praestare non poterant, quin una conservarent et traderent in multis *usum loquendi* Apostolorum ipsorum, seu Scriptorum N. T., adeoque et complures *hebraismi*, atque *hellenismi* Biblici transire debuerunt in linguam Christianorum et conservari, ut reipsa id factum esse scripta Patrum antiquiorum ostendunt. 4.° Tandem animadvertimus, linguas sicut et caetera interpretationis praesidia exquirenda esse, ubi per viam ut dicitur *examinis privati* non autem dum per viam *auctoritatis* Scripturae sensum inquirimus. Auctoritate enim, vel orientalium sermonum ignari valent Patres ad verum Scripturarum sensum ostendendum, ex Traditione edocti, et attento quoque Sp. S. auxilio, Ecclesiae promisso, quae Sanctorum Patrum magisterium sequitur juxta superius dicta.

CAPUT IV.

DE VARIIS INTERPRETANDI MODIS ET DE CLARIORIBUS BIBLICIS SCRIPTORIBUS.

Circa interpretationis Scripturae artem duo supersunt nobis tradenda, scilicet quot ac quibus modis exponi possit et soleat interpretatio Scripturae jam facta; deinde quinam fuerint clariores Interpretes ac Biblici Scriptores. De his ex ordine agemus.

Art. I.

De variis interpretandi modis.

Dividere possumus modos Scripturam interpretandi duplici ex capite. Primum ex materia, sive argumento interpretationis; quo pacto interpretatio erit *mystica* aut *litteralis*. Mystica porro erit vel *allegorica* vel *dogmatica*, vel *tropologica* vel *moralis*, vel tandem *anagogica*. Hujus divisionis ratio patet satis ex dictis Cap. superiori, ubi diversos Scripturae sensus explicavimus. Hic addimus tantum antiquos inter Patres quod ad sensum *literalem* excelluisse Origenem in *Scholiis*; Chrysostomum in *Commentariis*, et Hieronymum; quod ad *allegoricum* Augustinum; Gregorium quod ad *moralem*; quod ad *anagogicum* Ambrosium; Bernardum quod ad *accomodatitium*. Audiatur etiam Sixtus Senensis, cujus verba (*Bibliothec. lib. III. circa finem*) haec sunt:

Historiam hebraeis et graecis fontibus haustam
Hieronymo disces duce.
Allegorias, Anagogiasque recludent
Origenes et Ambrosius.
Exponent sensus formandis moribus aptos
Chrysostomus et Gregorius.
In dubiis, altaque locis caligine mersis
Aurelius lucem feret.
At brevis et facilis non est spernenda tyroni
Lyrinensis expositio.

Secundum divisionis caput biblicae interpretationis petitur ex *forma* sive *methodo*, qua interpretatio exponitur. Diversas species hic recensemus.

Versiones.

Versiones consistunt in translatione Scripturae ab una in alteram linguam. Versio porro, alia dicitur facta ex lingua *archetypa*, scilicet lingua originali textus; alia ex lingua non *archetypa*, sive ex alia versione deprompta. Rursus versiones dividi solent in orientales, in eas, quae usus ecclesiastici sunt, et in versiones vulgares. De his fuse loquuti sumus Diss. *de Textibus et Versionibus*: nihil idcirco hic addimus.

Paraphrases.

Paraphrases explicationes sunt Scripturae textus fusiores et locupletiores. Utilitatem quidem suam habent, sed in usu fuerunt magis apud Hebraeos, quam apud Christianos. Celebres

sunt Paraphrases chaldaicae Onkelosi, et Ionathanis, de quibus egimus, ubi *de Versionibus.*

Scholia.

Scholia sunt breves adnotationes, quibus aut variantes lectiones exponuntur, aut difficultates textus enodantur, aut diversitas sensus profertur, aut sermonis idiotismi explicantur. Aliquando in margine ponuntur. Iunioribus magno sunt usui ad Scripturarum intelligentiam. Hanc methodum sectati sunt in explicandis aliquibus S. Scripturae libris Origenes, aliique e veteribus, eamdemque recentiores multi cum laude, ac praecipue Isidorus Clarius, Vatablus, Du-Hamelius, Estius, Sà, Menochius, Tirinus, Grotius, qui tamen caute legendus est.

Glossa.

Glossa brevis et ipsa est explicatio textus, quae aliquando in textu ipso interseritur, et tunc dicitur *Interlinearis.* Hujus auctor creditur Walafridus Strabo Monachus Fuldensis, Rabani discipulus nono Saeculo. Walafridi Glossa, quae compendium erat commentarii Rabani, appellata est *Glossa ordinaria,* atque diu in usu fuit apud multos.

Postillae.

Postillae explicationes dicuntur aliquando breves, aliquando etiam longiores uti *commentaria*, unde vix discriminari possunt ab aliis interpretationis speciebus. Nomen hoc saec. XII. vel XIII. excogitatum creditur, ac derivatum dicitur a phrasi *post illa verba*, quae apponebantur ad explicationis locum indicandum.

Homilia.

Dicitur Homilia Scripturae explicatio populo exhibita, paraenesi morali adjuncta. Iudaei Homilias adhibuere. Apud Patres methodus haec in usu fuit summopere, ut patet ex eorum operibus, ac praecipue ex operibus Chrisostomi, Augustini, Bedae, Hilarii, etc. Hac quoque methodo Ecclesiae Pastores, et Concionatores usi sunt semper ad nostra usque tempora.

Lectiones.

Concionis species sunt, in qua Scriptura populi captui accomodata exponitur, et opportuna inde moralia documenta deducuntur. Plures laudantur celebres Oratores italici, qui Lectiones hujusmodi confecerint, praesertim Zucconi, Calini, Ros-

si, Granelli, Scotti, et Martinelli in Davidem, Roberti de fine Mundi, Pellegrini in Tobiam, et Ionam, nec non in Debboram, et Iephte. Peverelli in Actus Apost. Horum multi praestant etiam styli elegantia. Nicolai biblica eruditione omnes antecellit.

Commentaria.

Olim Commentaria dicebantur, quae confecta erant memoriae juvandae caussa: sed antonomastice nunc dicuntur opera, in quibus auctor et fusius et diligentius congerit ac disponit varias Scripturae explicationes, ac suum tandem expromit judicium. Patrum tum graecorum tum latinorum plura et valde insignia exstant Commentaria, uti Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, etc. Plura quoque nota sunt Theologorum doctissimorum, ut Maldonati, Tostati, Lyrani, Calmet, a Lapide, ac caeterorum. Quo in loco mentionem merentur *Biblia magna*, in qua multa collecta sunt: *Critici sacri*, quorum compendium exhibuit Matthaeus Polus opere inscripto *Synopsis Criticorum.*

Critici isti in collectionibus Commentariorum leguntur hominum magna saltem ex parte acatholicorum: quare licet eruditione utilissima refertae eae sint, tamen caute admodum sunt legendae.

Catenae.

Sunt Catenae Scripturae explicationes ex diversis operibus collectae, simulque ita connexae, ut continuum exprimant sermonem. Hanc methodum apud Graecos secuti sunt octavo saeculo Procopius Gazaeus, Nicetas, Olympiodorus, aliique; apud Latinos Hieronymus quidem olim simile quid jam praestitit interpretationes aliorum *Commentariis* suis inserens, sed magis insequentibus saeculis Cassiodorus, Beda, Rabanus, Angelicus, aliique. Utilissimae hae judicantur tum ad multorum fragmenta servanda, tum ad faciliorem, clarioremque reddendam Scripturae intelligentiam, quando praecipue Catenae prudenti rerum delectu ab interprete confectae sunt.

Quaestiones.

Habentur quaestiones quando per interrogationem ac responsionem dubia de Scriptura diriuntur; id quod Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, et multi etiam ex Theologis praestitere, inter quos eminent Martinus Wouters Ord. Erem. S. Augustini; Laurentius Veith Soc. Ies. opere: *Scriptura Sacra contra incredulos propugnata;* quibus addi po-

test Du-Clot *La Sacra Bibbia vendicata dagli assalti della incredulità*: Guénée *lettres.... à M. de Voltaire.* Si curiosa ac inutilia vitentur, resque solidae pertractentur, speciali utilitate gaudet haec methodus, claritatis praecipue caussa.

Tractatus.

Dicuntur Tractatus sermones de illis, quae potissimum efformant argumentum alicujus Scripturae libri, aut de illis, de quibus Scriptura in aliquo libro speciatim agit. Sic plura exstant Patrum opera hoc titulo: *Hexameron*, idest de operibus sex dierum, sive creatione, quam narrat Genesis. Ita tractatum habemus Ambrosii de jejunio, occasione Eliae; de usura, occasione Tobiae, et similia. Inter multos recentiorum tractatus celebres sunt Calmeti eruditissimae *Dissertationes* de variis rebus, quae passim in omnibus Scripturae libris occurrunt, in quibus tamen majorem rerum delectum, et subtile magis judicium eruditi multi desiderant. Ad Tractatus pariter revocandae sunt Dissertationes Praeliminares Xaverii Mattei, *Traduzione de' Salmi.* Mattei vero quandoque plus ingenio suo quam Patrum ac Interpretum auctoritati confidere visus est multis, qui idcirco eum hoc nomine reprehendunt. (vid. Fabroni *Vit. Ital.* T. XIX. etc.)

Summaria, sive Epitomae.

Summaria sive Epitomae compendium sunt Scripturae Sacrae, tironum praesertim usui accomodatum. Inter Athanasii opera notissimum est hujusmodi compendium, quod *Synopsis* appellatur, quae tamen Athanasii ipsius germanum scriptum non esse videtur. Hujusmodi sunt et *Complexiones Cassiodori* in Epistolas Paulli, aliasque, a Scipione Maffejo primum editae. Hanc methodum praecipue promovit Petrus Comestor, *Historia scholastica.*

Harmonia.

Harmonia est chronica temporum, ac ordo textuum simul et concordia rerum, quae dissidentes videntur. Rerum enim seriem neglexerunt quandoque Hagiographi. Habetur Harmonia Paralipomenon et Regum Ioannis Baptistae Le-Brun Parisiis edita. Exstant Harmoniae Evangeliorum apud Augustinum, Tatianum, Ammonium, Eusebium, Lamy, Blanchinium, aliosque inter recentiores, de quibus Harmoniis erudita multa more suo clarissime scripsit Coelestinus Cavedonius *Memorie di Religione* (T. 2. Mutinae). Hujus etiam generis est Chronicon Tirini utilissimum. Ad hanc tandem interpretationis me-

thodum plurimum valere possunt *Notae chronologicae* Lancellotti, quae loco appendicis sunt ad calcem Bibliorum Antonii Vitré.

Prolegomena.

Prolegomena sive *Apparatus*, aut *Dissertationes Praeliminares* sive *Isagogicae* postremam interpretationis speciem constituunt, suntque ea, quae de rebus agunt Scripturarum intelligentiam adjuvantibus, scilicet de auctoritate Scripturae, de Textibus et Versionibus, de Archaeologia Biblica, de Idiotismis, deque aliis hujus generis. Commendantur *Prolegomena* Tirini, Du-Hamelii, Nicolai Serarii, Du Pin; quaeque habentur in Polyglottis Londinensibus, nec non *Apparatus* Lamy, *Praeloquia* Iacobi Bonfrerii, *Institutiones Hermeneuticae* Ioann. Nep. Alber (*Pestini* 1816, 1818), *Introductio in libros Sacros V. F.* Acherman (Vienn. 1825), *Hermeneutica Sacra* Hermanni Ianssens (Parisiis 1828).

Art. II.

De clarioribus Biblicis Scriptoribus.

Auctores bene multos, multasque de Scriptura elucubrationes passim in Dissertationibus nostris, ac praesertim superiori articulo indicavimus. Praeterea et nimis longum, et nimis operosum esset Catalogum exhibere operum omnium, quae ad Biblia spectant. Tandem non omnino a periculo opus hoc alienum nobis visum est, cum inter Biblicos Scriptores aliqui Heterodoxi sint, aliqui ex Catholicis ipsis ab omni errore prorsus non sint immunes. Non pauci vero sunt scriptores biblici aetatis nostrae sive ex Protestantibus, sive ex nonnullis, qui Catholici videri cupiunt, qui ad *Naturalismum* vehementer inclinent, cujusmodi, ut alios ommittamus, sunt Michaelis, Eichhornius, Bahrdtius et Iahnius. Hinc e re nostra putavimus potius bibliographica opera solummodo celebriora adnotare, seu praecipuos auctores indicare, qui elenchum exhibent eorum, qui de Scriptura Sacra quamlibet egerunt. Ex his notum esse poterit studiosis, quibus potissimum adjumentis fulti possint ad perfectiorem biblicae scientiae cognitionem accedere, memores illius Paulli, quod etiam atque etiam exoptamus: *Omnia autem probate: quod bonum est tenete.* (1. Thess. V. 21.).

Sixti Sinensis Bibliotheca Sancta. Venetiis 1566.

Opus hoc saepius recusum fuit. Editio quae maxime probatur ea est quam Milantes adornavit Neapoli 1742. 2. vol. expunctis quibusdam quae S. Inquisitio in Sixto notaverat.

Zannachii (Iac.) Bibliotheca Theologica, seu catalogus tam auctorum, qui in V. et N. T. scripserunt, quam materiarum, quarum auctores non exstant. Mulhusii 1591.

Besodneri (P.) Bibliotheca Theologica, seu index bibliorum praecipuorum corumdemque interpretum hebr. graec. lat. tam veter. quam recent. Frankfurt 1608.

Hottingeri (I. H.) Bibliothecarius quadripartitus. Tiguri 1664.

Secunda pars operis agit de *Theologia Biblica.*

Crowaci (Guil.) Elenchus Scriptorum in S. Script. Lond. 1672.

Dupin (L. El.) *Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques avec la continuation de Goujet. Paris* 1688. 61. *vol.*

Mayeri (I. F.) Bibliotheca biblica sive Dissertat. de notitia auctorum, qui in S. Script. commentarios scripserunt. Lipsiae 1709. continuata a Carolo Arndtio Lipsiae 1713.

Le Long. (I.) Bibliotheca Sacra. Paris. 1723. 2. vol.

Opus hoc suppletum fuit et continuatum primum a Boernero, deinde ab A. G. Masch. Halae 1778-90. 5. vol.

Walchii. Bibliotheca theologica selecta adnotationibus instructa. Ienae 1757-65. 4. vol.

Calmet (D. Aug.) *Catalogue des meilleurs livres que l' on peut consulter pour acquérir l' intelligence de l' Ecriture Sainte.*

Catalogus hicce adjectus est operi ejusdem auctoris: *Dictionnaire historique, critique, etc. de la Bible.* Toulouse 1783. 6. vol.

Michaelis (I. D.) *Orientalische und exegetische Bibliotek Frankfurt* 1771. 25. *vol.*

Ejusdem. *Neue orientalische Bibliothek. Götting.* 1786-91. 9. vol.

Adler (I.) Bibliotheca Biblica Wurtemburgens. Ducis. Hamburgi 1787.

Eichorn (I. Gf.) *Allgemeine Bibliothek der biblischen Literatur. Leipzig* 1788-1801. 10. vol.

Andres (Gio.) *Dell' origine, progressi, e stato attuale d' ogni Letteratura. Roma* 1808-17. 9. vol.

Multa quoque Biblica opera indicata reperiuntur in Catalogis Debure, Brunet, Imperiali, Garampi, etc. Germanorum vero auctorum amplissima recensio habetur apud Ersch, *Handbuch der deutschen Literatur. Amst. und Leipzig* 1812 *Erster Bandes zweyte Abtheilung.*

FINIS PARTIS PRIMAE.

PARS SECVNDA

DISSERTATIO I.

DE HISTORIA RERUM IUDAICARUM SIVE DE ARCHAEOLOGIA BIBLICA.

Multa saepenumero in sacris libris occurrunt ad Hebraeorum mores, eorumque statum spectantia, quae eo quidem tempore, quo libri conscripti sunt, apud Hebraeos, ad quos dirigebatur sermo, sat pervulgata erant et cognita; verum eadem a nobis nunc ignorata, in caussa plerumque sunt quominus verum Scripturarum sensum assequamur. Praestat ergo haec breviter, ac summatim exponere, quae a Lamy (in *Apparatu*), a Lapide, Tirino, Du-Hamelio, Annato, Menochio, Goere Cunaeo et Sigonio (*De Rep. Hebr.*); quemadmodum etiam a Buxtorphio Patre (*Synagoga Iudaica*) nec non Bertrami Cornelio (*Politia Iudaica tam civili quam Ecclesiastica*) pluribus traduntur. Tota haec autem tractatio *Archaeologia Biblica* vulgo audit, quae quantum ad rectam Scripturae interpretationem, atque omne sacrorum librorum studium afferat utilitatis, alibi (in prima Institutionum parte Dissert. III. Cap. III. Art. I.) monuimus.

CAPUT I.

DE IIS, QUAE AD NOTIONEM GENTIS IUDAICAE PERTINENT.

ARTICULUS UNICUS.

Origo.

Hebraei originem duxerunt a Sem primogenito Noe, eo genealogiae tramite, quem Moyses (Gen. XI.) et Lucas (III.) describunt. Sem genuit Arphaxad, hic Cainan, hic Sale, hic Heber, hic Phaleg, hic Ragau, hic Sarug, hic Nachor, hic Thare, hic Abraham. Abraham genuit ex Agar Ismaelem; ex Sara nonagenaria Isaac; in Isaac Abraham benedictus est, fa-

ctusque pater multarum gentium, tamquam arenae maris, atque ob id dictus est Abraham. Isaac genuit Esau et Iacob, qui benedictus fuit, et genuit duodecim filios, qui patres gentis illius fuere, cui Deus benedixit, oracula sua credidit, ac plures promissiones fecit. Ergo origo gentis Hebraeorum hisce tribus viris definitur: *Abraham*, *Isaac*, et *Iacob*: hinc non semel ad indicandum Deum Hebraeorum Scriptura utitur his verbis: ***Deus Abraham***, ***Deus Isaac***, ***Deus Iacob***. Caeterum et Ismaelitae sunt filii Abraham, et Idumaei sunt filii Isaac.

Nomina.

Appellati sunt *Hebraei* עִבְרִים *Hivrìm*, alias *hibrìm*, vel ab *Heber* (hebr. עֵבֶר juxta illud (Gen. X. 21.) *De Sem quoque nati sunt*, *patre omnium filiorum Heber*: ut Augustinus (*de Civ. Dei. c.* 11. *l.* 16. et *c.* 39. *l.* 18.). Munsterus (*in Grammat. Hebr.*) etc. vel a *transitu* (hebr. עָבַר *havàr*, al. *habàr transivit*) Abrahae a Chaldaea in Chanaan; ut Origenes (*in lib. Num. Homil.* 19., et *Homil.* 35. *in Gen.*), Hieronymus (*in Ezech. cap.* 7.) Chrysostomus (*Homil.* 35. *in Gen.*) et Arias Montanus (*in can. c.* 9.) quod profecto probabilius videtur. Nam 1.° non prius Abraham *Hebraeus* appellatur, quam in Chanaan venerit (1), 2.° nedum filii Abrahae, sed et Nachor, et alii multi deberent Hebraei vocari, qui pariter ab Heber genus duxerant; 3. cit. loco Geneseos versio τῶν LXX. pro *Abraham Hebraeo* habet *Abraham transitori* (Ἄβραμ τῷ περάτῃ).

Israelitae a Patre Iacob, cui et nomen *Israel* יִשְׂרָאֵל, qui *praevaluit* in lucta contra Deum descripta Gen. XXXII. 28. *Nequaquam... Iacob appellabitur nomen tuum*, *sed Israel* (2); quemadmodum filii Esau, qui fuit *Rufus*, dicti sunt Idumaei, nempe *Rufi*.

(1) *Unus . . . nuntiavit Abram Hebraeo* (Gen. XIV. 13.)

(2) Non una est Philohebraeorum dissensio quod ad etymologiam nominis יִשְׂרָאֵל Israel. Nonnulli enim esse volunt quasi יָשַׁר אֵל *Jesàr El*, *Princeps Dei*, sive *directus Dei*, *idest* εὐθύτατος Θεου. Alii ut Philo, Nazianzenus etc. ita eum dividunt אִישׁ רֹאֶה אֵל *Jsc*, *Roèh El*, *vir videns Deum* ponendo שׁ *loco* שׂ. Alii demum שָׂרָה אֵל *Sarah El*, *dominatus est Deo* respicientes י in יִשְׂרָאֵל veluti heemanticum, ut in

Iudaei scisso post Salomonem regno a tribu Iuda (1) 1.° quia Reges ex ea tribu fuere; 2.° quia Messias ex eadem oriturus erat; 3.° quia tribus illa sola superstes fuit, cum decem tribus schismaticae in captivitatem fuerunt abductae, et tribus Benjamin fere deleta fuit ab aliis tribubus, uti narratur in libro Iudic. XX.; et post captivitatem si qui redierunt ex decem reliquis Tribubus, Iudaeis adsciti sunt.

Populus Dei, quia eum sibi elegit Deus, ut per eum viam sterneret Messiae tot prophetiis promisso: cum insuper Deus e servitute Aegypti redemit, et singulariter dilexit ac tutatus est.

Caeteri populi dicti sunt hebraice גוים *Goim*, graece ἐθνικοί *Ethnici*, latine *Gentiles* vel etiam *Incircumcisi*. *Noachidas* quoque vocant Hebraei, idest Noe filios, gentes omnes ab Hebraea distinctas. Vide Natalem Alexandrum *Hist. Vet. Test. Aet. 2. Diss. 2.*

Signa.

Deus pactum iniit cum Abraham, vi cujus Abraham, ejusque filii Deum haberent et colerent ut verum Deum, qui vicissim pro illis quaedam praestare tenebatur ex promissionibus, de quibus paulo infra erit sermo. Exinde Deus ipse signatum voluit hunc populum praecipue *Circumcisione*, cui masculus quisque octavo ab nativitate die subjiciebatur, quod praesertim in confirmationem pacti institutum est (2). Praeterea alia hujus signi caussa fuit, ut populus hic ab aliis distingueretur, quemadmodum mancipia apud orientales signabantur a dominis ut dignoscerentur. Insuper ut sic mystice significaretur mortificatio carnis, et recisio inutilium perficienda maxime a Christianis. Agnoscitur etiam in circumcisione figura sat clara Baptismi juxta Patres. Circumcisio vero non ante octavum diem perficienda erat 1.° quia corpus ante octavum diem non est bene mundum a sordibus: ita etiam Exod. XXII. 30. (3), et Levit. XXII. 27. (4) sanxit Deus, ut bos, ovis, et capra

nominibus propriis collocatur, quod Cornelio a Lapide, aliisque Philologis non paucis magis probabile videtur.

(1) Consulat qui vult R. Aben-Ezram *Exod. XXI.* 2. et Paullum Episc. Burgensem *Matth. XXI.*

(2) *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum* (Gen. XVII. 10.).

(3) *Septem diebus sit cum matre sua; die octava reddes illum* (primogenitum) *mihi.*

(4) *Bos, ovis, et capra cum genita fuerint septem diebus erunt sub ubere matris suae: die autem octavo et deinceps offerri poterunt Domino.*

essent sub ubere matris septem diebus, antequam offerrentur; 2.° ob incisionis dolorem. Non vero post octavum diem, ne caeremonia tanti momenti negligeretur. In deserto circumcisio ommissa fuit 1.° quia recens vulnus moram injecisset profectioni; 2.° quia nullis gentibus tunc miscebatur Hebraeorum populus. Trajecto vero Iordane Iosue in Galgala revocavit morem circumcidendi omnes incircumcisos. Vide Iosue V.

Plura de circumcisionis origine et effectibus habentur in Calmet dissertationibus *in Genesim*, et *Epist. ad Romanos.* Nos interim ad complementum hujusce argumenti animadvertemus quorumdam de circumcisione falsam et absurdam opinionem, qui hunc ritum statuunt ab Aegyptiis inventum, et ad Aegyptiorum imitationem solummodo ab Hebraeis servatum. Inter hos fuere Iulianus et Celsus teste Origene (*lib.* 1. *et* 5. *contra Celsum*), deinde Marshamus, Spencerus, aliique (Vid. Wesselingium *ad Herod. II.* 104., et Ludolfum *Hist. Aetiop. III. I. et Comment. suo ad h. l.*). Hoc diserte adversatur in primis Scripturae, quae ex loco Genes. (XVII. 10.) superius citato, Deo auctori circumcidendi ritum attribuit. Addi potest illud Ioannis (VII. 22.): *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem* (*non quia ex Moyse est*, *sed ex patribus*). Adversatur insuper patribus, qui inter se omnes una mente consentiunt cum Iustino (*in Dialogo cum Triphone*), ubi legitur: *Abraham*, *qui primus circumcisionem carnis accepit.* Ratione tandem sic argumentamur.

1.° Circumcisio signum esse debebat, quo Hebraei ab aliis populis distinguerentur, qui idcirco Prophetarum phrasi appellabantur *incircumcisi.* At si ritus idem apud Aegyptios fuisset in usu, quaenam inde distinctio? 2.° Quaenam ratio movere potuit Abraham ejusque filios, ut qui tantopere Aegyptiorum ritus et consuetudinem vitabant, Aegyptiorum hunc ritum imitarentur? 3.° Sit quidem apud Aegyptios (hoc saltem tempore) in usu Circumcisio; sed alia ab Hebraeorum ratione id ortum habet. Illi enim nullum agnoscunt divinum praeceptum et institutionem; circumcidebant suo more et *foemellas*, (Strabo, p. 824.); et arcanorum cognitionem inde captare intendunt. Vide Zaccariam, *Not. in Tournely de Sacram. in genere. Quaest. III. Append.*; Veith *de Libro Levitici*, *Quaest. XXVIII.*

Alia erant signa distinctiva gentis Hebraeorum, quae minus erant principalia, quaeque inferius indicabuntur.

Divisio.

Hebraei alii erant tales ab ortu suo, alii *proselyti* sive

advenae. Veri Hebraei divisi fuerunt in duodecim tribus juxta duodecim filios Iacob. Licet autem Levitae soli Deo vacantes non numerarentur inter tribus, istae tamen duodecim erant, quia Manasse et Ephraim duo filii Ioseph constituebant duas tribus, hocque quia Iacob moriens eos Iosephi gratia in proprios filios adoptavit (1). Idem patet etiam Ios. XIV. 4. (2).

Ex traditione apud Iudaeos recepta (vid. Seldenum *de jur. nat. lib. 2. c. 2. et 3.*) Proselyti alii dicebantur *portae* seu *domicilii*, alii *justitiae* seu *foederis*. Illi tantum gaudebant domicilio, et Iudaeorum consortio; isti habebantur ut Hebraei seu ut indigenae, ac probabiliter omnibus Iudaeorum privilegiis fruebantur. Diximus probabiliter; nam ex Deuteronomio XV. 3. (3) videtur remissio debitorum anno septimo praecepta solum fuisse pro fratribus idest veris Iudaeis. Praeterea ***Proselytis portae*** nihil aliud praecipiebatur nisi ut ab idolorum cultu et a sanguine abstinerent, et uti Sabatum observarent. ***Proselyti justitiae*** obstringebantur tota Moysis lege, atque inaugurabantur *circumcisione*, *baptismate*, *et sacrificio*. Circumcisione excepta, pariter inaugurabantur et foeminae.

Hic notandum est, Deum ob decus et bonum Synagogae exclusisse *ab ingressu Ecclesiae*, idest veluti irregulares fecisse, ***Eunuchos*** saltem voluntarios; *Ammonitas* et *Moabitas*, qui odio innato insequebantur Iudaeos; deinde *Idumaeos* et *Aegyptios* usque ad tertiam generationem, *spurios* usque ad decimam. (Vide Deuter. XXIII.). Quaerunt autem interpretes quid sit *ingressus Ecclesiae*, a quo recensitae gentes prohibebantur. Probabilior autem et magis recepta ea est sententia, juxta quam ingressus ille refertur ad jura civilia, privilegia et honores, uti erat ex. gr. in senatum assumi, judicis munus obire etc.: quod non impedit, quominus illi fieri possent *proselyti*, ac participare de phase, de sacramentis, de fide, id est de religionis bonis. Uno verbo arcebantur ii *a pleno jure politico non religioso*. Ita a Lapide et Calmet prae aliis. Ab eo vero tempore, quo facti fuerant *proselyti*, numerandae erant *generationes*, post quas jus quoque politicum iis concedebatur juxta dicta superius. Quapropter nomen Ecclesiae cit. loco sumitur pro caetu, ut in illo *odivi Ecclesiam malignantium*. Caeterum illud prae oculis habeatur, nunc quidem extra Christi Ecclesiam, vel *in re*, vel *in voto*, ut docent Theologi, neminem

(1) *Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi . . . mei erunt: Ephraim et Manasses sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi* (Gen. XLVIII. 5.)

(2) *Sed in eorum* (Levitarum) *successerunt locum filii Ioseph in duas tribus divisi Manasses et Ephraim.*

(3) *A peregrino, et advena exiges: civem et propinquum repetendi non habebis potestatem.*

salutem consequi posse, sed ante Christum non perinde necessarium fuisse ingredi Iudaeorum Ecclesiam.

Uti vero nos infidelium, ita Hebraei vitabant consortium incircumcisorum, quibus ne licebat quidem esum concedere Agni Paschalis (1).

Promissiones.

Variae factae fuere populo Hebraeorum ac pluries confirmatae a Deo promissiones. 1.° Promissio *de semine*, in quo omnes gentes erant benedicendae: *In te benedicentur universae cognationes terrae*: Ita Deus Ad Abraham Gen. XII. 3. et XVIII. 18. Illud autem *in te* explicatur Gen. XXII. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Paullus vero (ad Gal. III. 16.) quid semen sit, declarat verbis illis: *et semini tuo, qui est Christus*; *non dicitur*: *Et seminibus*, *quasi in multis*; *sed quasi in uno.* Eadem promissio confirmatur Isaac cum phrasi *in semine* Gen. XXVI. 4. (2) et Iacobo Gen. XXVIII. 14. (3). Promissio de Christo rursus facta est Davidi 2. Reg. VII. 12. (4) et ad ejus familiam determinata, mystice indicando Christum juxta Patres in persona Salomonis, cujus regnum promittebatur firmandum.

2.° Promissio *de numerosa posteritate.* Ita Deus ad Abraham *multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli et velut arenam, quae est in littore maris* (Gen. XXII. 17.). Idem Gen. XIII. 16. (5) et XV. 5. (6). Paullus ante explicavit hoc modo semen Abrahae: *Qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae* (ad Gal. III. 7.), et pluribus aliis locis suarum Epistolarum idipsum Paullus inculcat. Haec tamen mystica significatio non excludit litteralem sensum promissionis, vi cujus populus ipse Hebraeorum multiplicandus erat quemadmodum contigit, imo eum supponit.

3.° Promissio *de terra Chanaan.* Ita Deus ad Abraham (Gen. XIII. 15.): *Omnem terram, quam conspicis tibi dabo et semino tuo usque in sempiternum.* Idem Gen. XV. 18. (7); et XVII. 8. (8). Paullus autem in Epistolis suis in terra illa

(1) *Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo* (Phase). (Exod XII. 48.).

(2) *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.*

(3) *Benedicentur in te, et in semine tuo cunctae tribus terrae.*

(4) *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo et firmabo regnum ejus.*

(5) *Faciamque semen tuum sicut pulverem terrae.*

(6) *Numera stellas si potes .... sic erit semen tuum.*

(7) *Semini tuo dabo terram hanc.*

(8) *Daboque tibi et semini tuo terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan in possessionem aeternam.*

figuratam esse summam in caelis felicitatem saepe repetit. Haec enim est vera haereditas semini promissa Abrahae in sempiternum. Ita ad Romanos IV. 13.: *Non enim per legem promissio Abrahae, aut semini ejus ut haeres esset mundi, sed per justitiam fidei.* Vide etiam ad Hebr. X. 1. (1).

Lingua.

Hebraicam linguam loquebantur Hebraei.

Hanc fuisse omnium linguarum primam docuerunt, praeter Paraphrasim Chaldaicam et Rabbinos Salomon Iarchi, Aben-Ezra, Levi Ben Gerson, Simeon Ben Iochai, Gedalia etc., Origenes (*homil. XI. in Num.*); Hieronymus (*in Soph. cap. III.*); Augustinus (*lib. XVI. de Civitate Dei cap.* 11.); Ambrosius (*in cap. 3. Epist. ad Philipp.*); Buxtorphius (*Dissert. de ling. Hebr. Orig., et Antiq.*); Zanolini (*Quaest. IX.*); Cornelius Bertramus (*in praefat. Gramm. Hebr.*); Pererius (*l. 5. in Gen.*); Sanctes Pagninus (*Instit. Hebraic. c.* 1.) etc. Et sane nomina, quae in Scripturis recensentur data personis et locis statim post creationem, ut Adam, Eva, Cain, Eden etc. sunt hebraicae originis. Huetius tamen (*Demonstrat. Evangel. Prop.* 4. *c.* 13.); Natalis Alexander (*Hist. V. T. Aet.* 2. *Diss.* 5.) existimant periisse primam hominum linguam. De hoc argumento fuse agit Calmet (*Dissert. in Genes.*); at a nobis commodius hoc pertractabitur in biblicis exercitationibus.

Hebraica lingua eadem fuisse creditur quae Chananaeorum, et Phoenicum, aut saltem parvo discrimine ab his differebat. Chananaeorum quidem, nam hebraica sunt nomina, quae personas et loca Chánaan habuisse legimus, antequam Hebraei eo appellerent: ita *Abimelech*, *Rahab*, *Hierico*, *Salem*, *Melchisedech*, *Sichem*, *Bethlehem*, *Segor*, *Coriath Sepher*, *Coriath Arbe*, et alia sexcenta *urbium*, *regionum*, *montium*, *fluviorum* etc. Deinde lingua Hebraeorum nuncupari videtur *Chananaea* Isa. XIX. 17. 18. (2). Phoenicum etiam, quod Eruditi colligunt ex multis, et praecipue ex forma litterarum seu characterum, quae ad hebraicum alphabetum haud aegre reduci potest. Praeterea id confirmatur ex reliquiis sermonis Phaenicii et Punici. Lingua *Punica* (teste Hieron. *Com. in.Is. III.* 7.) *quae de Hebraeorum fontibus manat, virgo HALMA appellatur.*

Linguae autem, quae magnam habent cum hebraica affinitatem et *Semiticae* appellantur, hae sunt: Chaldaica, Syriaca,

(1) *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.*

(2) *Et erit terra Iuda Aegypto in pavorem ... in die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan.*

Arabica, Aethiopica, Samaritana, Thalmudica, quae apud Rabbinos maximo in usu est.

Quantum porro linguarum hujusmodi cognitio ad Scripturae conferat intelligentiam, patebit in Dissertatione de Idiotismis, praeter ea quae dicta sunt de Interpretatione Bibliorum.

CAPUT II.

DE CHRONOLOGIA.

ART. I.

De Aetatibus, in quas Vetus Testamentum dividi solet.

Postquam Adam peccavit, potuisset statim Deus Messiam hominibus concedere ad illorum redemptionem, quam statuerat, perficiendam. Sed ab Adam ad Christum 4000. circiter anni effluxerunt, idque, ut Patres ac Theologi animadvertunt; 1.° ut experientia multorum annorum homines cognoscerent infirmitatem propriam, et Servatoris necessitatem; 2.° ut, majori expectatione inter homines excitata Messiae, melius ad eum suscipiendum disponerentur; *diu enim desiderata*, ut ait Augustinus, *dulcius obtinentur*; 3.° ut sensim edocerentur homines per revelationem de mysteriis Christi, priusquam hic nasceretur; 4.° ut Christus multis modis foret in figuris praenunciatus, et ut ejus personam decebat, et ut erat utile ad fidem hominum juvandam. Hoc porro spatium annorum 4000. commode dividi solet in sex aetates tamquam epochas insigniores Veteris Testamenti. De his aetatibus multa apud Natalem Alexandrum (*Histor. Vet. Test.*); Graveson (*de annis et mysteriis Christi*), aliosque, qui de his plura scripserunt. Nos praecipua tantum indicabimus, quasi filum texentes, quod veluti manuducat sacrum hermeneutam a creatione Mundi ad Christum, et ab una ad aliam ex interjectis aetatibus.

Aetas prima.

Ab Adam ad Diluvium: anni 1656.

Hac aetate, imo statim post peccatum protoparentis experiri coeperunt homines cupiditatum vim, quibus obsequentes in scelera prolabebantur. Amissa namque *justitia*, quam Theologi vocant *originalem*, rebellionem coacti sunt homines pati, ita ut omnes possint cum Paullo exclamare: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et ca-*

ptivantem me in lege peccati, quae est in membris meis (ad Rom. VII. 23.). Et revera statim post Adam peccavit Cain interficiens propter invidiam fratrem suum Abelem: deinceps vero *videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, delebo inquit, hominem, quem creavi a facie terrae.... omnis quippe caro corruperat viam suam super terram* (Gen. VI.). Omnes itaque homines perditi diluvio sunt, excepto tantum Noe ejusque familia, octo scilicet animabus exceptis, atque in arca salvatis.

Aetas secunda.

A Diluvio ad vocationem Abrahae, quae contigit anno 2083.

Post diluvium homines, qui e tribus Noe filiis Sem, Cam, et Iaphet descenderant, antequam in diversas abirent regiones consilium inierunt excelsam turrim aedificandi, ut nomen suum celebrarent. Verum a Deo per linguarum confusionem eorum turbato consilio dispersi sunt per varias mundi plagas. Sed vitiis denuo coepit mundus obrui, et idololatria praesertim hoc tempore magis magisque serpebat ac diffundebatur. Interim Deus ne genus hominum perderetur rursus, utque ea impleret, quae de Messia statuerat, gentem aliquam tamquam populum suum eligere voluit. Vocavit igitur Abraham ex Ur Chaldaeorum Gen. (XII. 1.) (1), et (XV. 7.) (2), Actor. (VII. 3.) (3) gente idololatra, eumque caput constituens gentis illius, cui oracula sua committere statuerat, et ex qua nasci volebat Christum, misit in Chanaan pollicitus illi et Messiam ex ejus semine oriturum, et possessionem integrae illius regionis.

Aetas tertia.

A vocatione Abrahae usque ad exitum ex Aegypto anno circiter 2513.

Abraham itaque relicta cognatione sua venit in Chanaan cum Sara uxore, et Loth fratris filio, nullam tamen certam figens sedem, sed habitans sub tabernaculis. Pecori commodius alendo Loth se recepit in Sodomam. Cum vero Loth captus fuisset a rege Chodorlahomor, liberatus est ab Abraham, qui victor reversus benedictionem accepit a Sacerdote Melchisedech

(1) *Egredere de terra tua, et cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi.*

(2) *Eduxi te de Ur Chaldaeorum.*

(3) *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi.*

panem et vinum offerente. Deus interim renovavit Abrahae jam factas promissiones, ac pro *Abram* (patre excelso), sicut ante nuncupabatur, vocavit *Abraham* (patrem multarum gentium).

Nascitur Isaac ex Abrahamo, ex Isaac nascitur Iacob, ex Iacob vero duodecim filii nascuntur, qui capita fuerunt populi Dei, haeredes benedictionis et promissionum, quae identidem confirmabantur. Filii Iacob aegre ferentes Iosephum fratrem se ipsis cariorem esse Patri, eum quibusdam mercatoribus vendiderunt, a quibus deductus est in Aegyptum. Divina ac mirabili Providentia evenit, ut Ioseph fieret Pro-Rex Aegypti, ac tandem Iacob cum omnibus filiis in Aegyptum apud Ioseph reciperetur. Familia autem Iacob cum in Aegyptum transmigravit septuaginta animabus constabat, sed intra 215., seu potius 430. annos ita excrevit, ut capitum fere sexcenta millia numerarent Hebraei, praeter parvulos et mulieres: Exod. XII. 37. (1). Hoc invidiam in eos concitavit mortuo praesertim Iosepho et Rege, cui Ioseph erat acceptissimus. Durissimam igitur servitutem experiri coeperunt Hebraei ab Aegyptiis. Deus autem populi sui vicem miseratus constituit Moysem Hebraeorum ducem, qui jubente Deo teterrimis plagis in Aegyptios immissis liberavit Hebraeos, cum quibus ex Aegypto digressus versus terram a Deo promissam iter instituit.

Aetas quarta.

Ab Exodo usque ad aedificationem templi anno p. m. 4000. extructi.

Voluit Deus tum ad populum suum plenius instruendum, tum ad ipsius punienda scelera uti ex Num. XIV. 33. (2), et Deut. VIII. 2. (3), tum ne statim continuis bellis a Philistaeis opprimeretur Exod. XIII. 17. (4) ut per annos quadraginta in deserto peregrinaretur antequam promissam terram incoleret. Stationes numero quadraginta duae per hos annos factae sunt, ac descriptae Num. XXXIII. Continua interim ac plane stupenda prodigia Deus ad popoli sui conservationem patrabat. Hoc ipso tempore Moyses in monte Sinai Dei legem accepit, quam universo populo communicavit. Verum populus longae peregrinationis taedio in Deum saepe rebellis, deque ejus promissionibus diffidens pluribus multatus est poenis; statutumque tandem

(1) *Profectique sunt filii Israel ... sexcenta fere millia peditum virorum absque parvulis.*

(2) *Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta.*

(3) *Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te.*

(4) *Reputans ne forte poeniteret eum si vidisset adversum se bella consurgere.*

Deo est, ut omnes qui in censu populi (1) majores annis aviginti invenirentur, Iosue et Caleb tantum exceptis, ante ingressum in Chanaan morerentur Num. XIV. 23. (2), et 29. (3). Moritur quoque Moyses, qui sibi successorem elegerat Iosue. Hoc duce, quadragesimo anno ab exitu, Hebraei ingrediuntur promissam terram, quae duodecim tribubus dividitur: (Ios. XI. 23. (4) et XIII.).

Mortuo Iosue, regimen penes *Iudices* esse coepit, qui in bellis praesertim contra Chananaeos populo praeerant. Iudices autem, immediata Dei electione constituebantur, aut populi voluntate electi a Deo ipso, qui summam exercebat in republica Hebraeorum potestatem, tacito saltem quodam modo confirmabantur. Statuerat porro Deus ut devictae gentes interficerentur, ne Hebraei ipsi in idololatriam prolaberentur. At Hebraei Deo non solum dicto audientes non fuerunt, sed etiam gentibus illis matrimonio copulabantur. Hac ipsa aetate tota ferme tribus Beniamin ab aliis tribubus deleta fuit ob gravissimam injuriam cujusdam Levitae uxori a Beniamitis illatam. Difficillimam adepti sunt Hebraei promissae terrae possessionem, puniente Deo eorum peccata.

Post quindecim Iudices, Reges esse coeperunt, Iudaeis ipsis id postulantibus. Regnarunt itaque Saul, David, ac Salomon, qui summa pace gaudens pro tabernaculo pellibus consuto a Moyse, templum Deo aedificavit in monte Moria.

Aetas quinta.

Ab aedificatione templi ad finem captivitatis Babylonicae anno 3468.

Post Salomonem regnavit Roboam, sub quo, praesertim ob ipsius imprudentiam, schisma, cujus quoddam veluti semen fuit rebellio Isboseth (2. Reg. II.) et Seba (2. Reg. XX.) tempore Davidis, exortum est inter Hebraeorum tribus Iudae cum reliquiis tribus Beniamin in Roboami fide mansit: reliquae

(1) Nota: cum in censu populi non sint numeratae mulieres, neque Levitae (vid. cap. Numer. I. II.). hinc patet iis non fuisse per hanc legem prohibitum ingressum in Chanaan, uti pueris minoribus anno vigesimo, dummodo et ipsi non murmurassent: nam generaliter dicitur (XIV. 23.) *nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam.*

(2) *Non videbunt terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi intuebitur eam.*

(3) *In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis a viginti annis et supra et murmurastis contra me non intrabitis terram.... praeter Caleb filium Iephone, et Iosue filium Nun.*

(4) *Tradidit* (Iosue) *eam* (terram) *in possessionem filiis Israel secundum.... tribus suas.*

decem ad Ieroboam defecerunt, qui regnare coepit in Samaria. Hinc distinctio *Regni Iudae*, cujus caput erat Roboam, a *Regno Israelis*. Plures in regno utroque Reges alii aliis successerunt. Sub regno Phacee Theglathphalasar Rex Assyriorum quinque ex Israeliticis tribus captivas abduxit: reliquae sub Osea Rege, qui Phacee successit, fuerunt a Salmanasar in servitutem redactae: 4. Reg. XV. 29. (1), et XVII. 6. (2). Inde Samaritani ortum duxerunt partim a Gentilibus, partim ab Israelitis, quibus numero paucis Regis illius concessione licuit in Samariam redire. Reliqui vero ex captivis Israelitis aut nunquam reversi sunt, aut solum sensim et per turmas, ita ut coaluerint cum tribu Iuda; qua de re legatur Calmet *Diss. in Ezechiel.*

Populus quoque Iudae in captivitatem deductus est a Nabuchodonosor, qui tempore regum Ioachim et Sedeciae, Iudaeos omnes in Babyloniam asportavit, Ierusalem Temploque incensis. (Vid. 4. Reg. XXIV., et XXV., 2. Paralip. XXXVI.). Captivitas haec annos septuaginta perseveravit, quibus exactis Cyrus Persarum Rex Babylone potitus, Iudaeos libertate donavit.

Hac quinta aetate floruere plerique Prophetae *Majores* et *Minores* continuenti prope serie.

Aeta sexta.

A libertate per Cyrum donata ad Christum natum anno circiter 4000.

Iudaei libertatem adepti profecti sunt Hierosolymam duce Zorobabele ac Iosue (1). Esdr. II. 2. Esdr. VII.). Regnante Artaxerxe ascendit Esdras cum nova manu Hebraeorum, et post 53. annos Nehemias. Urbs interim et Templum reaedificata sunt. Deinde Alexander Magnus, Persarum regno everso, totius Orientis potitus est, quo mortuo cessit Aegyptus Ptolemaeis, Syria Seleucidis. Antiochus autem Epiphanes Rex Syriae acriter persequi Iudaeos coepit, dum eos profanos adoptare ritus cogeret. At contra eum strenui viri ex tribu Levi, qui Pontifices simul erant ac duces fortiter bellantes insurrexerunt. Hi vocati sunt *Machabaei*, hoc est *Quis sicut tibi in fortibus Domine*; aut *Assamonaei* idest *Magnates*, et *Asidaei* nempe *pii*. Iudas, qui et Aristobolus, Ioannis Hyrcani filius, et Simonis nepos, regium nomen primus invexit. Romani tandem duce Pompejo,

(1) *In diebus Phacee regis Israel venit Theglathphalasar Rex Assur, et coepit Aion et Abel Domum, Maacha et Ianoe, et Cedes, et Asor, et Galaad et Galileam et universam terram Nephtalim, et transtulit eos in Assyrios.*

(2) *Anno autem nono Osee coepit Rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios.*

discordiis, quae tum in Oriente erant caussa praebentibus, Iudaeam sibi subjecerunt, ac tributarios fecerunt Iudaeos (1). Eo tempore Herodes natione Idumaeus, favente M. Antonio, Iudaeorum Rex declaratur, sicque penitus Iudaeorum sceptrum versum est ad alienigenam. Regnante Herode natus est Christus.

Notandum hic 1.º ex ordine eventuum, quos descripsimus, prima fronte videri posse non fuisse adamussim verificatum oraculum Iacobi (Gen. XLIX.), juxta quod sceptrum non erat auferendum a tribu Iuda nisi Christo adveniente. Nam Christi quidem adventum assignamus anno p. m. 4000.; sed jampridem sceptrum ablatum videtur a Iuda, cum scilicet regnare coeperunt Machabaei, qui ex tribu Levi orti erant: multo magis vero cum regnavit Herodes Idumaeus a Romanis electus. At optime consistet veritas oraculi, si, ommissis aliis bene multis, animadvertatur, Machabaeos quidem Levitas fuisse, sed in tribum Iuda cooptatos uti reliquos ex aliis tribubus; nam post captivitatem sola tribus Iudae remansit, solaque et regnandi et regnantes eligendi auctoritate pollebat. Quare non minus sub Machabaeis Levitis stetit sceptrum in tribu Iudae, quam sub Trajano Hispano Romanum imperium. Herodes vero regnare coepit 35. annis p. m. ante Christum, quod intervallum in longissima annorum serie pro nihilo habendum est. Ipso vero regnante, ut diximus, natus est Christus.

2.º Admodum esset difficile accuratas ostendere epocas adsignatas; nam in annorum computandis seriebus non conveniunt Septuaginta cum textu hebraeo et Vulgata. Hujus diversitatis plures afferri solent caussae: ac 1.º per synecdochem pars anni, mensis, diei sumitur pro integro anno, mense, die, uti Christus dicitur in sepulcro fuisse tribus diebus. Et revera Scriptura dum refert annos Patriarcharum vel Regum nunquam meminit mensium aut dierum; 2.º aliquando numerantur simul anni, quibus filius regnavit cum patre, aliquando vero anni, quibus solus ipse regnavit post patrem; 3.º quandoque interregnum jungitur cum annis sequentis Regis, vel Judicis, quandoque vero non jungitur; 4.º non omnes historici ac interpretes conveniunt inter sese in tabulis chronologicis determinandis. Nam praeter superius dicta, alii ut Gordonus et Tirinus inter Patriarchas connumerant Cainanem II. atque interserunt annos

(1) Pro rerum distinctione nota: Iudaei a tribus Monarchiis multa passi sunt. Prima fuit Assyriorum et Chaldaeorum, gestaque ad eam spectantia Regum libris continentur. Secunda fuit Cyri, et Regum Persarum, gestaque habentur in Esdra, Nehemia, Tobia, Judith, ac Esther. Tertia fuit Alexandri M. et Graecorum, Antiochorum Regum Syriae, et Ptolemaeorum Regum Aegypti; gestaque in libris Machabaeorum describuntur.

30.; alii vero illum expungunt, ut Calmet, Lancellottus, a Lapide, Graveson. Gordonus idem et a Lapide statuunt Thare genuisse Abraham cum esset annorum 70., Calmet vero, Graveson, Lancellottus attribuunt Thare cum ipse genuit Abraham, annos 139. Hinc praeter alia varietas est inter tabulas chronologicas, quas exhibent citati auctores. De his vide Richardum de S. Victore *De concordia temporum in libros Regum.*

Appendix pro Chronologia Novi Testamenti.

Mortuo Herode Magno, Herodis regnum in *Tetrarchias* idest in *quatuor principatus* divisum est, confirmante hanc divisionem Caesare Augusto. *Iudaea* data fuit Archelao Herodis Magni filio; *Galilaea* Herodi Antipae altero Herodis Magni filio; *Trachonitis* Philippo; *Abilina* Lysaniae. Post multas vicissitudines tandem Titus et Vespasianus Romani Imperatores urbem Hierusalem ac Templum everterunt, ac deleverunt anno Christi septuagesimo: ea scilicet aetate, et circumstantiis, quae a Christo praedictae fuerant (Matth. XXIV.).

Nota. Utilis valde est editio Sacrae Scripturae a Vitré concinnata, in qua inveniuntur correspondentes adnotationes chronologicae. Utilissimae quoque sunt tabulae chronologicae, illa praesertim, quam affert Cornelius a Lapide ubi *de Pentateucho*, cujusque exemplar tironum commodo ad calcem hujusce partis subjicimus, etsi nos ut plurimum adnotationes Vitré fuerimus sequuti.

Art. II.

De variis temporum mensuris.

De die.

Naturalis dies apud omnes gentes est tempus ab ortu usque ad occasum Solis, uti tempus ab occasu ad ortum est nox. Civilis autem dies utrumque tempus complectitur. In id omnes aeque consentiunt populi, nisi quod discriminis aliquid adest in ejusdem initio constituendo. Babylonenses, Persae, Syri diem incipiunt ab ortu solis; Arabes a meridie; Aegyptii, Romani, Galli, Hispani a media nocte. Hebraei insistentes primae rerum creationi, qua tenebrae praecesserunt lucem (1) inchoabant diem legalem, nempe juxta legem Mosaicam, ab ingressu vesperae, id est ab occasu solis. Idem etiam (vetere saltem tempore) mos erat Atheniensium et Italorum.

(1) *Factum est vespere et mane dies unus.* (Gen. I. 5.)

De Horis.

Non admodum vetustus fuit usus dividendi diem in 24. partes aequales, quas *horas* dicimus. Iudaei (saltem aetate Christi) ut alii populi communiter, dividebant diem naturalem in duodecim partes, quarum prima incipiebat ab ortu solis; et noctem pariter in duodecim partes, quarum prima ab occasu solis initium sumebat: quae partes inaequales erant prout inaequales erant dies noctesque juxta tempestatum varietatem. De his autem partibus intelligendae sunt horae passim in Scriptura memoratae. Sed alio quoque modo juxta quorumdam eruditorum sententiam consueverunt Hebraei civilem diem distribuere; nempe et diem naturalem et noctem pariter in quatuor partes dividebant. Horae diei dicebantur *prima*, *tertia*, *sexta*, *nona*, quarum quaevis tres horas communes complectebatur. Partes noctis dicebantur *vigiliae*, nomine a vigilibus mutuato, et vocabantur *prima*, *secunda*, *tertia*, *quarta vigilia*; et aliter *sero*, *media nox*, *gallicinium*, *mane*. Prima etiam vigilia dicta est interdum *caput vigiliarum*. Hac secunda diei distributione usi sunt juxta auctores illos interdum Hagiographi: et ita Marcus dicit Christum crucifixum hora tertia, Ioannes autem hora quasi sexta.

Diximus supra *juxta quorundam sententiam*; nam quod ad noctem, nonnulli contendunt illam saltem antiquitus divisam fuisse in tres partes: sane in libro Iudicum (VII. 19.) innuitur vigilia noctis mediae, ubi dicitur: *Ingressusque est Gedeon ..., incipientibus vigiliis noctis mediae.* Quod vero ad diem spectat, ajunt, ante exilium in sex partes (fere ut nunc apud Arabes), deinde fuisse in duodecim partes distributum. Nihilominus primam, tertiam, sextam, nonam saepius nominari in Scripturis, eo quod illae horae peculiarem ad ritus sacros habuerint relationem. (Vid. Dissert. Cl. Brunati S. J. *Delle Ore della Crocifissione*). Cognita vero fuisse horologia solaria Hebraeis, saltem sub Regibus, eruitur (4. Reg. XX. 11.) (1) ex horologio Achaz.

De Hebdomade.

Quemadmodum Graeci computabant dies per decades, Romani per kalendas, nonas, et idus, ita Hebraei per Hebdomades, ut Syri etiam, et Aegyptii. Hebdomas porro gentilium uti et nostra septem diebus constabat, quorum nomina derivantur a nominibus Solis, Lunae, Martis etc. Hebdomas Hebraeorum

(1) *Iam descenderat* (umbra) *in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.*

septem et ipsa diebus constabat, quarum postrema *Sabbatum* (שַׁבָּת *requies* etc.) dicebatur, summaque religione colebatur. Alii dies a Sabbato pariter sumebant nomen, ac Sabbata dicebantur; ita ut dies sequens Sabbatum vocaretur *una* seu *prima Sabbatorum*, deinde *secunda Sabbatorum*, et sic deinceps. Sexta autem nomen habebat peculiare *Parasceves*, id est *Praeparationis* eorum, quae Sabbato erant necessaria. Subinde a Sabbato, tamquam praecipua die, hebdomas tota dicta est Sabbatum, uti *una Sabbati*, *jejuno bis in Sabbato*. *Hebdomas Hebdomadarum* periodus erat hebdomadarum 7. seu 49. dierum, intercedens inter Pascha et Pentecosten, quae ideo *Festum Hebdomadarum* appellabatur. (Deut. XVI. 9. 10.).

De mense.

Mensis quo nos utimur, tempus complectitur quo sol unum e duodecim Zodiaci signis percurrit, quique nunc triginta, nunc triginta et uno diebus constat. At Iudaei mense utebantur Lunari, qui temporis spatium complectitur, quo Luna in suo cursu a Solis conjunctione digressa rursus ad eam revertitur. Hoc modo Iudaei facilius distinguebant tempora, quippe qui magis oculis, quam tabulis uterentur: Luna vero, prout regreditur a conjunctione Solis, aut ad eam revertitur diversimode illuminata diversas exhibet figuras, quae indicant temporis lapsum. Spatium hoc circiter continet alternatim 29. et 30. dies. Initium porro mensium non sumebant Hebraei a puncto conjunctionis, cum hoc tempore Luna sit invisibilis, sed a puncto, quo Luna primum conspicua apparet, quod punctum dicebatur *primae Lunae phasis* φάσις (apparitio), vel *Neomenia* νεομηνία (novilunium) (1).

De anno.

Uti annus Solaris est temporis spatium, quo sol integrum Zodiacum permeat, quique idcirco duodecim constat mensibus; ita Lunaris annus est temporis spatium, quo duodecies fit conjunctio Lunae cum Sole. Menses porro haud certis nominibus, sed ordine numerati distinguebantur, ides *primi*, *secundi*, *tertii*, *quarti*, et ita usque ad duodecimum. *Primus* dicebatur etiam *mensis novarum frugum*. Ast successu temporis, et praecise priusquam captivi Babylonem abducerentur Hebraei, quatuor tantum menses Hebraica lingua appellarunt, idest *Septem-*

(1) Auctor libr. IV. Reg. in Babylonia Scribens, calculo astronomico usus fuisse videtur: unde 27. diem mensis XII. dicere potuit eum, quem Ieremias in Palaestina dicit 25. (4. Reg. XXV. 27.; Ierem. LII. 31.).

brem אֵיתָנִים *Ethanim* (alias *Edanim*), *Octobrem* בול *Bul*, *Martium* אָבִיב *Abib* (alias *Aviv*), et *Aprilem* זִיו *Ziv*. Post captivitatem vero, et linguae Hebraicae desuetudinem nomina, ut arguunt aliqui a Chaldaeis desumpta, mensibus dederunt, scilicet **1.** נִיסָן *Nisàn* nostro *Martio* respondens: 2. אִיָּר *Iiàr Aprili*: 3. סִיוָן *Sivàn Majo*: 4. תַּמּוּז *Thammùz Iunio*: 5. אָב *Ab* (al. *Av.*) *Iulio*: 6. אֱלוּל *Elùl Augusto*: 7. תִּשְׁרִי *Thiscri Septembri*: 8. מַרְחֶשְׁוָן *Marchesvàn Octobri*: 9. כִּסְלֵו *Chislèu Novembri*: 10. טֵבֵת *Tebèth* (al. *Tevèd*) *Decembri*: 11. שְׁבָט *Scebàt* (al. *Scevàt*) *Ianuario*: 12. אֲדָר *Adàr Februario*.

Iuxta vero periodum mensis Lunaris fit, ut annus lunae sit brevior anno solis 11. diebus; hinc Hebraei ut annum suum aliquo modo cum cursu solis ordinarent, adjungebant suis mensibus nunc secundo, nunc tertio quoque anno (1) tertium decimum mensem, qui dicebatur *embolismus* seu intercalaris, et dicebatur וַאֲדָר *Veadàr*, quasi *Adàr iteratus*. Re quidem vera secus Pascha et Pentecostes paullatim in hiemem incidissent contra legis praescriptum. *Nisàn* vero primus erat pro Hebraeis ecclesiastici anni mensis. Ita etiam statutum erat in lege (Exod. XII. 2.): *Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni*. Ante vero hanc legem Hebraei annum suum inchoabant ab aequinoctio autumnali, in quem cadebat mensis hebraeorum septimus, nempe *Thiscri*, quod postea semper servatum est in anno Hebraeorum civili, qui contractibus, et negotiis saecularibus, nec non Iubilaeo inserviebat: *Et clanges buccina mense septimo . . . sanctificabisque annum . . . . ipse enim est Iubilaeus* (Lev. XXV. 9. 10.). Vide a Lapide *in Exod. XII. 2. De temporis mensuris* fuse Petavius.

Hic obiter duo notanda. **1.°** varietas est in anni initio constituendo apud varias gentes. Athenienses incipiebant a solstitio aestivo: Asiatici ab aequinoctio autumnali: Arabes a verno, uti etiam Romani ante Numam, qui addidit Ianuarium et Februarium: postea Iulius Caesar statuit anni initium a solstitio hiemali, uti nos quoque fere facimus. Hebraei autem ab aequinoctio verno inchoabant annum suum ecclesiasticum, uti ab autumnali civilem juxta superius dicta. 2.° Scriptura communiter utitur anno sacro sive ecclesiastico, sicque legitur in libro Esther (III. 7.): *Mense primo*, (*cujus vocabulum est*

(1) Hoc nempe ordine; ter, ter, bis; ter, ter, ter, bis.
3. 6. 8. 11. 14. 17. 19.

Nisân); item in Zacharia (VII. 1.). *In anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni qui est Casleu;* itemque in 1. Mach. (IV. 52.) *Surrexerunt quinta et vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu).*

De periodis Annorum.

Quemadmodum apud Romanos **lustra** in usu erant tamquam mensurae annorum longiores, apud multos etiam saecula, ita duae apud Hebraeos notabiles erant annorum periodi. Prima erat hebdomas annorum, sive circulus annorum septem, quorum postremus dicebatur *annus Sabbaticus.* Altera *Iobel* sive *Iubilaeum*, (hebr. יוֹבֵל), eratque circulus annorum quinquaginta, seu hebdomas hebdomadarum annorum, quorum sequens *Iubilaris* dicebatur. Etymologia vocis *Iubilaei* vel *Iobel* vaga nimis, et incerta est.

Quatuor porro ex lege communia erant tum anno Sabbatico, tum Iubilari. 1.° Hisce annis terra non colebatur, et quae sponte nascebantur omnibus erant communia; (Exod. XXIII. 11.) *Anno autem septimo dimittes eam terram, et requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui.* 2.° Remissio fiebat omnium debitorum inter Iudaeos fratres; (Deut. XV. 2.) *Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre suo repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.* Contendunt tamen aliqui debita quidem non fuisse eo anno exigenda quando proventus non essent, nequaquam vero exstincta illa fuisse. 3.° Servi Hebraei dimittebantur liberi; (Exod. XX. 2.) *Si emeris servum Hebraeum sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis:* Hoc tamen aliqui ita explicant, ut servi septimo suae servitutis anno dimittendi essent liberi. 4.° Deuteronomium (sive potius *Lex Moysis*, quae sero solum in V. libros distinctos divisa est) legebatur universo populo. (Deut. XXXI. 10., 11.) *Post septem annos, anno remissionis in solemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel . . . leges verba legis hujus coram omni Israel audientibus eis.*

Anni porro jubilaris id erat peculiare ut etiam bona vendita, aut alio modo distracta (exceptis domibus urbanis) ad pristinos redirent dominos, et servi hebraeae originis, qui anno sabbatico renuntiassent iuri libertatis, poterant hoc anno uti eodem. Rationes porro cur aedes urbanae sub Iubilaei privilegio non caderent ex eo deducunt interpretes, quod sic cives perpetuo dominio allecti libentius aedificabant, ornabantque domos, quod urbi decori erat. Praeterea aedes hujusmodi

non constituebant fundum haereditatis familiarum, sed veluti accessoriae eidem erant: quare etsi in perpetuum distractae non inducebant tribuum et familiarum confusionem, quam praecipue praecavere lex intendebat. Quod adeo verum est, ut domus urbanae Levitarum, quae tanquam eorum haereditatis portio habebantur, in Iubilaeo ad dominos redirent. Vide de his Lev. XXV. a Lapide, et Calmet ad loca citata.

Inter probabiles caussas cur Deus haec statuerit, hae sunt recensendae: 1.° Ut terra fructuosior fieret, postquam per annum quievisset: promiserat autem Deus terram anno sexto tantum frugum esse allaturam, quantum ad triennii sat esset: (Lev. XXV. 21.) *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum.* 2.° Ut Iudaei magis venerarentur dominium Dei, atque ipsius Providentiae fiderent. 3.° Ut pauperum miseria et proximi oppressio levaretur. 4. Ut servaretur integer familiarum ordo, et bonorum inter privatos aequa conditio.

Nil vero damni inde sequebatur, quia in contractibus ratio habebatur semper anni Sabbatici vel Iubilaris. (Lev. XXV. 14.) *Ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum Iubilaei emes ab eo.*

CAPUT III.

DE TOPOGRAPHIA.

Art. I.

De divisione Telluris ad Scripturae intelligentiam.

In prima terrarum divisione, quae post diluvium inter filios Noe facta est cujusque mentio fit Geneseos X., *Europa* et *Occidens*, ut probabilius conjicitur, Iapheto contigit, *Africa*, seu pars mundi australis Cham, *Asia* cum *Oriente* Sem.

Europa.

Celebris in Europa regionibus est *Graecia.* E Graeciae populis praestantiores fuerunt Athenienses, et Lacedaemonii: sed et in Asiam multae Graecorum coloniae deductae sunt, nec paucas Asiae et Africae regiones sibi subjecerunt Alexandro duce Macedones. In Graecia plures sunt nobiles insulae, inter quas *Creta.* Aliae quoque Graecorum coloniae in Oras Italiae maritimas ad meridiem, et praesertim in Siciliam insulam ad-

venerunt. A Sicilia non longe abest *Melite*, quo Paullus Apostolus naufragus delatus est.

Africa.

In Africa est *Aegyptus*, in qua Abraham peregrinatus est, et filii ejus servitute sunt oppressi. Ab Oriente, *per mare rubrum* dividitur Aegyptus ab Asia. Iungitur vero Aegyptus cum Asia *per Arabiam Petream*. Habet Aegyptus a meridie *Aethiopiam*, ab occidente *Cyrenaicam*. Feracissima illa regio est propter Nili aquas, quae illam foecundant. A mari rubro recta via incedentibus non admodum longe distat terra *Chanaan*, quam in Asia indicabimus; quare citius Hebraei ex Aegypto potuissent ingredi Chanaan. Voluit tamen Deus, ut alibi diximus, Hebraeos per 40. annos, antequam ad hanc terram pervenirent, duci per *Desertum*, quod erat in introitu Asiae in illam ab Africa tendentibus.

Arabes nunc, olim Amalecitae et Moabitae occupabant regionem hanc, aut saltem plagas eidem proximas.

Asia.

Asia ab initio rerum nobilissima mundi pars fuit. In eadem regione protoparentum domicilium, seu Paradisum Terrestrem fuisse admodum probabiliter conjectant Geographi ex fluminibus (1) aliisque, quae de hoc loco in Genesi narrantur, ac praesertim cap. II. In Asia fuit sedes Patriarcharum, quod ex situ Paradisi deducitur, atque ex aliis rebus, quae de Patriarchis sunt scriptae. Noemum praesertim hanc incoluisse orbis terrarum partem prope Babylonem, ostenditur ex lignis, nempe cupressis, quibus intexta fuit Arca, quarum magna est copia in illa regione: ostenditur etiam ex montibus Ararat, et terra Sennaar, ubi Noe post diluvium moratus est, quae regiones iunguntur Babyloni. In Asiae septentrionalis partibus erant Scythae Asiatici; in Orientalibus Seres, Sinae, Indi: in India *Ophir* feracissima auri: in Meditullio Persae, Parthi, Medi, Iberi, Armeni. Europam versus, sive regiones Europae viciniores *Palaestina*, *Syria*, *Phoenicia*, *Cilicia*, *Cappadocia*, *Lycia*, et insula *Cyprus*. Pars Asiae, quae magis protenditur ad Europam, habet, *Phrygiam*, *Mysiam*, *Lydiam*, *Cariam*, *Aelidem*, *Ioniam*, *Doridem*, *insulam Rhodum*. In Asia, *Arabia* contermina erat Africae. Inter Tigrim et Euphratem interjacet *Mesopotamia*: prope vero, *Assyria*, ubi urbs *Ninive*,

(1) Quatuor flumina celeberrima Paradisi fuerunt; Phison, Gehon, Tigris, Euphrates.

Babylonia sive *Chaldaea*, ubi *Ur* Abraham, et urbs *Babylon*, ubi Hebraei captivi fuerunt annis septuaginta.

America.

Americanarum regionum mentio vix in Scriptura sacra invenitur. *Vix* inquam, tum quia illud Isaiae (VI. 12.): *Et multiplicabitur, quae derelicta fuerat in medio terrae*, aptari fortasse potest juxta aliquos Evangelio promulgato in America, quae, si illos audias, in medio orbis terrarum sita dici aliquo modo potest; tum quia in libro IV. (apocrypho) Esdrae innuitur quosdam fratres in ignotas terras discessisse. Innuitur autem his verbis (4. Esdr. XIII. 40.): *Decem tribus captivae factae sunt de terra sua in diebus Oseae regis, quem captivum duxit Salmanasar rex Assyriorum: et transtulit eos trans flumen, et translati sunt in terram aliam. Ipsi autem sibi dederunt consilium hoc, ut derelinquerent multitudinem gentium, et proficiscerentur in ulteriorem regionem ubi nunquam inhabitavit genus humanum: et ibi observare legitima sua, quae non fuerant servantes in regione sua. Per introitus autem angustos fluminis Euphraten introierunt.* Caeterum potuisse facile inter mundum notum et Americam communicationem intercedere ostendit Cl. Ignat. Molina *Memoria duodecima*, ac praesertim inter Asiam orientalem et occidentalem partem Americae per fretum *Behring* sive *Cook*, detectum anno 1779. quae loca 15. Leuc. Angl. inter se distant; deinde inter meridionalem Americam et extremam Africam per *Caput bonae spei*, ac *fretum Magellanicum* intermediis insulis, quas aquis fuisse obrutas labente tempore compertum est.

Art. II.

Notio peculiaris Palaestinae.

Hieronymus in *Epist. ad Domnionem et Rogatianum*, quae et *praefatio* 2.ª est in *Paralipomenon* haec habet: *Quomodo Graecorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucatem et Acroceraunia ad Siciliam, et inde ad ostia Tiberis navigaverint; ita sanctam Scripturam lucidius intuebitur qui Iudaeam oculis contemplatus sit, et antiquarum urbium memorias, locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde et nobis curae fuit cum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universae Christi Ecclesiae sonant.* Eximios porro libros Philonis *de No-*

minibus Hebraicis, et Eusebii *de Locis Hebraicis* latinos fecit Hieronymus, iique juxta opportunitatem consulendi sunt. Nos praecipua delibantes haec adnotamus.

Palaestinae.

Palaestina in ea Asiae parte sita est, quae mare magnum respicit. Continetur a Septemtrionibus *monte Libano*, a Meridie *Idumaea*, *Arabia Petraea*, et *Torrente Egypti*, ab Oriente *montibus Hermon* et *Galaad*, ab Occidente clauditur *mari magno mediterraneo*, in quod protenduntur *montes Galilaeae*, et *Philistinorum*. Fines Terrae promissionis ita designantur in Deuteronomio (XI. 24.): *A deserto et a Libano, a flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri*. Circuitus totius regionis est fere 240. leucarum. In media porro regione sunt plures montes, ut *Thabor*, *Carmelus*, *Montes Israel* seu *Ephraim*, et *Montana Iudaeae*. Fluvius praecipuus ac fere unicus *Iordanis*, in cursu suo *lacum Merom* complet, et per *lacum Genesareth* transiens, in *Mare Mortuum* aquas suas exonerat. Plurimae in Palaestina urbes designantur in Scriptura, et septem gentes numerantur, tum in libro Iosue, tum Act. XIII. 19. (1) quae eam terram occupabant ante Hebraeos: *Chananaei*, *Hethaei*, *Amorrhaei*, *Pherezaei*, *Hevaei*, *Iebusaei*, *Gergezaei*. Palaestina vero tota complete a Iosue divisa ac distributa fuit in 12. tribus, postquam eam Hebraei sunt ingressi.

Variis vicissitudinibus Palaestina fuit obnoxia praesertim captivitatum caussa. Partes Christi tempore magis considerandae erant *Iudaea*, *Samaria*, *et Galilaea*, quibus Hircanus Pontifex et Princeps addiderat Idumaeam. (Ios. *Antiquit. XIII.*).

Iudaea, Ierusalem.

Iudaeae Metropolis erat *Ierusalem* itinere unius diei a mari dissita, atque eo loco sita, ut verbum Dei non difficulter in totum orbem indidem sparsum sit. Fundata erat super 4. montes, nempe *Sion*, *Acra*, *Moria*, et *Bezetha sive Caenopolis*. Porro Moria separabatur a monte Olivarum *torrente Cedron*. Ad Occidentem autem Hierosolymae erat mons *Golgotha*. Montes vero Olivarum et Golgothae separabantur ab urbe, torrente Cedron, et profunda valle, quae meridiem versus *Vallis Ben Hinnon*, seu *Ge-henna* appellatur, ubi olim infantes immolabantur per ignem idolo Moloch.

Urbs Ierusalem cingebatur tribus muris, atque plures por-

(1) *Deus destruens gentes septem in terra Chanaan.*

tas habebat, de quibus monet Calmet (*in* 2. *Esdr. III.*) incertissima esse quae ab interpretibus feruntur. Montes Sion, Acra, Moria et Bezetha, peculiari quisque muro circumdabantur. Urbs vero Ierusalem, quae, *Urbs*, *Civitas Sancta* a singulari praesentia Dei appellabatur, pluribus, ut tradunt, prae aliis urbibus gaudebat privilegiis: ex. gr. in ea non locabantur aedes, non pernoctabant corpora mortua, nulli erant horti, et alia his similia.

Samaria, *Galilaea.*

Samaria, quae media prope erat totius Palaestinae, sita erat ad Septemtrionem Iudaeae, inter ipsam et *Galilaeam*, atque inter mare mediterraneum ac Iordanem. Samaria tempore primi Templi erat nomen urbis, tempore secundi fuit nomen regionis, cujus metropolis dicta est *Sichem* aut *Sichar*. Galilaeam in duas dividit Iosephus alteram *inferiorem*, *superiorem* alteram, quae et *Galilaea Gentium.* In *Peraea* seu regione trans Iordanem, erant *Peraea* strictiori sensu, *Galaad*, *Decapolis*, *Gaulonitis*, *Batanaea*, *Auranitis*, seu *Ituraea*, *Trachonitis*, et *Abilene.*

Palaestinae ubertas.

Palaestinae agrum fertilissimum fuisse, et ejusdem caeli temperiem optimam, colligimus ex multis, ac praecipue ex ejus descriptione in Deut. (VIII. 7. 8. 9.): *Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum aquarumque et fontium: in cujus campis et montibus erumpunt fluviorum abyssi: terram frumenti, hordei et vinearum, in qua ficus et melogranata et oliveta nascuntur: terram olei ac mellis: ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, et rerum omnium abundantia perfrueris: cujus lapides ferrum sunt, et de montibus ejus aeris metalla fodiuntur ut cum comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* Colligi id ipsum potest ex testimonio exploratorum, qui missi fuerant ad considerandam Terram promissionis (Num. XIII. 24. 28.): *Absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, et de ficis loci illius tulerunt ..... et narraverunt dicentes: venimus in Terram ad quam misisti nos, quae revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest.* Fertilitatem Palaestinae contra Voltairii dicteria adseruit praecipue Cl. Guénée *Lettres* etc.

Palaestinae nomina.

Nomina hujus regionis fuerunt: *Terra Chanaan*, vel *Chananaea* a Chananaeis posteris Chanaan filii *Cham* sic appellata, qui eam filiis Sem arripuerant. *Palaestina*, cujus nomen a *Philistaeis* illius accolis originem ducit: apud aliquos vero ut Strabonem, et Tacitum dicitur *Syria Palaestina*: *Terra promissionis* a beneficio Dei nuncupata: *Terra Israel* vocata a populo Israelis illam occupante. *Iudaea* a tribu, et regno Iuda dicta, quae sola ex aliis omnibus remansit. *Terra sancta*, idque ex operibus Redemptionis in ea peractis. Sed et prius appellata fuit *Terra sancta* propter Tabernaculum, Templum, et verae Religionis sedem (1. Mach. XV. 7.; 2. Mach. I. 7.).
De his omnibus vide animadversiones et Tabulam, quam Calmet praeponit *Comment. in Iosue.*

Scholion.

Hic autem post ea, quae duobus hisce articulis de Geographia sunt dicta notandum est, maximam exurgere difficultatem in hisce rebus accurate determinandis ob ingens, quod inter veterem, atque hodiernum eorumdem locorum statum, discrimen intercedit. Animadvertendae enim sunt alluviones, terraemotus, bella, culturae diversitas; animadvertendae mutationes nominum locorum, desuetudo linguarum, quae olim in usu erant; animadvertenda tandem viatorum, qui loca haec posterioribus saeculis perlustrarunt, relationum varietas et incertitudo: ex quibus omnibus luculenter patet, nonnisi difficillime posse haec accurate describi. Critica hujusmodi rationis momenta et alia invenies apud Veith (*Part. I. quaest XI. et XXXVIII.*); et apud Nonnotte (*Lexic. Philos. verbo Paradis Terrestre*), qui contra Voltaire haec urget.

Art. III.

De Locis Sacris Iudaeorum.

§ 1.

Antequam posteri Abraham in populum coaluissent, quilibet locus aptus reputabatur ad cultum Dei ut patet ex historia Abraham, Isaac et Iacob, qui varia in terra Chanaan selegerunt loca ad Deum colendum, eaque praesertim, in quibus Divinae illis Revelationes obtigerunt. Ut plurimum autem sacra fiebant vel in locis excelsis, vel prope arbores frondosas. Hoc scilicet, quod commune fuit Gentilibus; uti ex Scriptura ipsa, Homero,

et Virgilio scimus, servabant etiam cultores veri Dei, sicut ommissis aliis legitur de Gedeone Iudic. VI. 26. (1); et de Samuele 1. Reg. IX. 19. (2). Consentaneum id ipsum erat rationi, tum quod hujusmodi loca venerationem et sacrum quemdam horrorem excitarent, tum quod cum lignis abundent, aptissima sunt struendis altaribus, sacellis, et materiae comparandae pro sacrificiis.

Sed populo in unum collecto, ac legibus a Deo latis cultum etiam respicientibus, unico tantum loco licuit Iudaeis sacra facere: *Qui obtulerit holocaustum sive victimam, et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam ut offeratur Domino, interribit de populo suo* (Lev. XVII. 8. 9.). Pariter (Deut. XII. 13. 14.): *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo, quem elegerit Dominus.* Id Deus constituit tum ut populus magis Religionis, ac Charitatis vinculo conjungeretur, tum ut citius, nempe uno tantum loco destructo, posset legis veteris cultus aboleri, ac novus per Messiam induci.

Exinde Idololatriae indicium fuit apertissimum sacrificare in locis excelsis, in quibus id omne, quod sacrificiis inserviebat, omnino destrui jussit; ut patet ex illo Exodi (XXXIV. 13.) *Aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide*; atque alibi. Quod si aliqui viri pientissimi et Prophetae alibi, quam in Tabernaculo vel Templo sacrificia litarunt, credendum est propter gravissimas id caussas fecisse, vel Dei instinctu. Sic de Bethsamitis 1. Reg. VI. 14. (3); de Samuele 1. Reg. IX. 12. (4), et XVI. 4. 5. (5); de Davide 2. Reg. XXIV. 18. (6); de Elia 3. Reg. XVIII. 19. etc. (7).

§ 2.

Tabernaculum

Quoad Iudaei peregrinati sunt ac nondum pacifice Chananaea terra potiti, locus, quo sacra peragenda erant fuit Taber-

(1) *Aedificabis altare Domino Deo tuo in summitate petrae hujus.*

(2) *Ascende ante me in excelsum.*

(3) *Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamitae et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino.*

(4) *Hodie enim venit* (Samuel) *in civitatem quia sacrificium est hodie populi in excelso.*

(5) ... *venitque* (Samuel) *in Bethleem ... et ait ... ad immolandum Domino veni.*

(6) *Ascende et constitue altare Domino in Area Areuna Iebusaei.*

(7) *Congrega ad me universum Israel in monte Carmeli ... et aedificavit de lapidibus altare in nomine Domini ... et composuit ligna, divisitque per membra bovem, et posuit super ligna etc.*

naculum a Deo designatum. Hoc autem erat Templum mobile, ac portatile et veluti tentorium castrense, quod membratim solutum convasabatur, quândo castra movebantur, Levitis ad hoc onus incumbentibus. Erat longum cubit. 30., latum 10., altum 10., atque compactum ex ligneis tabulis inauratis. Tectum operiebant atque ornabant varii generis velamenta ac pelles. Interius divisum erat in duas partes. Anterior longa 20. cubit. dicebatur *Sanctum*, *Sancta*, *Sanctuarium*: huc soli Sacerdotes ingredi poterant. Interior 10. cubitorum dicebatur *Sanctum Sanctorum*, *Sancta Sanctorum*, *Sanctuarium Sanctuarii*, quo solus Summus Pontifex ingrediebatur, idque semel tantum in anno, nempe die expiationis. Hoc, ut ait Calmet in verba illa Levitici (XVI. 2.) *Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum* etc. intelligitur de ingressu ordinario et cum solemnitate; alio siquidem tempore ad consulendum Deum, Sanctum Sanctorum ingredi poterat. Unum porro velum dividebat *Sanctum a Sancto Sanctorum*. Aliud velum erat ante portam Sancti.

In Sancto Sanctorum solummodo erat *Arca*, quae erat cista quadrangulata, cubitum et dimidium lata, et alta, duos cubitos et dimidium longa, intus continens (3. Reg. VIII. 9) (1), tabulas Legis, habens operculum, quod dicebatur *Propitiatorium*, cui insidebant duo Cherubim. Ad latera Arcae: *Virga Aaron*, et *Urna cum Manna*: Num. XVII. 10. (2) Exod. XVI. 33. (3), ad Hebr. IX. 3. 4. (4). Quaeritur autem an in Arca fuerit etiam liber legis, ac signate Deuteronomium, de quo in Deuteron. ipso (XXXI. 26.) dicitur: *Ponite eum in latere arcae foederis.* Sed cum in 3. Regum (VIII. 9.) dicatur: *In arca non erat aliud nisi duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moyses in Horeb*; itemque in 2. Paralip. (V. 10.) *Nihilque erat aliud in arca, nisi duae tabulae, quas posuerat Moyses in Horeb*; hinc plures contendunt librum illum non intus, sed ad latera arcae sive prope eam collocatum fuisse, et aedificato Templo in Gazophylacio depositum; (2. Paral. XXXIV. 14.) *Cumque efferrent pecuniam, quae illata*

(1) *In arca autem non erat aliud nisi duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moyses in Horeb.*

(2) *Dixitque Dominus ad Moysen: refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel.*

(3) *Dixitque Moyses ad Aaron; sume vas unum et mitte ibi Man, quoniam potest capere gomor, et repone coram Domino ad servandum in generationes vestras.*

(4) *Post velamentum autem secundum, tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum aureum habens thuribulum et arcam testamenti . . . in qua urna aurea habens mannu, et virga Aaron, quae fronduerat, et tabulae testamenti.*

fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manum Moysi.

In Sancto erat 1.° Mensa *panum propositionis* (hebr. פָּנִים *Panim*, *facierum* gr. προσώπου, vel προθέσεως) qui erant duodecim panes azymi, qui singulis Sabbatis renovabantur ad significandas duodecim tribus, quae illos offerebant in animi grati significationem, eo quod a Deo alerentur: panes illi solis sacerdotibus cedebant in esum. Appositum quoque erat vinum in scutellis, urceis et calicibus. 2.° *Candelabrum*, septem lucernas habens. 3.° *altare aureum thymiamatis*, sive incensi.

Tabernaculum ponebatur in medio *Atrii*, quod erat locus subdialis longus 100. cub., latus 50. circa quem tendebantur vela et tapetia. Prima pars Atrii patebat omnibus Israelitis tempore sacrificii, alia solis sacerdotibus. In Atrio erat 1.° *Altare aeneum* pro holocaustis: 2.° *labrum aeneum* sive vas continens aquam, ubi sacerdotes ministeria sacra obeuntes lavare debebant manus ac pedes. Tabernaculum autem collocabatur in medio castrorum, quae e 12. coalescebant tribubus, (1) et quibus praeerant semper quatuor tribus primariae, nempe *Iudae*, *Ruben*, *Ephraim*, et *Dan*. Doctores porro hebraei et commentariorum scriptores ex traditione docent tribum Iudae figuratam fuisse per signum *Leonis*, Ruben *humanae faciei*; Ephraim *bovis*, Dan *aquilae cum serpente*, quod lucem afferre potest prophetis intelligendis. Reipsa signo aliquo distinctas fuisse tribus illas innuitur Num. II. 2.: *Singuli per turmas*, *signa atque vexilla.* Porro per gyrum Tabernaculi, Levitae figebant tentoria. Vide de his a Lapide *in Num. II.*

Multifariam vero Deus tabernaculo aderat ac praecipue respondens ex Arca Summo Pontifici consulenti, ac ignem e caelo mittens in altare aeneum ad victimas absumendas. De igne autem e caelo demisso haec habe. Extraordinario hoc signo indicavit quidem Deus grata se habere sacrificia, ut Aaronis (Lev. IX. 24.); Gedeonis (Iud. VI. 21.), Maune (Iud. XIII. 20.), Eliae (3. Reg. XVIII. 38.), Davidis (1. Paral. XXI. 26.), Salomonis (2. Paral. VII. 1.): Nehemiae (2. Mach. I. 32.); quod vero lege stabili ac ordinaria eveniebat hoc fuit. Nempe *egresso igne a Domino* (Lev. IX. 24.), victimae Aaronis consumptae sunt. Deinde ignis hic perpetuo arsit, ut creditur, altari holocaustorum, curantibus Sacerdotibus, usque ad dedicationem Templi Salomonis, cujus occasione novus *ignis descendit de coelo, et devorarit holocausta, et victimas* (2.

(1) *Metabuntur autem castra filii Israel unusquisque per turmas et cuneos et exercitum suum. Porro Levitae per gyrum tabernaculi figent tentoria* (Num. I. 52.)

Paral. VII. 1.). At devastantibus Iudaeam Chaldaeis, ignis sacer sepultus fuit, qui longo post tempore frustra quaesitus est, ejusque loco inventa aqua crassa. Ex hac rursus sacer ignis Dei manu eductus est in novo Templo (2. Mach. I. 18., XI. 10.) et inserviit usque ad Antiochum Epiphanem. Vide commentatores, et Calmet praesertim *in Lev. IX.* 24.

Tabernaculi, et omnium quae in eo erant, descriptio accurata invenitur Exod. capp. XXV. XXVI. XXVII. XXX. ad Hebr. IX.

Stetit vero Tabernaculum annis 480. *Factum est ergo quadrigentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, aedificari coepit domus Domino* (3. Reg. VI. 1.). Tabernaculi vero per hoc tempus mansiones fuerunt in variis deserti locis ubi Hebraei morabantur; post ingressum in Chanaan *in Silo*, quae urbs in tribu Ephraim in monte peramoeno sita erat, idque toto tempore Iudicum usque ad Heli (Ios. XVIII. 8.); deinde sub rege Saule in *Nobe*: inter Arimatheam et Ioppen. (1. Reg. XXI. 1.), postea in *Gabaon*, 50. stadiis a Ierosolyma septentrionem versus dissitam, tandem in Templo Salomonis (3. Reg. VIII.)

§ 3.

Templum primum.

Pace Iudaeis concessa, David aedificare cogitavit stabilem divino cultui locum, sive Templum. Prohibitus a Deo est ne hoc ipse exequeretur, ex eo quod multum sanguinem in bellis effudisset, uti ex 1. Paral. (XXII.) ubi David ita loquitur: *Factus est sermo Domini ad me dicens: multum sanguinem effudisti, et plurima bella bellasti: non poteris aedificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coram me.* Materiem multam nihilominus collegit, et filio suo Salomoni delineationem Templi ostendit. (Vid. 1. Par. XXVIII. XXIX.). Salomon revera, regnans post Davidem, Templum aedificavit Ierusalem in monte Moria spatio annorum septem.

Incredibilis fuit et materiae valor, et operis pretiosa elaboratio in hoc magnificentissimo aedificio. Quod ad structurae delineationem et partes, sciendum est generatim Salomonem in Templo expressisse Tabernaculum Moysis; quare quae in hoc aderant instrumenta et mobilia, quaeque partes distinguebantur, omnia quoque in illo servata sunt. Sunt tamen aliqua adnotanda discrimina, ut accurata, quoad ejus fieri potest, Templi idea comparetur. 1.° Templum duplo majus Tabernaculo erat,

sicque proportionaliter partes illius duplo majores erant partibus hujus. In fronte vero Sanctuarii *porticus* addita est 120. cubitos alta, ad cujus januam *duae columnae aeneae*, 18. cubitos altae, *Iachin* et *Booz* appellatae (2. Paral. III.). 2.° In Tabernaculo unum erat candelabrum, et una mensa; in Templo decem candelabra et decem mensae. Colligitur id ipsum ex 2. Paral. IV. 7. 8. (1). 3.° Praeter *mare aeneum*, quod *labro* Tabernaculi correspondebat, decem insuper vasa, quae *luteres* dicta sunt, Salomon in Templo constituit ad ablutionem victimarum. Confirmatur hoc ex 2. Paral. IV. 6. (2). 4.° Atria duo majora facta sunt; porticibus quoque sunt aucta. 5.° Ad murum atriorum *exedrae* erant dicta *Gazophylacia* et *Pastophoria*, sive cubicula habitationi sacerdotum, custodiae supellectilium, vestiumque destinata.

Templum solemniter dedicatum est anno undecimo regni Salomonis, et cum pompa Arca reposita est in Sancto Sanctorum. Quemadmodum vero Deus Moysi dederat ideam Tabernaculi (Exod. XXVI.); ita dedit Davidi ideam Templi (1. Paral. XXVIII.). Templi totius descriptionem habes 3. Reg. VI.

Consulatur de his, si opus erit, eruditissimum opus Lamy *de Tabernaculo et Templo*, et tabulae, quae huic operi adjunguntur, inspiciantur.

§ 4.

Templum secundum.

Templo primo a Babylonensibus everso, Zorobabel post captivitatem favente Cyro aliud reaedificavit Templum in monte Moria, quod postea Herodes Magnus instauravit perfecitque, tertium *Atrium* addens, quod *Gentium* appellatum est. Templum hoc dicitur secundum, sed a primi magnificentia valde dissitum. Deinde in eo non ita ut in primo Arca foederis (3), nec tam frequentes apparitiones, nec tot prodigia. Alio tamen nomine Templum hoc superavit antiquum, cum istud Messiae praesentia illustratum fuerit: unde Aggäeus (II. 8. 10.) *Et*

(1) *Fecit autem et candelabra aurea decem .... et posuit ea in templo quinque a dextris, et quinque a sinistris nec non et mensas decem, et posuit eas in templo quinque a dextris, et quinque a sinistris.*

(2) *Fecit quoque conchas decem et posuit quinque a dextris, et quinque a sinistris ut lavarent in eis omnia, quae in holocaustum oblaturi erant.*

(3) Nota. Ieremias occasione captivitatis babylonicae in montis Nebo specu arcam recondidit, ut aperte colligitur ex 2. Mach. II. 5 Hanc latuisse Hebraeos post captivitatem babylonicam evincitur praesertim ex silentio Esdrae, Nehemiae, Machabaeorum, et Iosephi. De hac re Calmet scripsit *Dissertationem in Lib. Machab.*

veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria dicit Dominus exercituum... magna erit gloria domus istius novissimae, plus quam primae, dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem: et Malachias (III. 1.): *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et angelus Testamenti, quem vos vultis.*

§ 5.

Templum Samaritanorum.

Templum quoque sibi exstruxerunt Samaritani in monte Garizim prope Sichar, ne ipsi Hierosolymam adire cogerentur sacra facturi. Templum hoc Sabalath praefectus Samaritanorum circa an. 400. ante Chr. aedificavit, facultate a Dario Notho impetrata, atque Manassen filium Iojadae summ. sacerd. Iudaeorum eidem praeposuit. De hoc sunt verba illa Evangelii (Ioan. IV. 20. 21.): *Patres nostri in monte hoc adoraverunt.... Venit hora quando neque in monte hoc neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* De hoc loquitur etiam Iosephus (*Antiq. lib. XI. cap.* 8.). Templum Samaratinorum a Ioanne Hircano Sacerdote et Principe Iudaeorum, anno CXXIX. ante Christ. eversum fuit. Templum vero idem per Antiochum Epiphanem dedicatum fuit Iovi Hospitali: et Iovi Olympio Templum Hierosolymae (2. Mach. VI. 2.).

§ 6.

Templum Aegypti, Onion.

Onias filius Oniae III., cui sacerdotium successionis jure debebatur, Menelai patrui sui morte deterritus in Aegyptum fugiens Templum ibi aedificavit instar Templi Hierosolymitani, circa an. CL. ante Chr. Onias innitebatur quidem loco Isaiae (XIX. 19.) (1), qui tamen ad literam minime est accipiendus; adeoque Templum illud illegitimum fuit et habitum est. Vide Calmet (*in Mach. VII.* 5.) Iosephum (*Antiq. XIII. c. 4. de Bello l. 1. c. 1.*).

§ 7.

Synagoga.

Synagoga συναγωγή (congregatio) est pro Iudacis domus orationis et doctrinae, et instituta, ut creditur, tempore capti-

(1) *In die illa erit altare Domini in medio terrae Aegypti.*

vitatis ob defectum Templi, et fortasse prius quoque in iis locis, quae extra Ierusalem erant, ubi tantummodo Templum aderat. Antiquum sane fuisse Synagogae usum colligitur ex Actibus Apostolorum (XV. 21.) *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum praedicent in Synagogis.* Hujusmodi erat locus in Maspha, ubi saepius fiebant Hebraeorum conventus.

In Synagoga erant 1.° *Mensa*, in qua evolvebatur Scriptura. 2.° Ad orientem *Arca* seu *Armarium* in quo reponebatur volumen legis. 3.° Innumerae *lucernae*. Solis viris Synagoga patebat: foeminae autem in illam prospiciebant e cubiculo contiguo. Saepe complures erant Synagogae in eadem urbe, ac Hierosolymis praesertim. Plures quoque superfuisse tempore Apostolorum eruitur ex Act. (VI. 9.): *Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quae appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum.* Eaedem Synagogae dictae sunt etiam graece προσευχαί *Proseuchae*, quod latine esset *Oratoria*.

CAPUT IV.

DE PRAECIPUIS REBUS AD ECCLESIAM IUDAICAM SPECTANTIBUS.

Art. I.

De Levitis, Sacerdotibus, ac Summo Sacerdote.

§. 1.

Templi ministerium, ut alibi innuimus, tribui Levi demandatum est, extraneis quibuscumque severe remotis. Expresse id statuitur in Num. (I. 49. etc.). *Tribum Levi noli numerare... sed constitues eos per tabernaculum testimonii, et cuncta vasa ejus, et quidquid ad caeremonias pertinet;* et (III. 45.) *Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel, et pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitae mei;* et alibi. Idcirco tribus haec ab omni alia cura vacabat, nullam sortem acceperat in Terra promissionis praeter 48. urbes cum agris ad pastum jumentorum (Num. XXXV. 7.): (Oppida Levitarum) *simul quadraginta octo cum suburbanis suis;* (Ios. XXI. 39. 40.) *Itaque civitates universae Levitarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo cum suburbanis suis.*

Dispersa porro erat tribus haec per duodecim tribus alias, et alebatur victimis, primitiis, oblationibus, decimis, votis.

Hoc clare colligitur ex Num. (V. 9. 10.): *Omnes quoque primitiae, quas offerunt filii Israel ad sacerdotem pertinent, et quidquid in sanctuarium offertur a singulis, si traditur manibus sacerdotis ipsius erit:* et (XVIII. 9.) *Omnis oblatio et sacrificium et quidquid pro peccato et delicto redditur mihi, et cedit in Sancta Sanctorum, tuum erit et filiorum tuorum;* pariter Deut. (XVIII. 1. 2.) *Non habebunt Sacerdotes et Levitae, et omnes qui de eadem tribu sunt, partem et haereditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini et oblationes ejus comedent: et nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum;* et Ios. (XIII. 14. 33.) *Tribui autem Levi non dedit possessionem: sed sacrificia et victimae Domini Dei Israel, ipsa est ejus haereditas... Tribui autem Levi non dedit possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus.*

Notent hoc Ecclesiasticorum bonorum osores. Et sane etiam apud Gentiles Aegyptios in usu fuit sacerdotes habere terram a Rege assignatam, cibaria ex horreis publicis, immunitatem a tributis Regi pendendis, uti eruitur ex Genesi (XLVII. 20. et seqq.): *Emit igitur Ioseph omnem terram Aegypti... praeter terram sacerdotum, quae a Rege tradita fuerat eis, quibus et statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas.... ex eo tempore usque in praesentem diem in universa terra Aegypti, Regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quae libera ab hac conditione fuit.*

Tribui Levi ideo commissum creditur ministerium divini cultus ob eorum zelum ostensum occasione idololatriae vituli, cum pleraque Levitarum pars vitulum non adoraverit, et simul cum Moyse vindictam sumpserit occidendo Idololatras; quo ab ipso Moyse commemorato, dum moriens benedicebat tribui Levi, subjunxit Deut. (XXXIII. 10.) *Ponent thymiama in furore tuo et holocaustum super altare tuum.* Rectissim etamen monet Calmet (*in Num. III. 12.*) familiam Aaronicam sacerdotali dignitati destinatam fuisse in Sinai ante vituli idololatriam: tuncque saltem implicite factam Levitarum electionem, quae appendix et complementum videtur esse electionis Sacerdotum. Hanc electionis Levitarum, ut et Sacerdotum, ratio Dei voluntati primario est adscribenda; quod tamen non impedit quominus aliae sint rationes congruentiae, et quominus zelus Levitarum meruerit confirmationem privilegii antea concessi.

§ 2.

Levitae.

Inter Levitas solum descendentes e famiglia Aaron sacerdotalia munera, hoc est munera praecipua in Templo obire poterant Num. (III. 9. 10.): *Dabisque dono Levitas Aaron et filiis ejus, quibus traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii.* Descendentes ideo ab Aaron *Sacerdotes*, caeteri *Levitae* dicebantur, licet omnes ad tribum Levi spectarent. Levitae dividebantur in tres partes juxta tres filios Levi *Gerzon*, *Caath*, *Merari*. Fuse haec Num. III. et Paral. VI.

Levitarum Requisita.

Levitae non licebat ministrare nisi 1.º *per quinquennium* edoctus esset ministerium, ut colligitur ex Hebraeorum historia; 2.º nisi annos esset natus triginta. Ita intelligitur quomodo Num. IV. 3. (1), et 1. Paral. XXIII. 3. (2), numerentur Levitae ab annis triginta, cum Num. VIII. 24. (3), eorum aetas statuatur vigintiquinque annorum: nempe quia spatio quinque annorum debebant praeparari. Sub Davide porro cum arca scilicet non amplius trasferebatur, aetas Levitarum ministrantium decreta est annorum viginti. Ita 1. Paral. XXIII. 27. (4). 3.º Levita debebat quoque consecrari *aspersione aquae*, *rasione pilorum*, *lotione vestium*, et *sacrificio* juxta ritum descriptum Num. VIII. 6. 7. 8. (5). Nulla autem in Scripturis apparet mentio peculiarium vestium Levitarum; quamvis aetate Davidis et Salomonis aliqui byssinio superinduti compareant (1. Par. XV. 27., 1. Par. V. 12.).

Levitarum munera.

Praecipuum Levitarum munus erat Sacerdotibus inservire in sacrificiis, aliisque rebus sacris; sed cum Tabernaculum

(1) *Tolle* (Levitas) *a trigesimo anno et supra.*

(2) *Numeratique sunt Levitae a triginta annis et supra.*

(3) *Haec est lex Levitarum: A viginti quinque annis et supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo foederis.*

(4) *Juxta praecepta quoque David novissima supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis et supra.*

(5) *Tolle Levitas de medio filiorum Israel et purificabis eos juxta hunc ritum: aspergantur aqua lustrationis, et radant omnes pilos carnis suae. Cumque laverint vestimenta sua et mundati fuerint, tollent bovem de armentis et libamentum ejus similam oleo conspersam: bovem autem alterum de armento tu accipies pro peccato.*

portabatur, inter primaria Levitarum munera erat illius deportationi inservire: Num. (I. 50.) *Ipsi portabunt tabernaculum et omnia utensilia ejus.* Verum quando Levita annorum esset quinquaginta quiescebat: Num. (UIII. 25.) *Cumque quinquagesimum annum aetatis impleverint servire cessabunt.* David vero pace regni constituta, mutavit in alia Levitarum munera, a quibus nulla eximebatur aetas. Alios namque David voluit esse ministros, cantores, alios janitores, alios thesaurarios; cantores autem et musicos partitus est in 24. curias, quarum quaelibet integram hebdomadam ministrabat; distributione dierum inter curiales facta a principe curiae. Ad Levitas quoque pertinebat gerere sacras praefecturas, infirmorum Sacerdotum habere curam, aliaque ad Templum spectantia, quorum mentio occurrit interdum.

Numeravit David tempore suo Levitas majores annis 30. et invenit 38. millia. Quanta ergo esse debuit Templi magnificentia?

§ 3.

Sacerdotes, et Sacerdotum Requisita.

Uti porro qui erant de familia Aaron Sacerdotio fungi possent, oportebat 1.° ut per sententiam judicum de ordine sacerdotum cognoscerentur *integri* ac *puri* juxta legem, quam habes in Levitico (XXI. 17. et seqq.) *Loquere ad Aaron: homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo. Nec accedat ad ministerium ejus si caecus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem; si impetiginem in corpore, vel herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo: vescetur tamen panibus qui offeruntur in Sanctuario.* 2.° Ut inaugurarentur *lotione*, *indutione vestium*, *sacrificio*, *et unctione*, quemadmodum Exod XXIX. et Levit. VIII. fuse describitur. Antiquiori aevo 30. annos nati, recentiori vero 20. tantum, munus obibant suum (Num. IV. 3., 2. Par. XXXI. 17.). 3.° Ut diebus, quibus vices suas implerent *vino* et *mulieribus* abstinerent Lev. (X. 9.): *Vinum et omne quod inebriare potest non bibetis tu et filii tui quando intratis in tabernaculum testimonii* (Lev. XV. 16.). *Vir de quo egredietur semen .... immundus erit usque ad Vesperum.* Addunt Hebraei sacerdotes ministrantes in Templo nunquam assedisse. De hoc solum in Scripturis legimus Deut. (XVIII. 5.): *Ut stet* (Sacerdos) *et ministret nomini Domini.*

Sacerdotum Vestes.

Vestes Sacerdotum erant quatuor: *femoralia*, *tunica linea*, *zona*, *tiara*, de quibus vide Exod. XXVIII. Caeterum Sacerdotes munus suum *discalceati* obibant reverentiae et venerationis ergo (Exod. III. 5., Ios. 15.).

Sacerdotum Munera.

Sacerdotum munera erant: 1.° ignem altaris holocaustorum nutrire: vasa sacra custodire; thus incendere; offerre sacrificia; ac mutare panes propositionis; reliqua etiam peragere, quae praecipua circa Templum ac altare reputabantur; 2.° docere plebem, nam Malachias (II. 7.) ait; *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus*; 3.° judicia exercere Ezech. (XLIV. 24.) *Et cum fuerit controversia stabunt in judiciis meis et judicabunt.* Vide inferius ubi *de Iudiciis.* 4.° Proprium ac principale Sacerdotum munus erat excipere sanguinem victimarum, ac illo aspergere altare, quod potissimum erat in sacrificiis. Si quis labe aliqua a sacris exercendis abstinere debuisset, is lignis pro altaris igne praeparandis operam dabat.

Sacerdotes inde ab aetate Davidis in 24. classes dividebantur: unicuique suus praeerat Princeps: singulis hebdomadibus classis quaeque inserviebat, distributione servata ut in Levitis (vid. Lucae I. 5.). Diebus porro solemnibus nulla classis aberat.

Summus Sacerdos.

Cunctis praeerat *Summus Sacerdos*, qui prae aliis sacerdotibus quinque habebat prerogativas. 1.ª Ipse erat primogenitus in familia Aaronis, linea recta; si vero idem minime erat aptus, alter per synedrium eligebatur. Consecrabatur porro ut alii sacerdotes, hoc tamen discrimine quod nedum manus, sed et caput ejus ungeretur: Exod. (XXIX. 7.) *Oleum unctionis fundes super caput ejus.* 2.ª Dum vitam viveret suo fungebatur officio. Herodes tamen, faventibus Romanis, auctoritatem sibi vindicavit creandi vel removendi ad arbitrium Pontifices. 3.ª Solus semel in anno (ordinarie saltem) nempe die expiationis ingrediebatur Sancta Sanctorum Levit. (XVI.). 4.ª Octo exornabatur vestibus sive insignibus; alii autem sacerdotes quatuor tantum; scilicet praeter *femoralia* (1), *tunicam lineam* (2), zo-

(1) Femoralia (vulgo *calzoni.*)
(2) Indusium (vulgo *sott' abito*, *camicia*).

nam (1), *tiaram* (2), gerebat insuper *tunicam hyacinthinam* (3), *ephod* (4), *rationale*, et *laminam auream*, in qua sculpta erant verba illa: *Sanctum Domino* (5). Exod. (XXVIII.). Aetate Iosephi (*Antiq. III.* 7. etc.) *triplicem* quoque *coronam auream* Summus Sacerdos in capite gerebat. 5.ª Eo moriente, homicidae, qui in asylum confugerant, ad suos redibant: Num. (XXXV. 32.) *Exules et profugi ante mortem Pontificis, nullo modo in urbes suas reverti poterunt*, idque ommissis aliis, ut figuraretur libertas obtinenda in morte Christi Pontificis.

Notandum nobis est praecipuum ex insignibus Summi Pontificis, nempe *rationale* (hebr; חֹשֶׁן *chòscen.*). Id erat pannus pectori apponendus unius palmi quadrati, in quo erant duodecim lapides cum nominibus duodecim filiorum Israel, ac insuper in medio lapidum erant *Urìm* אוּרִים nempe *doctrina*, *lumina*, et *Thummìm* תֻּמִּים *veritas*, et. *perfectiones*.

Quaerunt autem interpretes quid fuerint *Urìm* et *Thummìm*. De his haec habe. In Exod. (XXVIII. 30.) dicitur: *Pones autem in rationali judicii doctrinam et veritatem, quae erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino, et gestabit Iudicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper.* Ex his verbis colligunt interpretes Summum Pontificem vestibus suis indutum ac praesertim *Rationali*, oracula protulisse, seu claram *doctrinam*, et perfectam *veritatem* circa dubia, de quibus consuleretur, praebuisse. Confirmant idipsum aliis Scripturae locis, quibus ostenditur Deus respondens per *Urìm* consultus: uti Num. (XXVII. 21.) *Eleazar Sacerdos consulet Dominum*; juxta hebraeum: *interrogabit.... in judicio Urìm coram Domino.* De ratione consulendi Deum per *Urìm*, et *Thummìm* multa comminiscuntur Rabbini quae omnino fabulam redolent. De *Urìm*, et *Thummìm* videatur *quaestio XVII. ex quaestionibus e Sacra Scriptura* etc. Antonii Zanolini Patavii 1725., alia quoque loca apud Calmet, et a Lapide *in Exod. XXVIII.* 30.

Hoc autem posito dicunt multi *Urìm* et *Thummìm* non fuisse voces inscriptas *Rationali*, sed per illa significatos esse duodecim lapides sive gemmas, de quibus supra, quatenus per earum vel insolitum splendorem, vel mutationem aliam voluntas Dei pateficeret. Ita in primis Lyranus. Sed opinantur alii non pauci *Urim* et *Thummìm* voces fuisse in medio *Rationali*

(1) Baltheus (*cingolo*).
(2) Cydaris, (*mitra*).
(3) Ad hujus extremitatem assuta erant tintinnabula.
(4) Thoracis indumentum: huic superassutum erat Rationale.
(5) Haec erat affixa tiarae pontificiae in fronte.

scriptas, ac per eas indicatum fuisse Summum Sacerdotem eo ornamento praeditum a Deo accepisse *doctrinam* et *veritatem*, sive auctoritatem *illuminandi*, ac *perficiendi*. Nec desunt, qui autument *Urim* et *Thummim* fuisse nomen ipsius *Rationalis* proprium, eidem etiam insculptum, ut indicaretur *doctrinae splendor* ac *vitae integritas*, quae Pontificem summopere decebant.

Notandum insuper est interpretes Christianos cum Iosepho aliisque Hebraeis docere hujusmodi oracula diu ante Christum desiisse. Cessationem hanc referunt alii ad tempus captivitatis Babylonicae, alii erectionis Templi Salomonis. Hoc ex eo inferunt, quod post illa tempora nulla mentio adsit in Scripturis, Dei per *Urim* culti; tum ex eo, quod aetatibus illis excitati fuerint Prophetae, qui consulebantur cum de voluntate Dei agnoscenda ageretur. Hinc patet quomodo intelligendum sit defuisse *Urim* et *Thummim* in secundo Templo; defuit namque hoc peculiare Pontificis privilegium, quemadmodum deerat ibidem Arca, uti superius *de secundo Templo* loquentes innuimus. Interim de cessatione *Urim* notentur illa verba 1. Mach. IV. 46. *Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta, et responderet eis.*

De Ordine et Successione Summorum Sacerdotum apud Iudaeos, scripsit Calmet *Dissertationem in lib. Iudith.*

Art. II.

De Reliquis Personis Sacris.

Nathinaei, sive Nethinaei.

Ut Levitae Sacerdotibus, ita Levitis ministrabant alii in quibusdam, uti ad ligna paranda, et aquam deferendam, tum in servitio Templi, tum Hebraeorum in castris. Horum crebra occurrit mentio in scripturis, ut in 1. Esdrae (II. 58.). *Omnes Nathinaei et filii servorum Salomonis, trecenti nonaginta duo.* Nathinaeorum mentio fit etiam ibid. VIII. 20. (1), 2. Esdr. III. 26. (2), 1. Paral. IX. 2. (3).

Devictae gentes interdum uti Gabaonitae, huic ministerio destinatae sunt: Ios. (IX. 27.) *Decrevitque* (Iosue) *in illo die*

(1) *Et de Nathinaeis, quos dederat David, et principes ad ministeria Levitarum, Nathinaeos ducentos viginti.*

(2) *Nathinaei autem habitabant in Ophel.*

(3) *Qui autem habitaverunt primi in possessionibus et in urbibus suis: Israel, et Sacerdotes, et Levitae, et Nathinaei.*

eos esse in ministerio cuncti populi et altaris Domini, caedentes ligna et aquas comportantes (1).

Synagogae ministri

Synagogis praeerant viri doctrina, et sapientia pollentes, dicti *Archisynagogi* ἀρχισυνάγωγοι. Iis jus erat judicandi de rebus pecuniariis, de furtis, etc. ac puniendi leges transgressores, et poenam *quadraginta ictuum*, dempto uno, decernebant. Ad haec alludit Paullus (1. Cor. VI. 5.): *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?* et Matthaeus (X. 17.): *Et in Synagogis suis flagellabunt vos.* In Synagogis erant etiam, ut tradunt Hebraei, qui publice orarent, et curarent legis lectionem, ac conciones haberent; alii, quibus pauperum cura erat commissa; alii, qui lingua vernacula explicabant Scripturam, quae semper hebraice legebatur.

Nazaraei.

Nazaraei seu Naziraei (hebr. נְזִירִים *Nesirim* idest separati a נָזַר *separavit, abstraxit*) erant homines ex voto parentum aut suo consecrati Deo, vel toto vitae tempore, uti Sampson, Ioannes Baptista; vel ad certum tempus, uti Paullus ex Act. XVIII. 18. (2); item Act. XXI. 24. (3). Nazaraei colebant Deum austeriori vitae genere, ut describitur Num. VI., et praecipue abstinebant a vino et sicera, idest a potu, qui posset inebriare, non tondebant capillos neque funeribus adstabant. *A vino et omni, quod inebriare potest abstinebunt. Acetum ex vino et ex qualibet alia potione, et quidquid de uva exprimitur non bibent: uvas recentes siccasque non comedent..... omni tempore separationis suae novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem, quo Domino consecratur.... omni tempore consecrationis suae super mortuum non ingredietur.* (Ibid. VI. 3. et seqq.).

(1) *Nathinaei* hebr. נְתִינִים (*Nethinìm* al. *Nedinìm*), idest *dediti* a radice נָתַן (*nathàn*, al. *nadàn*) *dedit*, *tradidit* etc., nam ut ait S. Hieronymus in *Traditionibus Hebraicis ad* 1. *Paral. IX* 2. *dati fuerunt Levitis et Tabernaculo, ut in variis illius ministeriis servilem operam exiberent.* Illis porro vetitum erat per duo decreta, a Iosue, et a Davide facta connubia cum Israelitis jungere, secus flagellatione afficiebantur.

(2) *Qui sibi totonderat in Cenchris caput; habebat enim votum.*

(3) *His assumptis sanctifica te cum illis; et impende illis ut radant capita: et scient omnes quia quae de te audierunt falsa sunt; sed ambulas et ipse custodiens legem.*

Christus non hoc nomine dictus est Nazaraeus, sed quia erat ex Nazareth: Matth. (II. 23.) *Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: quoniam Nazaraeus vocabitur.* Revera Christus non abstinuit a vino.

Rechabitae.

Rechabitae (hebr. רֵכָבִים *Rechavim*, al. *Rechabim*) vivebant extra urbes in tabernaculis peculiari abstinentia, pietate, ac studio, fere ut nostri monachi. Eorum mentio et laus habetur in Ieremia (XXXV. 5. etc.) *Et dixi* (Ieremias) *ad eos* (Rechabitas): *bibite vinum; qui responderunt: non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster praecepit nobis dicens: non bibetis vinum vos et filii vestri usque in sempiternum: et domum non aedificabitis, et sementem non seretis, et vineas non plantabitis nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris.... obedivimus ergo voci Ionadab filii Rechab patris nostri in omnibus quae praecepit nobis.... Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel. Pro eo quod obedistis praecepto Ionadab patris vestri.... non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Soluta captivitate ministerio Templi addicti creduntur inter cantores, uti conjicere licet ex 1. Paral. II. 55. (1).

Boulducus Cappucinus putat nomen hoc datum esse discipulis Eliae, qui super currum ascendit, vocis *Rechabitae* etymon ducens a nomine hebraico רֶכֶב (*rèchev* al. *rècheb*) *currus*, *quadriga* etc. At communior sententia est Rechabitas nomen habere a Rechab patre Ionadab viri pii, qui cum Iehu rege Israel idola evertit. Rechab autem a Iethro Madianita Moysis socero prognatus est. Ergo Rechabitae non erant Iudaei sed Cinaei ex Madianitis proselyti facti Iudaeorum. Ita Iudic. I. 16. *Filii autem Cinaei cognati Moysis ascenderunt de civitate palmarum cum filiis Iuda, in desertum sortis ejus, quod est ad meridiem Arad, et habitaverunt cum eo.* Vide loc. citat. Scripturae, et 4. Reg. X. 23. (2), nec non Dissertation. Calmet in *Ieremiam de Rechabitis.*

Assidaei.

Legitur de Assidaeis 1. Mach. II. 42. *Tunc congregata*

(1) *Cognationes quoque scribarum habitantium in Iabes, canentes atque resonantes, et in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinaei, qui venerunt de Calore Patris domus Rechab.*

(2) *Ingressusque Iehu et Ionadab filius Rechab templum Baal, ait, etc.*

est ad eos Synagoga Assidaeorum fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in lege. Ex his conjectant quidam *Assidaeos* quasi quemdam *ordinem militarem* constituisse. Nominis etymon sumit Calmet ab hebr. חֲסִידִים *Chasidim* (pii).

Esseni, vel Hessaei et *Therapeutae.*

Esseni (1) idem quasi fuerunt ac Rechabitae, et ipsi extra urbem viventes. Exstabant hi etiam Christi temporibus, et ut reliquiae Rechabitarum considerantur. Vide de his Calmet *Dissert. in Marcum de Pharisaeis* etc. Therapeutae in plerisque cum Essenis faciebant. Praecipuum inter illos discrimen erat quod Esseni erant *Iudaei Hebraei*, Therapeutae vero *Iudaei Graeci.*

Patriarchae : Πατριάρχαι.

Patriarchae fuerunt familiarum capita ante legem a Deo electa, ut et sacerdotum et prophetarum munus implerent, uti Adam, Noe, Abraham, Isaac, Iacob.

Prophetae : Προφῆται.

Prophetae (hebr. נְבִיאִים *Neviim* al. *Nebiim*) erant homines e quacumque tribu vel etiam gente suscitati a Deo, ut ipso afflante, judicia et voluntatem ejus tum praesentem, tum futuram annunciarent. Prophetarum quoque munus erat docere populum, legem interpretari; quare vox *Propheta* sumitur pro *Interprete* aut *Doctore* uti Aaron *Propheta Moysis* appellatur, quandoque etiam Propheta dicebatur ille, qui laudando Deo vocabat. (Vide Cornel. a Lapide *in* 1. *Cor. XIV.* 1.). Posterioribus hisce sensibus explicanda ac sumenda sunt Collegia sive scholae Prophetarum, quae a tempore Samuelis floruerunt variis in locis, et quarum alumni dicebantur filii Prophetarum. Ita 1. Reg. XIX. 20. *Cum vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium et Samuelem stantem super eos.* Idem 4. Reg. II. 3. (2), et IV. 1. (3).

(1) Nonnulli inter Philologos Essenos, vel Hessaeos hebr. חֲשָׁאִי (*chascaè*) a radice חָשָׁה (*chascàh*) *siluit mutus fuit* etc. derivari concedunt quia longe stabant ab hominum strepitu, tristissimis Machabaeorum temporibus, Monachorum instar in montibus, antrisque latitantes. Hinc de illis apud Evangelistas mentio non occurrit; eo quod longe a civium dissidiis vitam agebant, et dum essent pauci, vix noti erant. Videatur Calmet *Dissert. in Evang. Marci.*

(2) *Egressi sunt filii Prophetarum, qui erant in Bethel ad Elisaeum.*

(3) *Mulier autem quaedam de uxoribus prophetarum.*

Art. III.

De Dogmatibus et Praxibus Religiosis.

§ 1.

De Dogmatibus.

Multa credebant Hebraei partim ex Scriptura deducta, partim ex majorum Traditione derivata, quibus tamen addita quaedam progressu temporis fuere ex malitia Hebraeorum ad Divinitatem Christi obscurandam, ac tenebras veritati offundendas promissum jam advenisse Messiam, eumdemque Christum fuisse. Buxtorfius in sua *Synagoga Iudaica*, cap. III. ita enumerat 13. articulos, quos Iudaei veluti fidei tesseram respiciebant, et respiciunt.

1.° *Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, Gubernatorem, et Creatorem esse omnium creaturarum, illum solum omnia fecisse, facere, et facturum esse.*

2.° *Fide perfecta credo, Creatorem esse, cujus nomen sit benedictum. Unicum esse unitate, quae nullam omnino Similem habeat; illum solum Deum nostrum fuisse, esse et futurum esse.*

3.° *Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, non esse corporeum, nec ulla ratione corporea comprehensibilem, et nihil omnino extare, quod sit illi simile.*

4.° *Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, Primum esse, et Ultimum.*

5.° *Fide perfecta credo, solum Creatorem, cujus nomen sit benedictum, et neminem praeterea adorandum esse.*

6.° *Fide perfecta credo, omnia Prophetarum verba esse vera.*

7.° *Fide perfecta credo, prophetias Moysis magistri nostri, qui requiescat in pace, veras esse, eumque esse patrem omnium sapientium tum eorum qui praecesserunt, tum eorum, qui subsequuti sunt eum.*

8.° *Fide perfecta credo, totam Legem, quae hodie in manibus nostris reperitur, traditam esse Moysi magistro nostro, qui requiescat in pace.*

9.° *Fide perfecta credo, Legem hanc nunquam mutatum iri, nec ullam aliam legem tradendam esse a Creatore, cujus nomen sit benedictum.*

10.° *Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, cognoscere omnia opera hominum, et omnes cogi-*

tationes eorum sicut dicitur (*Ps. XXXIII.* 15.). Ipse omnium corda pariter finxit, intelligit omnia opera eorum.

11.° *Fide perfecta credo, Creatorem benedictum, bonum retribuere iis, qui ejus mandata observant; illos vero, qui ea transgrediuntur, punire.*

12.° *Fide perfecta adventum Messiae credo, et etiamsi retardet, nihilominus semper illum expectabo donec veniet.*

13.° *Fide perfecta credo, mortuos vitae restituendos esse quando ita feret placitum Creatoris, cujus memoria extollatur in saeculum et aeternitatem.*

§. 2.

Praestat vero immorari aliquantulum circa Scripturae loca, ex quibus (praecisis Iudaeorum praejudiciis) superius indicata dogmata deduci possunt: idque ut clarius evincatur mens Iudaeorum circa eadem dogmata, quae recentes Deistae negant, patrocinium erroris sui quaerentes in Iudaeis quasi hi cum ipsis senserint. Nos vero hic utemur solummodo locis depromtis ex V. T., quod solum obtinuit Hebraeorum fidem; et ex illo non omnia, sed aliqua tantum seligemus, quae ad veritatem probandam satis sint.

1.° Quod Deus creator omnium sit, indicant sequentia loca: (Gen. I. 1.) *In principio creavit Deus caelum et terram:* (Psalm. CXLVIII. 5.) *Ipse mandavit, et creata sunt:* (Isai. XLIV. 24.) *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens caelos solus; stabiliens terram, et nullus mecum.*

2.° Quod Deus unicus sit, patet ex Deut. (VI. 4.) *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est*, et (XXXII. 39.) *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me.*

3.° Quod Deus sit simplex, et spiritualis ostendunt plura Scripturae loca, in quibus multa Deo tribuuntur, quae nonnisi spiritus sunt propria: (Deut. IV. 15.) *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus:* (3. Reg. VIII. 27.) *Coelum, et coeli coelorum te capere non possunt:* (Isai. XL. 18.) *Cui ergo similem fecistis Deum aut quam imaginem ponetis ei?* (Ierem. XXIII. 24.) *Numquid non caelum et terram ego impleo dicit Dominus?* (Malach. III. 6.) *Ego enim Dominus et non mutor.* Quod enim loco coarctari non potest, quod est immortale ac invisibile, quod imagine exprimi nequit, quod est immutabile, simplex omnino sit ac spirituale oportet.

4.° Quod Deus sit ens primum et ultimum, sive aeternum affirmant: (Exod. XV. 18.) *Dominus regnabit in aeternum, et ultra:* (Deut. XXXII. 40.) *Vivo ego in aeternum:* (Psal.

IX. 8.) *Dominus in aeternum permanet;* (LXXXIX. 2.) *A saeculo et usque in saeculum tu es Deus;* (CI. 28.) *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

5.° Quod Deus sit solus adorandus vel ex primis Decalogi verbis eruitur, (Deut. VI. 13.) *Illi soli servies*, nec non ex Isaia (XLVI. 9.) *Ego sum Deus et non est ultra Deus nec est similis mei.*

6.° Auctoritas prophetarum clarissime patet in toto Veteri Testamento, cum passim occurrant exempla, ex quibus deducitur Hebraeos reveritos esse prophetas quammaxime.

7.° 8.° Moysen vero auctoritate valuisse apud Hebraeos, eique legem traditam esse toti populo promulgandam integer Pentateuchus testatur; simulque veneratio, quam tum tempore Christi tum nostra quoque aetate erga Moysen adhibent Iudaei.

9.° Perpetuitatem Mosaicae legis falso adstruxerunt Hebraei partim opinione Moysis plus aequo magna adducti, partim Christi odio, pro sua sententia illud Baruch afferentes (IV. 1.): *Hic liber mandatorum Dei, et lex quae est in aeternum;* tum illud Gen. (XVII. 13.) de circumcisione, quae vocatur *pactum . . . . in foedus aeternum.* His porro locis sumitur aeternitas pro longissimo temporis spatio, nisi dicere velimus duratura fuisse semper praecepta Moysis moralia, et legem Christi in Mosaica figuratam. Caeterum legem Moysis aliquando mutandam fuisse, in Veteri Testamento satis erat declaratum, idque 1.° iis locis, quibus Deus olim promisit se daturum legem novam. Ex. gr. (Ierem. XXXI. 31.) *Ecce dies venient, dicit Dominus: et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum.* Iam vero ut arguit Paullus (ad Hebr. VIII. 13.) *Dicendo autem novum veteravit prius. Quod autem antiquatur, et senescit, prope interitum est;* 2.° aliis locis, quibus satis ostendit Deus mutationem legis et status faciendam in adventu Messiae. Ita (Ierem. XXII. 5. etc.) *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum... propter hoc ecce dies veniunt dicit Dominus, et non dicent ultra, vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti, sed vivit Dominus, qui eduxit et adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis et de cunctis terris:* (Malach. I. 10.) *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda;* ubi, ut patet, aperte praedicitur purissimum quoddam sacrificium veteri subrogandum.

10.° Scientiam Dei plura loca testantur. In Deut. (XXXI.

21.) ait Deus de populo Hebraeorum: *Scio enim cogitationes ejus.* In proverbiis (V. 21.) habetur, *Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat;* quibus similia habet Iob (XXXIV. 21.), in Ecclesiastico (XXIII. 29.) *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia,* apud Ieremiam (XVII. 10.) *Ego Dominus scrutans cor, et probans renes:* et (XXII. 19. 11.) de Deo: *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu, cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam.*

11.° Ut pateat Dominum praemium et pöenas aeque distributurum judicio, praeter loca Ieremiae (XVII. et XXXII.) quae supra adduximus, promissiones, et minae consulantur, quas lege sua promulgata subdit Deus (Levit. XXVI.) Quod idem pluribus Deuteronomii locis Deus urget ac praesertim cap. XXX. 15. *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, . . . mortem et malum, ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius, ac caerimonias, atque judicia, et vivas atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra ad quam ingrederis possidendam;* deinde cap. XXXII. 35. *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore.* Obiter notandum identidem quidem, praesertim in Deuteronomio, inculcari uti praemium bona temporalia; verum ista praefigurasse spiritualia et aeterna, quorum erant symbolum et umbra, docemur in Novo Testamento, ac praecipue ex Paullo (ad Hebr. X. 1.) *Umbram enim habens lex futurorum bonorum.* De hoc articulo agendum etiam numero 13.° ubi *de resurrectione.*

12.° Messiam passim promittunt Prophetae, praesertim vero Isaias. Negant Neoterici id semper credidisse Hebraeos, pluresque ex iis statuunt opinionem de Messia enatam esse tempore Davidis sive ambitionis gratia, sive ad populum continendum. Verum Messiae promissionem statim post Adae peccatum fuisse factam satis ex illis verbis Gen. (III. 15.) constat: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Insuper multo ante Davidem factae sunt de semine Abraham benedicendo promissiones, de quibus diximus cap. I. Deinde historia Hebraeorum docet immemorabilem esse opinionis de Messia originem.

Alii praeterea ex Neotericis cum incredulis per fraudem potius invehuntur in Messiae characterem, negantes ex ullo capite probari posse luculenter Divinitatem Messiae. Nos interim Prophetarum aliqua vaticinia adducimus, quibus Messiae, atque adeo Christi Divinitas praedicatur; (Psalm. CIX. 1. 3.) *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis . . . ex utero ante Luciferum genui te:* quo loco ipse Christus usus est

ad sui Divinitatem comprobandam (Matth. XXII. 45.): *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* Deinde Isaias (VII. 14.) *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*: (IX. 6.) *Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.* Ieremias (XXIII. 5.) *Ecce dies veniunt dicit Dominus, et suscitabo David germen justum; et regnabit rex, et sapiens erit: et faciet judicium et justitiam in terra;* (XXXIII. 16.) *in diebus illis salvabitur Iuda et Ierusalem habitabit confidenter: et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Baruch (III. 36. etc.) *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum: Hic adinvenit omnem viam disciplinae et tradidit illam Iacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

At opponunt. 1.° In Scriptura filii Dei dicuntur etiam homines vel angeli. Ergo ex eo quod Messias dicatur filius Dei non inde sequitur talem ipsum fuisse juxta divinam naturam. Antecedens probant pluribus exemplis: (Exod. IV. 22.) *Haec dicit Dominus, Filius meus primogenitus Israel;* (Iob. II.) *Cum quadam die venissent filii Dei* idest Angeli: (Isai. I. 2.) *Dominus locutus est, filios enutrivi et exaltavi*: (Ad Gal. III. 26.) *Omnes enim filii Dei estis per fidem.*

Respondemus 1.° Aliquando Messias sive Christus eo modo appellatur in Scripturis filius Dei, ut nullo modo dubitari possit, quin ipsi Divinitas vere competat. Ita Paullus (ad Hebr. I. 1. etc.) *Novissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula. Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectos quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus est tu, ego hodie genui te?* et rursum: *Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium... et adorent eum omnes angeli ejus.... ad filium autem: thronus tuus Deus, in saeculum saeculi.... unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis....* Et: *Tu in principio Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli.... ad quem autem Angelorum dixit: sede a dextris meis?* Neotericorum quidem aliqui dicunt Paullum locutum esse de Christo ut homine; verum id prorsus injuria asserunt: quomodo enim de homine illa vere dici possunt *fundasti terram; opera manuum tuarum sunt caeli; un-*

xit te Deus; sede a dextris meis, et his similia? Alii, uti Michaelis, dicunt Epistolam illam non esse Paulli. At hoc in primis communiori interpretum sententia falsum est; deinde insufficiens ad evitandam argumenti vim, cum Epistola illa canonica sit. Praeterea non desunt alia: nam (Prov. XXX. 4.) de Deo dicitur: *Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus?* (Ioann. XX. 31.) *Haec autem scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei.* Cum vero loca adducimus non nulla Novi Testamenti, cum Novatoribus aliisque nos agere, qui Novi Testamenti auctoritatem concedunt, prae oculis habuimus. Addimus insuper Paullum inniti locis, quae citat Veteris Testamenti. Respondemus 2.° haud esse legitimam argumenti adducti consequentiam. Nam etsi alii praeter Christum filiorum Dei nomine appellentur, hoc non impedit, quominus Christus vere et proprie Dei filius sit: nimirum illud ob quamdam similitudinem, hoc vero ob rei veritatem contingit. Ita etiam creaturae appellantur aliquando Dii, ut (Exod XXII. 28.) *Diis non detrahes;* (Psalm. XLIV. 10.) *Quoniam Dii fortes terrae, vehementer elevati sunt*: et (LXXXI. 6.) *Ego dixi: Dii estis;* neque tamen hoc aufert Supremo enti naturam unicam Dei. Praeterea addimus Messiam probari Deum non solum quia ipse Dei filius appelletur, sed insuper quia eidem talia attribuuntur, quae nonnisi vero Deo competere possunt. Sic est *sedere a dexteris; fundare terram*, et alia, quae ex textibus adductis eruere quisque potest.

Opponunt 2.° Iudaei Christum Messiam licet confitentes, Deum tamen esse ignorabant. Apparet hoc ex quaestione a Christo Pharisaeis proposita, quid ipsis videretur de Christo, qui ostenderunt non satis agnoscere ex Psalmo CIX. (1) a Christo indicato ejusdem divinitatem. Id colligitur ex Matth. (XXII. 46.): *Et nemo poterat ei respondere verbum.* Apparet idipsum ex eo quod tamquam res quaedam extraordinaria adducatur aliquem fuisse qui Christum uti *filium Dei* confiteretur, uti de quibusdam apud Matth. (XIV. 33.) dicentibus: *vere Filius Dei es*; de Nathanaele apud Ioann. (I. 49.) *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel*; hoc ipsum fuit peculiare Petri prae aliis Apostolis meritum. Christi Divinitas solum publicata legitur cum Spiritus Sanctus descenderit in Pentecoste ex Matth. XVI. 20. (2), et XXII. 9. (3).

(1) *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis.*

(2) *Tunc praecepit discipulis suis ut nemini dicerent quia Ipse esset Iesus Christus.*

(3) *Et descendentibus illis de monte praecepit eis Iesus dicens: nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.*

Respondemus 1.° placuisse Deo aliqua revelari Hebraeis in Veteri Testamento, quorum tamen sensus in Novo solum patefieret, quod non aufert revelatarum rerum veritatem. Sic de Persona Spiritus Sancti locutus est Ioel II. 28. (1) ex Act II. 16. ubi Petrus in die quo Spiritus S. in Apostolos illapsus est, sic loquitur. *Sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel: et erit in novissimis diebus (dicit Dominus), effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae.* Isaias etiam haec habet (XLIV. 3.): *Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum*; et (XLI. 1.). *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* At ejus Personae ac totius Trinitatis notitia habita est, publice saltem ac pro omnibus, in Novo Testamento. Respondemus 2.° cum Eusebio Caesar. (*Hist. Eccl. lib.* 1.) Hebraeos semper et credidisse et veneratos esse Messiae Divinitatem. Et sane lúculentissima sunt Veteris Test. loca illa, ex quibus Paullus in Epistola superius citata ad Hebraeos infert Christi sive Messiae Divinitatem. Sed et illis locis alia ejusdem roboris addi possunt; ex Isaia in primis (IX. 6.): *Parvulus enim natus est nobis.... et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus,.... super solium David, et super regnum ejus sedebit .... usque in sempiternum*; (XXXV. 4.) *Deus ipse veniet et salvabit nos.* Plura contra Iudaeos colligit Suarez (*De incarnatione T.* 16. *Disp.* 2. *Sect.* 5.). His autem positis concludimus eos, qui Christi Divinitatem ignorabant ex Hebraeis, aut turpi laborasse ignorantia, aut pervicacia ductos id affectasse, aut tandem nondum sat exploratum iisdem esse Christum Messiam fuisse, uti exploratum fuit Nathanaeli, aliisque, qui Christum ut Deum confessi sunt. Ad articulos, quos ut fidei tesseram habebant Hebraei revertamur.

13.° Resurrectio mortuorum dogma est cum immortalitate animorum, et cum justa operum retributione conjunctum. Haec fuisse a Iudaeis credita negant majori audacia recentiores, ac praesertim Clericus (*Tom. V. Antiq. et recent. Biblioth.*), et Warburton (*de Divinitate Missionis Moysis*). Semina quoque jampridem doctrinae hujus jecerat Celsus ex Origene (*lib.* 5. *contra Celsum*), ac vestigia ejusdem sequutus est Iahnius (*Archaeol. Part. I. T. I. et Part. III.*) inter alia docens novam hanc esse Iudaeorum Theologiam post captivitatem ex con-

(1) *Et erit post haec: effundam spiritum meum super omnem carnem et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae. senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.*

versatione Gentilium. Iam vero non solum temporibus prope Christi nativitatem haec fuisse Iudaeis agnita et credita, sed et multo ante illum tempore, haec ostendunt quae sequuntur.

Sadducaei, qui resurrectionem negabant, peculiarem constituebant sectam, et a caeteris redarguebantur uti eruitur ex Matth. (XXII. 29.) *Erratis*, *nescientes Scripturas;* et ex Act. (XXIII. 8.) *Sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem neque angelum neque spiritum.* Pietas Iudae commendata fuit, qui pro mortuis jussit sacrificia. (2. Mach. XII. 43.) *At vero fortissimus Iudas.... facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans.* (*Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis*). Resurrectionem pariter agnovisse septem martyres Machabaeos constat ex 2. Mach. VII. variis locis, ac praesertim vers. 23. *Spiritum vobis iterum cum misericordia* (Deus) *reddet et vitam:* uti et Martham (Ioan. XI. 24.): *Dicit ei Martha: scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.* Multa quoque de justorum ac de impiorum sorte post mortem afferuntur in libro Sapientiae, ex. gr. (II. 22.) *Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiae, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum;* (III. 4. 10.) *etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati in multis bene disponentur; impii autem secundum quae cogitaverunt, correptionem habebunt..... et vacua est spes illorum;* (IV. 7. 19.) *justus autem si morte praeoccupatus fuerit in refrigerio erit; et erunt post haec decidentes sine honore et in contumelia inter mortuos in perpetuum.... et usque ad supremum desolabuntur, et erunt gementes.* Similia inveniuntur cap. V., et pluribus aliis locis ejusdem libri. Ad haec Iob (XIX. 25.) *Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea:* Ecclesiastes (VI. 8.) *Quid habet amplius sapiens a stulto? et quid pauper nisi ut pergat illuc, ubi est vita,* quibus similia cap. XI. habentur: Isaias (LXVI. 24.) de impiis: *Videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me: vermis eorum non morietur; et ignis eorum non extinguetur:* Daniel (XII. 2.) *Multi de his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt, alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ut videant semper.*

Tandem dogmata hujusmodi fuisse a veteribus Patriarchis credita, deque illis aliquo modo locutum esse Moysen in Pentateucho, ostendunt sequentia: 1.° fidem immortalitatis animarum et beatam quietem supponunt phrases morientium Patriar-

charum, vel aliorum de illis loquentium. Ita de Abraham senectute confecto dicitur (Gen. XXV. 8.): *Congregatusque est ad populum suum.* Iacob accepto nuncio mortis filii sui ait (Gen. XXXVII. 35.): *Descendam ad filium meum lugens in infernum:* (XLVII. 30.) *Dormiam cum patribus meis;* et de ipso Iacob narratur (LXIX. 32.): *Appositusque est ad populum suum.* Quinimo Deus ipse dum mortem comminatus est Aaron (Num. XX. 24) *Pergat*, *inquit*, *Aaron ad populos suos.* Sane haec et similia, quae ommittuntur, explicari satis nequeunt nisi referantur ad statum animae corpori superstitis. 2.º In exodo (III. 6:) legitur: *Ego sum . . . Deus Abraham*, *Deus Isaac*, *Deus Iacob;* at *non est Deus*, ait Christus (Matth. XXII. 32.), *mortuorum sed viventium.* Insuper Necromantia severe interdicitur (Lev. XIX. 31. Deut. XVIII. 11.); ex quibus omnibus fides, et Hebraeorum opiniones quae fuerint satis potest intelligi. 3.º De omnibus Patriarchis ita loquitur Paullus (ad Hebr. XI. 13.) *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus*, *sed a longe eas aspicientes*, *et salutantes*, *et confitentes*, *quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim haec dicunt significant se patriam inquirere . . . . nunc autem meliorem appetunt*, *idest coelestem.* Haec omnia alteram vitam existere supponunt, ex qua veritate caetera indicata facile consequuntur.

Quod si quaeratur undenam resurrectionem didicerint antiqui Hebraei, cum Moyses in Pentateucho expressis verbis nullibi illam indicet: respondemus dogma hoc uti quaedam alia ex traditione cognita Hebraeis fuisse, et in lege, quam appellabant *Oralem*, expresse contentum.

De statu animae post mortem ex sententia Hebraeorum, videantur Calmet *Dissert. in Sapientiam*: *Dissertatio* Casti Innocentis Ansaldi *de futuro saeculo ab Hebraeis ante captivitatem credito* Mediol. 1747., et *Biblicae Exercitationes.*

§. 3.

Praeter dogmata jam recensita, quae tamquam primaria credebant Iudaei, alia quoque veluti secundaria agnoscebant credebantque juxta id, quod habetur apud saepe citatum Lamy. 1.º Propagationem fatebantur originalis peccati ut patet ex Thalmud. 2.º Plagas hominum sanandas esse a Messia, qui passurus esset; clara namque sunt, quae in Prophetis de hoc edita exstant oracula. Ut alia ommittamus, Isaias de Messia loquens ait (XXXV. 4. 5.): *Deus ipse veniet et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt*; (LIII. 4. 5.) *Languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse por-*

tavit..... livore ejus sanati sumus; et ex cap. LXI. Messias afferre debebat doctrinam ad medendum contritis corde, et publicandam libertatem captivis, et redemptionem. Sed cum crederent etiam Messiam futurum Regem de omnibus triumphantem, duplicem (tempore saltem Christi) distinxerunt Messiam alterum occidendum, gloriosum alterum. 3.° Neminem considerabant sibi proximum nisi eum, qui esset Israelita: odio habebant caeteros, quorum consortio se pollui putabant. Hoc redarguit Christus Matth. (V. 43. 44.): *Audistis quia dictum est: diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros* etc.

Animadvertere autem praestat in Veteri Testamento praecipi quidem proximi amorem, non vero odium inimicorum, quidquid cum Hebraeis blaterent recentes increduli. Nam 1.° in Exodo (XXIII. 4.) praecipitur, ut charitatis opera exerceantur erga inimicum; 2.° in Levit. (XIX. 18.) legitur: *Diliges amicum tuum sicut te ipsum.* Vox hebraea autem רֵעֲךָ, ut animadvertit Calmet, aeque significat *amicum*, et *proximum tuum*, et *proximum* vertunt Septuaginta; 3.° ibidem diserte praecipitur: *non queras ultionem, nec memor eris injuriae civium tuorum.* 4.° Nullus afferri locus potest, quo inimicorum odium suadeatur. Unde ergo Hebraeorum opinio illa enata? cur Christus ait *dictum est*? Putat Maldonatus hanc fuisse interpretationem earum legum, quarum vi Chananaei aliique, quos ut hostes Hebraei considerare debebant, arcendi et occidendi erant. Sed jus et obligatio belli non aufert quod caritatis exigit praeceptum. Putant alii, et quidem communius, referri hoc ad glossam praecepti caritatis factam a Scribis et Pharisaeis, qui cum legerent Levitici (l. c.) *diliges amicum*, male inferebant, juxta superius dicta, *ergo odio habendus inimicus.* Quare colligunt errorem hunc non fuisse veterum Hebraeorum, atque ea fortasse de caussa non ait, uti solebat, Christus *dictum est antiquis*; sed solum *dictum est.* 5.° Iudaei Legem Moysis venerabantur, sed partim malitia partim ignorantia male explicabant nonnulla, nonnulla absurda addebant, ut in Evangelio passim occurrit, et ex supradictis quoque patet. 6.° Summopere cavendum censebant pollui legali immunditia, cujus plurimae erant species, sive ex lege scripta, sive ex traditione magistrorum. 7.° Angelorum tum bonorum tum malorum existentiam agnoscebant, quidquid ex adverso dicant illi neoterici, qui ex Scripturis expungere tentant non ea modo, quae sunt supernaturalia, sed fere quaecunque sensus excedunt.

Ex his nonnulli (quibus praeluserunt quidam Anabaptistae ut patet ex Natal. Alex.) ajunt omnem fortuitum, et improvisum eventum dici ex loquendi more angelum, huncque bonum

vel malum pro qualitate eventus; sic Paullusius (*Comm. T. I.*). Iahnius deinde (*Append. Hermeneut.*) statuit visiones Patriarcharum Angelos appellatas esse; eas vero esse partim species menti objectas, vel somnia, ut Iacobi scala, ut rubus ardens Moysis; partim speciem figurae humanae, ut tres angeli Abraham. E contrario Catholici quique ac sani Theologi docent angelos esse spiritus in propria persona subsistentes, idque pluribus ostendunt. Sufficiet autem instituto nostro aliqua Veteris Testamenti adducere loca, quae id aperte declarant Exod. (XXIII. 20.) *Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi*: Tob. (XII. 15.) *Ego enim sum Raphael Angelus unus ex septem, qui astamus ante Dominum*: Psal. (XC. 11.) *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Iudas Machabaeus ita orabat (2. Mach. XV. 22. 23.) *Tu Domine qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Iuda.... mitte angelum tuum bonum ante nos*. De malis angelis mentio occurrit apud Iob. (I. 6.) *Cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan*: 1. Reg. (XVI. 14.) *Exagitabat eum* (Saulem) *spiritus nequam*: idest diabolus ut notant nonnulli Interpretes praesertim vero a Lapide; et 3. Reg. (XXII. 21.) *Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino et ait: ego decipiam illum*, spiritus malus videlicet, qui se obtulit ad decipiendum Achab. Plura alia ommittuntur, quae videri possunt apud Theologos, et Alber. .

Notandum obiter, Iudaeos, qui olim tam proni fuerunt ad Idololatriam, tempore tamen Christi ab ea fuisse generatim alienos: et revera nec Christum, nec Apostolos unquam eo nomine illos reprehendisse usquam apparet.

§. 4.

De Praxibus.

Praxes circa Scripturae Codices.

Nunc de Praxibus Iudaeorum notabilioribus. Ac primo de Scripturae Codicibus, erga quos summa erat eorum religio. Hi erant membranae oblongae, quibus aliae adnectebantur si opus foret. Volvebantur circa duo ligna rotunda, quorum singulis membranae extremitates assuebantur. Scripti erant lingua hebraica ac sine punctis. Dolebant summopere factam fuisse versionem graecam, (licet eam a principio et ante Christum approbarent, et Hellenistae ipsa uterentur) idcirco institutum erat

jejunium, ut fertur. In scribendis hisce codicibus tanta erat diligentia, ut si vel in unicam litteram error irrepsisset, totum volumen profanum haberetur. Complicare et replicare librum, lignum manu tenere, tollere, circumferre, ostendere, munera erant, quae auctione vendebantur. (Morem hunc tamen recentiorum quidem esse Hebraeorum, minime vero fuisse veterum contendunt multi). Omnes vel manu vel ore lignum osculabantur, cui membrana assuta erat, quam manu non licebat tangere. Legebat primum Sacerdos, inde Levita, tandem simplex Israelita, et quem vocabat Archisynagogus. Lector antiquitus, prout nunc, caput superindumento, quod טַלִּית (*Tallìth* al. *Tallid*) nuncupant, operiebat, ad quod Paullus (ad Rom. III. 15.) alludit. Pars legis Mosaicae, et pars a Prophetis praelegebatur (Act. XV. 21.; Luc. IV. 16.). Praelecta hebraice exponebat interpres vernacula lingua, et Lector vel alius docebat populum (Act. XIII. 15.; Luc. ult.). Asservabatur exemplar aliquod magno cum honore in arca quadam dicta *Aròn* אָרוֹן. Loca sacrario, in quo libri sacri recondebantur, propiora, majoris aestimabantur Matth. (XXIII. 6.): Iacob. (II. 3.).

Circa Templa.

Templum reverebantur Hebraei quam maxime. Ad Templi montem nemo conscendebat cum baculo, zona, calceis, pulvere in pedibus, aut cum pecunia in vestimento colligata. Ita Christus prohibuit transferri vas per Templum Marc. (XI. 16:) *Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum.* Cum tremore et horrore incedebant in atrio; Templum ingrediebantur.; sedebant solum Reges e stirpe Davidica; in linteo tantum exspuere licebat. Mulieres a viris segregatae consistebant in atrio sibi proprio, quod ab atrio Israelitarum muro humili separatum erat, ut mulieres quidem viros, hi autem illas non viderent. Orantes extra ipsum se ad illud convertebant ubicumque essent.

Circa Preces.

Ter in die orabant. Hanc consuetudinem confirmat illud Psalmi (LIV. 18,) *Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam*; nec non illud Danielis (VI. 10.) *Contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua et adorabat, confitebaturque coram Deo suo sicut et ante facere consueverat.* Orabant autem multis verbis, ac multipliciter distinguebant preces. Ita Apostolus (1. ad Timoth. II. 1.) *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes,*

postulationes, gratiarum actiones. Obsecrationum autem nomine, supplicationes intelliguntur pro liberatione a malis; orationum, petitiones bonorum; postulationum, quaerimoniae de inimicorum persecutionibus; quid gratiarum actionibus indicetur perspicuum est. Verumtamen quidam censent haec omnia unum atque idem significare. Consulatur a Lapide in hunc locum. Bis deinde in die commemorabant beneficia, quae Deus praestitit Iudaeis ex Aegypto liberatis: ac saepe per diem Deo benedicebant cibum vel potum sumentes, atque alia peragentes, ad quod alludit Paullus (1. Cor. X. 31.) *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Circa Iejunia.

Iejunia initium sumebant a vespere, et ad sequentem vesperam perseverabant, ut patet ex libro Iudic. (XX. 26.) *Iejunaveruntque die illo usque ad vesperam*; et 2. Reg. (I. 12.) *jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, et Ionatham*; idem indicatur Iudith VI. 16. (1). Iejunii tempore utebantur vestibus laceris et angustis ex caprarum pilis intextis, nec non cilicio, quod pariter colligitur ex Iudith VIII. 6. *Et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitae suae praeter sabbata etc.* Iejuniorum diebus comedebant humi strati inter pulverem capitibus cinere adspersis. Iejuniis jungebant lectiones Scripturarum, preces, confessiones, et memorabant luctuosa, quae illis diebus contigerant. Pro varietate jejuniorum varii in Thalmud constituti sunt ritus rigoris, ut ex. gr. in solemnibus jejuniis nefas erat labori vacare interdiu, corpus totum calida abluere, unctionibus ac balneis uti. Anniversarios Iejunii dies in exilio, ad perennem memoriam malorum quorumdam introduxerunt, nempe expugnationis Ierosolymae, incensi Templi, interfecti Godoliae etc.

Circa jusjurandum.

Varia notanda sunt a Iudaeis servata in jurejurando: ac 1.° dexteram caelum versus extollebant, adeo ut nonnunquam idem sit jurare ac manum levare. Ita Abraham Gen. (XIV. 22.) ait: *levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem caeli et terrae.* 2.° Apponere solebant quasdam malorum imprecationes quae scilicet obvenirent, si fides violata foret. Ita frequenter occurrit formula: *haec faciat Dominus*, ita Ruth. (I. 17,). *Haec mihi faciat Dominus et haec addat*,

(1) *Finito itaque fletu et per totum diem oratione populorum completa.*

si non sola mors me et te separaverit; (2. Reg. III. 9.). *Haec faciat Dominus Abner et haec addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo.* Persaepe tamen imprecationem reticebant, et subintelligebant quasi timentes eam exprimere: ex. gr. Psal. (CXXXI. 3.) *Si introivero in tabernaculum domus meae.* 3.º Aliquando jurabant per vitam aut salutem alicujus cari, uti *vivit dominus, vivit anima tua,* et similia. Ex. gr. Genes. (XLII. 15.) ait Iosephus fratribus suis: *Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus;* (1. Reg. XXV. 26.) *Nunc ergo Domine mi, vivit dominus et vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem.* Quod si quaeretur an haec vera fuerint juramenta, respondemus cum Angelico (2.2. *quaest* 89. *art.* 6.) esse posse juramenta tum *assertoria* sive per modum contestationis, invocando ut veritatis testem Deum, qui auctor est vitae, animae etc. cujus majestas, ac potentia in praecipuis hisce, aliisve hujusmodi creaturis specialiter elucet, quod satis ostendit etiam Christus illis verbis Matth. (XXIII. 22.) *Qui jurat in caelo, jurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eum;* tum *execratoria*, quatenus imprecamur malum creaturis nobis carissimis si mentimur, ac quodammodo dicimus: ita Deus eas salvet, ut ego sincere loquor aut promitto. Itaque locutiones ejus generis juramenta erunt, si ad Deum referantur. 4.º Quandoque jurans inter jurandum dexteram suam sub illius femur ponebat, cui se se jurejurando obstringebat. Ita de Abrahamo Gen. (XXIV. 2.) *Dixitque* (Abraham) *ad servum . . . pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum caeli et terrae, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananaeorum;* sic Iacob ait ad Ioseph Gen. (XLVII. 29.): *Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo: et facies mihi misericordiam et veritatem ut non sepelias me in Aegypto.* Hujus ritus ratio, pluribus aliis omissis, assignatur vel quia sic invocabatur Deus auctor vitae, cujus caro et symbolum femur est, vel quia ita fiebat allusio ad Christum, qui a femore Patriarcharum oriturus erat.

Qui vero jusjurandum exigebat, formulam voce praeibat, et alter respondebat *Amen, Amen;* quare quod saepe legimus in Evangelio *amen amen* non est juramentum, sed veritatis assertio.

Circa foedera.

Foedera quamvis jurata sanciebantur victimis, per quas divisas et utrinque positas foedus ineuntes transibant. Hoc Deus

ipse praestitit, foedus iniens cum Abrahamo Gen. (XV. 10.) *Qui tollens universa haec divisit ea per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus posuit.* Hujus ritus mentio habetur etiam apud Ierem. (XXXIV. 18.): *Et dabo viros, qui praevaricantur foedus meum, et non observaverunt verba foederis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes et transierunt inter divisiones ejus.* Ritus hic significabat, ineuntes sive ferientes ac sancientes foedus sibi ipsis eamdem sortem imprecari, si foedus per eos violatum foret.

Iamvero (obiter notamus) in illo magno foedere Dei cum Hebraeis (Exod. XXIV.) accessit quod Moyses sanguine victimarum conspersit altare, librum foederis, et universum populum, dicens: *Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Unde patet, quod cum Christus in ultima coena *sanguinem suum* dans Apostolis, eumdem appellavit *sanguinem foederis*, illum *sanguinem sacrificii* dedit, atque sanctissimam *Eucharistiam*, ceu *sacrificium* quoque instituit.

Multa quoque habebis ubi de *sacrificiis*, et ubi de *variis consuetudinibus Iudaeorum* praeter ea, quae in hac dissertatione sparsim inveniuntur. Pleraque vero ex superius dictis colligit Lamy (*Apparat.*) ex Thalmud, Philone et Iosepho praeter Scripturam.

Art. IV.

De Festis.

Nunc de Praxibus religiosis circa festa, quae recensebimus juxta temporis mensuras Capite II. Articulo II. assignatas.

§. 1.

In Hebdomade.

In singulis hebdomadibus festus dies erat Sabbatum, hocque religione summa colebatur ex praecepto Dei Exod. (XX. 8. etc.): *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus et filia tua, servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum, et advena;* Levit. (XXIII. 3.) *Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus.* Colebatur autem praecipue cessando ab omni opere,

ita ut homines et bestiae ipsae quiescerent ex loc. cit. Exodi, et XXIII. 12. ejusdem. *Sex diebus operaberis, septimo die cessabis, ut requiescat bos et asinus tuus, et refrigeretur filius ancillae tuae et advena.* Iam vero ut hoc praeceptum rite Hebraei implerent, speciatim prohibebantur: 1.° *cibos parare:* quod clare colligitur ex Exod. XVI. ubi praecipitur Hebraeis ut die sexta colligant manna etiam pro Sabbato, ut illud recte sanctificent: quod tamen aliis festis (praeter Expiationis diem, ut infra) permittebatur: nam Exod. XII. 16. loquendo de festo Paschae, licet celeberrimo, prohibentur opera *exceptis his, quae ad vescendum pertinent;* 2.° *ignem accendere:* Exod. (XXXV. 3.) *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbati;* quod recte explicatur de igne excitando ad cibos parandos, aut opera alia exercenda; 3.° *longum iter peragere.* Ad summum Hebraei poterant Sabbato circiter cubitorum 2000. iter facere, quod est iter Sabbati, de quo Matth. (XXIV. 20. *Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme vel Sabbato;* et Act. (I. 12.) *Tunc reversi sunt Hierosolymam a monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Ierusalem, Sabbati habens iter.* Hoc spatium illud erat, quo arca castraque inter se distabant, uti ex Ios. (III. 4.) *Sitque inter vos et arcam spatium cubitorum duorum millium;* aequivalebat vero plus minus milliario nostro. (Vide Calmet *in Act. I.* 12.). Omnia praeparabantur die antecedenti, qui *Parasceve* dicebatur, quo die ex Hebraeorum consuetudine ante solis occasum varii soni edebantur, quorum primo audito cessabant opera agri; secundo opera urbis, valvis subductis; tertio accendebantur lucernae ne Sabbato ignis accenderetur.

Lex porro severe quidem praecipiebat Sabbati cultum, ut apparet exemplo illius, qui cum ligna collegisset Sabbato, jubente Deo lapidatus est: Num. (XV. 36.) *Cumque eduxissent eum foras obruerunt lapidibus et mortuus est sicut praeceperat Dominus.* At negari illud non potest superstitiones additas fuisse ab Hebraeis, qui ea quoque prohibebant, quae apprime sunt necessaria, ex. gr. aegros curare, uti illis exprobravit Christus, qui a Pharisaeis arguebatur, eo quod in Sabbato aegros curasset, et Apostoli vellerent spicas: Matth. (XII. 5. etc.) *Aut non legistis in lege. quia Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt . . . . Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit haec Sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam? Quanto magis melior est homo ove. Itaque licet Sabbatis benefacere.*

Festum hoc pluribus ommissis institutum erat 1.° ad creationis beneficium recolendum, Exod. (XX. 10. 11.): *Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne*

opus in eo .... sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt et requievit die septimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbati et sanctificavit eum; 2.° in memoriam quoque liberati populi a servitute Aegypti, Deut. (V. 15.): *Memento quod et ipse servieris in Aegypto et eduxit inde te Dominus Deus tuus in manu forti et brachio extento. Idcirco praecepit tibi ut observares diem Sabbati.* 3.° Ad requiem hominum et bestiarum, et ideo Exod. (XXIII. 12.) dicitur *Et refrigeretur filius ancillae tuae et advena.* Mystice vero Sabbatum caelestem requiem significavit ex Paullo ad Hebr. (IV. 4.) (1).

Sabbatum etiam aute Moysen sanctificatum fuisse, probabilius credimus; nam ommissis aliis, 1.° de creatione loquens Moyses ait Gen. (II. 3.) *Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret;* 2.° commemoratur Sabbati sanctificatio ante latam de eo legem Exod. (XVI. 22. 30.); 3.° Gentes quam plurimae, quae legem Mosaicam profecto imitatae non sunt, diem septimam aliqua ratione distinxerunt (Ioseph. contra App. II. 39.).

In Mense.

Neomeniae sive Kalendae mensium licet proprie non essent festi dies, cum in iis abstinentia non praeciperetur ab operibus (excepta Neomenia Thiscri, quae feria erat) tamen erant solemnes, ac tubis annunciabantur, cum in iis sacrificia quaedam fieri ex lege deberent, uti ex Num. (XXVIII. 11.) *In Kalendis autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos.* Hisce diebus pientiores Hebraei prophetas frequentabant (4. Reg. IV. 23.). Hoc autem 1.° ut beneficium conservationis, quemadmodum in Sabbato creationis commemoraretur; 2.° ut primitiae cujuslibet mensis Deo offerentur; 3.° ut fausta Hebraei sibi precarentur; 4.° ut mensium chronologiae provisum esset, et quae illo mense implenda forent, nunciarentur. Romanorum Kalendae, et Kalendaria nostra ab eodem nomine ac ritu ortum duxere.

(1) *Dixit enim* (Deus) *in quodam loco de die septima sic: et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis. . . . Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus.*

§ 2.

In Anno.

Intra annum tria occurrebant festa celeberrima. Pascha, Pentecoste, Festum Tabernaculorum, quibus celebrandis Hebraei masculi ex omnibus finibus conveniebant Hierosolymam juxta Exod. (XXIII.) et Deut. (XVI. 16.) ubi dicitur: *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit, in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum.* Celebrabantur autem haec festa generatim 1.° convenientium multitudine ac praesentia; 2.° celebritate sacrificii; 3.° laetitia.

Pascha.

Pascha (hebr. פֶּסַח *Pèsach*) celebrabatur mense Nisan נִיסָן ritu indicato in Exodo (cap. XII.); Levit. (XXIII.); et Deut. (XVI.). Die decimaquinta ineunte comedendus erat agnus mactatus in Templo, et ante aedificationem Templi in Tabernaculo. Hic agnus vel haedus integer, baculis duobus altero per longum, et altero ad anteriores pedes transversim perfossus, et sic quasi crucifixus, assabatur. Quod autem Hebraei jussi erant ne os frangerent ex eo, etsi ad properationem pertinebat, perpetuo observatum fuit (Pesachim, c. 3. Iohan. XIX. 36.).

Solemnitas durabat per septem dies; in ea autem praeter esum agni quatuor potissimum servabantur: 1.° comestio azymi per septem dies (Exod. XII. 19. XXIII. 15.): 2.° primo die et septimo cessatio ab operibus; 3.° singulis diebus varia offerebantur sacrificia juxta Num. XXVIII.; 4.° secundo die offerebantur spicae hordei maturescentis. (Vide a Lapide *in XXIII. 6. Levitici*). Qui legitime impeditus hoc mense Pascha celebrare non posset, id facere altero mense eodem ritu debebat juxta Num. IX. 10. etc.

Pascha celebrabatur 1.° in grati animi significationem pro liberatione ab Aegypto, et nomen ipsum Pascha (transitus) indicabat vel transitum in Chanaan, vel probabilius transitum Angeli per Aegyptiorum aedes, quorum primogenitos Angelus interfecerat parcens Iudaeis indicio sanguinis agni, Dei jussu mactati, quo Hebraeorum postes distincti fuerant. Colligitur id Exod. (XII. 12. 27.) *Et transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti ab homine usque ad pecus. . . . Dicetis eis* (filiis): *Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Aegypto percutiens Aegyptios et domos nostras liberans.*

2.° Ad primitiarum novae messis oblationem, antequam falx ad messem posset admoveri. Pascha vero Hebraeorum figura fuit Redemptionis per Christi sanguinem obtinendae, quemadmodum Scriptura ipsa in Novo Testamento declaravit per Ioannem (XIX. 36.): *Facta sunt enim haec ut Scriptura adimpleretur: os non comminuetis ex eo:* et per Paullum (1. Cor. V. 7.) *Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.*

Pentecoste.

Completis a Paschate septem hebdomadibus, dies qui sequebatur quinquagesimus, hebr. חַג שָׁבֻעוֹת (*Chagh Scabuhòht* al. *Chag Scavuhòd*), *Festum Hebdomadarum*, graece πεντηκοστή *Pentecostè*, solemnis erat ex legis praescriptione Lev. (XXIII. 15. 16.): *Numerabis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadae septimae, idest quinquaginta dies: et sic offeretis sacrificium novum Domino;* et Deut. (XVI. 9. 10.) *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris, et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo.* Cum porro loco citato Deut. (vers. 15.) recensitis tribus diebus festis Paschae, Pentecostes, et Tabernaculorum dicatur: *septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis*, colligitur hanc quoque Pentecostes solemnitatem per dies septem continuasse. In hoc festo placentae ex novis frugibus coctae et fermentatae Deo offerebantur praeter alia sacrificia statuta Num. (XXVIII. 27.): *Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem.* Solemnitas haec instituta erat 1.° in grati animi testimonium ac memoriam pro lege data in Sina, die quinquagesima ab egressu Aegypti, ut narratur Exod. (XIX. 1.) (1). 2.° Ad primitias offerendas collectae segetis, sive tritici: nam ut festum Paschae incidebat in exordium messis hordei, ita Pentecoste post messem tritici (vide Calmet *in Lev. XXIII.* 10.). Hinc festum hoc dictum est etiam *Sollemnitas Messis primitivorum* Exod. (XXII. 16.) seu *Dies primitivorum* Num. (XXVIII. 26.)

Cum autem quinquagesima die a Resurrectione Christi,

(1) *Mense tertio egressionis Israel de terra Aegypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai.*

data sit lex hominibus non tabulis conscripta lapideis, sed in cordibus, ut Paullus (2. Cor. III. 2.) *epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris:* pronum erit agnoscere in Pentecoste Hebraeorum figuram bonorum, quibus per Christum emulati sunt Christiani per gratiam Spiritus Sancti. Oblatio quoque panum e novis frugibus, figuram exhibuisse videtur Eucharistiae, quae diebus Pentecostes coepit a fidelibus frequentari (Act. II. 46.; S. Thom. *Opusc. LVII.*).

Tabernaculorum.

Die decimaquinta mensis Thiscri תִּשְׁרִי incipiebat festum Tabernaculorum (hebr. חַג סֻכּוֹת), quod per octo dies continuos perseverabat Lev. (XXIII. 34. 36.): *A quintodecimo die mensis hujus septimi, erunt feriae tabernaculorum septem diebus Domino . . . . . et septem diebus offeretis holocausta Domino, dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus et offeretis holocausta Domino.* Hilarissimum autem erat festum hoc graece dictum σκηνοπηγία *Scenopegia* (tabernaculorum fixio). Illis diebus habitabant Hebraei in Tabernaculis ramis arborum constructis, in tectis aedium et Templi, et in platea. Ramum manu tenebant tota die prima et aliis diebus, dum ad Templum veniebant: hinc illud Psalm. (CXVII. 27.) *Constitute diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris.* Id erat symbolum ubertatis terrae. Duae autem praecipue notandae sunt caeremoniae hujus sollemnitatis. 1.ª Primus et ultimus dies erant festi, siquidem opera exercere non licebat. 2.ª Statuta erant sacrificia, quae offerrentur singulis diebus ex ordine; haec fuse Num. XXIX. describuntur. Octavum tabernaculorum diem peculiaris festivitas distinguebat, quae dicebatur *coetus* sive *collecta.* Ita etiam apud Ioannem (VII. 37.) *In novissimo die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat* etc. Eo die populus omnis simul conveniebat et solemnibus sacrificiis Deo gratias agebat antequam domus repeteret. Pari ratione septimus dies azymorum dicitur collecta Deut. (XVI. 8.) *Sex diebus comedes azyma et in die septima quae collecta est Domini Dei tui, non facies opus.*

Festum hoc erat 1.° in animi grati signum pro divina protectione, qua Hebraei servati sunt in deserto veluti sub dio, et ducti in terram promissam; 2.° in gratiarum actionem pro fructibus omnibus collectis. Requies autem terrae a Deo promissae, docente Paullo, sempiternam bonorum requiem praefiguravit. Ergo et mysticam in Tabernaculorum festo significationem habemus.

Novus annus civilis.

Festa alia per annum celebrabantur, at minus solemnia; ac primo Neomenia Thiscri, seu prima dies anni civilis, qua nullum servile opus fiebat, ac peculiare holocaustum statutum erat Lev. (XXVIII. 24.) *Mense septimo, prima die mensis erit vobis sabbatum, memoriale, clangentibus tubis et vocabitur sanctum;* et Num. (XXIX. 1.) *Mensis etiam septimi prima dies venerabilis, et sancta erit vobis. Omne opus servile non facietis in ea quia dies clangoris est et tubarum.* Cum autem clangore tubarum annunciarentur, *Tubarum festum* (hebr. חַג שׁוֹפָרוֹת *Chag Scopharòth* al. *Scopharòd*) dictum est. Communius creditur id fuisse institutum 1.º in memoriam liberationis Isaac surrogato ariete ex (Gen. XXII. 12.) ubi Angelus sic alloquitur Abraham; *Non extendas manum tuam super puerum... nunc cognovi, quod times Deum, et non pepercisti filio tuo propter me.... Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres haerentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio;* sicque explicatur quomodo in hoc festo, arietum cornibus clangebant, cum alias uterentur tubis argenteis juxta Num. X. 2. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles etc.;* 2.º ut Deus pariter protegeret Hebraeos anni primordia illi offerentes.

Expiationis.

Die decima Thiscri erat festum Expiationis (hebr. יוֹם הַכִּפֻּרִים *Iom Hachippurìm*). Praecipui ritus hujus festi erant: 1.º Pontifex qui hac die omnem liturgiam solus agebat, ad sanctuarium accedens adducebat vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum. 2.º Lotis manibus ac pedibus induebat vestes minorum sacerdotum, ac praesentabat vitulum et arietem Domino ad ostium Tabernaculi, vel Templi. 3.º Populus per aliquos seniores offerebat duos hircos pro peccato, et arietem in holocaustum. 4.º Pontifex per sortes destinabat quinam hircus offerendus, quinam emissarius esse deberet. 5.º Pontifex suum vitulum et hircum populi pro peccato jugulabat. 6.º Thurificans ingrediebatur Sancta Sanctorum, et sanguine earum victimarum permixto aspergebat septies contra propitiatorium, et orabat pro peccatis suis et populi. 7.º Aspergebat in Sancto altare thymiamatis, ibidemque rursus orabat. 8.º Ambas manus capiti alterius e duabus hircis a populo oblatis graviter imponebat, confitendo (in genere) et eum per paratum hominem in desertum emittebat: hinc hircus ille appellabatur

emissarius. 9.º Indutus vestibus Pontificalibus immolabat in holocaustum arietem suum et arietem populi. Hircus autem, qui pro peccatis populi, et vitulus, qui pro peccatis Summi Sacerdotis immolatus fuit, symbolum erant promeritae paenae, et *extra castra* vel urbem integri cremabantur. 10.º A vespere antecedenti usque ad vesperas illius diei perfectum cibi ac potus jejunium servabatur, et abstinentia ab operibus servilibus ac ab iis etiam, quae ad parandum cibum erant necessaria, ut in Sabbato. Dicitur enim in Levit. (XVI. 29.) *nullumque opus facietis;* et (XXIII. 30.) *et quae operis quidpiam fecerit delebo eam* (animam) *de populo suo.*

Festum hoc institutum est a Deo 1.º occasione irreverentiae filiorum Aaron ignem offerentium alienum, ex Lev. (XVI. 1.) (1); 2.º ut certa die generalis fieret expiatio peccatorum. Expiationem veterem fuisse figuram sacrificii Christi per proprium sanguinem omnium peccata expiantis, asserit Paullus ad Hebr. (IX. et XIII.).

§ 3.

Purim, et Phurim.

Alia erant festa minus etiam solemnia a Iudaeis ipsis instituta quolibet anno celebranda: ac 1.º decimaquarta et decimaquinta die mensis אֲדָר Adar in memoriam beneficii obtenti ab Esther, dicebaturque פּוּרִים *Purim* idest sortium, quia sortibus per Aman destinatus erat dies excidio Iudaeorum, ut ex Esth. (IX. 29.) etc. *Scripseruntque Esther. . . et Mardochaeus Iudaeus etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista solemnis sanciretur in posterum. Et miserunt ad omnes Iudaeos . . . . observantes dies sortium et suo tempore cum gladio celebrarent . . . . et illi observanda susceperunt a se, et a semine suo jejunia, clamores et sortium dies.* Appellatur etiam dies hic *Mardochaei dies* 2. Mach. XV. 36.

Festum Iudith.

2.º Festum ad commemorandam victoriam Iudith, uti colligitur ex ejus libro (cap. XVI. v. ult.): *Dies autem victoriae hujus festivitatis ab Hebraeis in numero Sanctorum dierum accipitur, et colitur a Iudaeis ex illo tempore usque in praesentem diem.* De hoc festo a Iudaeis labente tempore intermisso videbis *Nicolai Lezione ultima sopra Giuditta.*

(1) *Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt etc.*

Encaeniorum.

3.º Encaeniorum ἐγκαινίων idest dedicationis vel renovationis Templi et altaris postquam Hebraei ab Antiochi tyrannide liberati sunt. Hoc festum instituit Iudas ut indicatur prae aliis locis Mach. IV. 59. *Et statuit Iudas et fratres ejus et universa Ecclesia Israel ut agatur dies dedicationis in temporibus suis ab anno in annum per dies octo a quinta et vigesima die mensis Casleu cum laetitia et gaudio.* Ejusdem festi meminit Ioannes X. 22. (1). Consueverunt Iudaei in hoc festo multas accendere lampadas; hinc ab iis aliquando dictum est *festum* sive *luminum dies.*

Festa varia.

4.º Ommittuntur alia multo minus celebria ut 1.º Ξυλοφορία *Xylophoria* sive *oblatio lignorum* ad usum altaris facienda a certis familiis per vices. De hoc festo legendus est Calmet *in* illud (2. *Esdr. X.* 34.) *Sortes ergo misimus super oblationem lignorum;* ejusdem mentionem quoque facit Iosephus (*de Bello lib.* 2. *c.* 17.): 2.º *recepti ignis sacri*: post captivitatem ex reperta aqua crassa ut narratur 2. Mach. I. 18. (2): 3.º *ob caesum Nicanorem* ex 1. Mach. VII. *Et caput Nicanoris amputaverunt et dexteram ejus, quam extenderat superbe.... et suspenderunt contra Ierusalem. Et laetatus est populus valde... et constituit agi omnibus annis diem istam tertia decima die mensis Adar.* Idem colligitur ex 2. Mach. XV. 36. (3).

Annus Sabbaticus, et Iubilaris.

Annus *Sabbaticus*, annus *Iubilaris* pro festis quodammodo habebantur ob ea, quae de his annis statuta erant, ut alibi diximus.

§ 4.

Pro diebus festis a Deo statutis generaliter adnotandum: 1.º Scripturam de his loqui diversis in Pentateucho locis, quae consuli debent: peculiariter vero habetur praescriptio festorum,

(1) *Facta sunt autem Encaenia in Ierosolymis.*

(2) *Diem ignis, qui datus est quando Nehemias, aedificato templo et altari, obtulit sacrificia.*

(3) *Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate praeterire: habere autem celebritatem tertia decima die mensis Adar, etc.*

quae a Deo statuta sunt Levitici cap. XXIII.; victimarum in illis offerendarum Numerorum capp. XXVIII. et XXIX. 2.° Ex dictis, et ex Iosepho (*Antiq. lib. III. cap.* 13.) (1) nullum festum celebratum fuisse a Iudaeis sine holocausto, et laborum vacatione: universim tamen permittebatur opus, quod ad vescendum requireretur, exceptis Sabbatis et die Expiationis. Ex 4. Reg. (IV. 23.) ubi mulieri ad Elisaeum eunti dictum est: *Quam ob causam vadis ad eum: hodie non sunt kalendae neque sabbatum*, colligunt interpretes pios homines solitos fuisse adire diebus festis sacerdotes, vel prophetas, ut sermones de Religione audirent. Id etiam confirmatur Act. (XIII. 14. etc.) ubi de Saulo et Barnaba dicitur: *Ingressi Synagogam die sabbatorum sederunt; post lectionem autem legis et prophetarum miserunt principes Synagogae ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.* 3.° Festa omnia a vesperis ad vesperas extendebantur: (Lev. XXIII. 32.) *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra;* quo loco monemur nomen Sabbati inditum festis omnibus. 4.° Apud Sigonium (*de Rep. Hebr.*) et Lamy (*in Appar. bibl.*) Kalendarium reperiri anni sacri Hebraeorum iis omnibus adnotatis, quae ad festa pertinent. Multa etiam de Festis Iudaeorum apud Zanolini (*Disputationes ad Sacr. Script. spectantes etc.*) et P. Petr. Guarin (*Gramm. Hebr. T. 2.*) etc.

Duo etiam hoc loco credimus non praeterunda: 1.° juxta plures, ex Hebraeorum festis desumi rationem cur septenarius numerus sit apud Hebraeos ac Scripturam ipsam symbolicus. Nam septenariis includebantur praecipua eorum festa, ut septenario dierum, *Sabbatum;* hebdomadarum, *Pascha:* mensium, festa *Tubarum, Expiationis*, et *Tabernaculorum;* annorum, *Sabbaticus* annus; hebdomadarum annorum, *Iubilaris;* 2.° plurimam esse analogiam inter festa Ecclesiae veteris ac novae, quae per se manifesta satis ex superius dictis, et facile consideranti patebit.

ART. V.

De Sacrificiis Veteris Testamenti.

Sacrificii Natura.

Sacrificium est oblatio rei sinsibilis a legitimo ministro facta Deo per realem illius immutationem ad testandum supre-

(1) *Nulla vero festivitas, in qua holocaustum non faciant: aut in qua ex operibus laboris requiem non habeant.*

mum Dei dominium, et nostram subiectionem. Sacrificia, quae cum ipso Mundo coeperunt, ut patet exemplo Abel, Caini (1), et Noe (2), quaeque etiam gentibus Idololatris postea in usu Religionis fuerunt, voluit Deus ut in Iudaica Religione et numero et varietate plura celebrarentur, imo praecipua essent cultus sacri tessera. Praeterea his occupati Iudaei a pernicioso otio, et idololatria revocabantur et ad venerationem veri Dei identidem excitabantur. Tandem variis typis dignitas, et ratio sacrificii Christi, qui finis erat legis, per sacrificia vetera adumbrabatur, ut patet praecipue ex Epistolis Paulli. Ergo leges de sacrificiis Deus ipse Moysi communicavit, quae in Levitico habentur, ex quibus praecipua ad rem nostram excerpimus. Sed primum de aliquibus quaestionibus, quae solent hoc loco agitari, breviter pauca indicabimus, fusiorem de his tractationem relinquentes Theologis et Apologistis.

Quaeritur 1.° an sacrificandi ritum desumpserint Hebraei a Gentilibus idololatris, ut increduli vellent, an potius isti ab illis?

Resp. Ex Scriptura apparet sacrificasse Abel, Cain, et Noe statim ab arca egressum: postea vero sacrificandi morem apud gentes idololatras invaluisse. Ergo non potest ab his desumi origo sacrificiorum.

Quaeritur 2.° An homines sacrificia coeperint adhibere ipsa natura dictante, an potius nutu Dei per Revelationem expresso?

Resp. Ex Gen. IV. et VIII. colligitur quidem Deum rata habuisse sacrificia Abel et Noe, at directe hoc non ostendere sacrificiorum originem. Indirecte tamen putant aliqui evinci ex Sacris Litteris divinam illorum institutionem, ex quo Deus Levit. (XVII. 11.) de sanguine victimarum sic dicat: *Ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sanguis pro animae piaculo sit.*

Revera sacrificia vetera debebant Christum praefigurare, insuper habere vim expiandi; ad haec autem requirebatur divina institutio. Accedit originem *victimarum cruentarum* non satis commode ex inventione humana repeti posse: quare verisimillimum est, Deum protoparentibus lapsis, per mortem immolatorum animalium ostendisse quid per peccatum meruerint, et una sacrificium cruentum Christi Iesu praefigurare voluisse.

(1) *Factum est autem.... ut offeret Cain de fructibus terrae munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et adipibus eorum* (Gen. IV. 3.).

(2) *Aedificavit autem Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* (Gen. VIII. 20.)

Quaeritur 3.º Quomodo veteris legis sacrificia expiatoria peccati fuerint, ut dicitur multis in locis, ac praesertim Lev. (I. 4.) *Ponetque manum super caput hostiae et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens;* et simul Theologi cum Paullo (ad Hebr. IX. et X.) asserant Christum unice expiasse omnia peccata?

Resp. Veteris legis sacrificia per se quidem vim hanc non habuerunt; sed *per fidem Christi*, in cujus nomine tantum homines salvi fiunt, et *per charitatem* in Deum, poterant legalem victimam offerentes veram consequi peccatorum remissionem. Hinc Paullus (ad Hebr. XI.) ait Abel aliosque sanctos veteris Testamenti fide placuisse Deo. Hinc etiam David Psal. (L. 19.) fatetur: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Interim, ut sacrificiorum Veteris Testamenti naturam et adjuncta pro re nostra agnoscamus, haec de iis subjungimus.

Sacrificiorum materia.

Res, quae sacrificari poterant ex lege vel animatae erant vel inanimatae. Ex animalibus sola munda jussit Deus sibi offerri, et quidem inter ipsa, ut ex variis locis eruitur, octo sollummodo, nempe ovem, capram, haedum, bovem, vitulum, columbam, passerem, et turturem, quae octo saltem ante dies fuissent in lucem edita, et absque macula. Ita legitur Levit. (XXII. 27.) *Bos, ovis, et capra cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suae: die autem octavo, et deinceps offerri poterunt Domino*: Deut. (XV. 21.) *Sin autem habuerit maculam vel claudum fuerit vel caecum aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo;* (XVII. 1.). *Non immolabis Domino Deo tuo ovem et bovem, in quo est macula aut quippiam vitii quia abominatio est Domino Deo tuo.* Immutatio autem hujusmodi victimae in occisione posita erat.

Res inanimatae aliae erant liquidae idest vinum, oleum et haec per effusionem immutabantur: aliae solidae ut panis, similia, sal, thus, manipulus spicarum virentium, et triticum. Haec autem postquam sacerdos in altum levaverat, variis modis immutabantur; panis in frusta dissecabatur; simila sartagine, clibano vel craticula coquebatur; sal urebatur; thus adolebatur; manipulus spicarum torrebatur; triticum conterebatur. Hinc

Sacrificiorum Divisio.

Sacrificia veteris Legis sic dividi possunt. Aliud *animatum*, aliud *inanimatum*. Animatum juxta finem dividebatur in *holocaustum*, *pacificum*, et *pro peccato*. Inanimatum dividebatur juxta materiem in *solidum*, ut farris et panis, et *liquidum* ut olei et vini.

Animata.

Holocaustum (hebr. עֹלָה *holàh*) erat sacrificium a lege statutum vel ex voto privato aut sponte oblatum, unice ad Dei obsequium; ac in eo tota victima, excepta pelle, comburebatur: unde nomen *holocausti* id est *solidi combusti*. *Pacificum* seu *Eucharisticum* (hebr. שֶׁלֶם *Scèlem*) erat sacrificium non ex praecepto offerendum sed sponte, vel ex voto sive ad gratiarum actionem sive ad novi beneficii impetrationem. Hostia in tres partes dividebatur: adeps et sanguis Deo adolebatur; pectus et armus dexter cedebat sacerdoti sacrificanti: reliquum offerentibus, qui convivium apparabant, ad quod etiam mancipia, viduae, pupilli, pauperes et Levitae invitandi erant. Victimae huic accedebant placentae azymae oleo subactae, quarum una Sacerdoti cedebat. *Pro peccato* (hebr. חַטָּאָה *Chattaàh*) dicebantur sacrificia in lege statuta ad expiandum peccatum sive Pontificis sive aliorum. Generatim una pars hostiae idest adeps et sanguis Deo offerebatur, caetera sacerdoti cedebant, nil vero offerentibus. Pro peccatis Pontificis, et totius populi, ut in die Expiationis praeter adipem et sanguinem reliquum comburendum erat extra castra, ut innuit etiam Apostolus (ad Hebr. XIII. 11.) *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem*, *horum corpora cremantur extra castra.*

Omnia ad haec pertinentia describuntur primis Levitici capitibus; capite vero VII. sermo habetur de sacrificio *pro delicto*, cui ritus praescribitur similis sacrificii pro peccato. Dicitur enim vers. 7. *Sicut pro peccato offertur hostia*, *ita et pro delicto: utriusque hostiae lex una erit, ad sacerdotem*, *qui eam obtulerit*, *pertinebit.*

Quaeritur autem quomodo delictum a peccato differat?

Resp. Opinantur aliqui *peccata* esse transgressiones legum *negativarum non sine testibus* admissas; *delicta* autem esse transgressiones *legum positivarum sine omni teste* commissas; sed plurium sententia est nomine delicti intelligi culpam vel dubiam, vel ob ignorantiam commissam.

Inanimata.

Nunc de Sacrificio *inanimato*, cujus prima species erat *solidorum* nempe panis vel farris (hebr. מִנְחָה *minchàh*: quod aliqui vertunt *fertum*). Hujus tres erant subalternae species, nempe *similae*, *panis*, *spicarum virentium*. Cum vero alia sacrificia propria habeant omnia, hinc passim in Levitico hoc absolute dicitur sacrificium. De eodem speciatim agit Levit. cap. II. *Fermentum* autem et *mel* ab altari exclusum erat (Lev. II.) exceptis duobus panibus fermentatis festo Pentecostes, et sacrificiis pacificis. Altera species inanimati sacrificii erat *liquidorum*, ut vini et olei; et haec *libamina* dicebantur (hebr. נְסָכִים *Nesachim*) (1), de quibus Num. XV. In sacrificio tam solidorum, quam liquidorum partem solum aliquam Sacerdos Deo immolabat, reliqua ejus usibus cedebant.

Porro sacrificia hactenus recensita praecepta erant ex lege statutis diebus, ac praecipue festis tum ut omnium rerum genera Deo offerrentur, tum ut plenius quasi convivium Dei cum hominibus significaretur; tandem ut sacerdotibus ad eorum vitam susteutandam nihil deesset.

Sacrificiorum circumstantiae.

Quod ad tempus sacrificii nota: Aliqua sacrificia quotidie complebantur, nam agnus unus mane, alius vespere immolari debebat: Alia vero in Sabbato, Neomeniis, aliisque festis erant statuta juxta Num. XXVIII.

Quod ad ritus Sacrificii haec erant praecipua: 1.° solum in Templo sacrificium fieri poterat, uti superius innuimus de *Locis Sacris* agentes. 2.° In omni sacrificio Holocausti et Hostiae Pacificae addebatur tamquam appendix et complementum simila, oleum, vinum, sal, thus, quorum complexio *libamentum* dicebatur. Colligitur id ex Num. (XV. 4.). *Offeret quicumque immolaverit victimam, sacrificium similae, decimam partem ephi, conspersae oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin.* Obiter addimus sal fuisse in omnibus sacrificiis et oblationibus praescriptum, uti constat ex Lev. (II. 13.) *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal;* et Marc. (IX. 48.). *Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur;* etsi quidam interpretes ex loco cit. Levi-

(1) Mensura *fertorum*, et *libaminum* e quatuor tesseris constabat, quarum in 1.ª erat vox עֶגֶל *Hèghel*, in 2.ª זָכָר *Zachàr*, in 3.ª גְּדִי *Ghedì*, in 4.ª tandèm חוטא *Chotè*.

tici colligant id tantum praeceptum de sacrificiis similae et panis. 3. In actu sacrificii fuerunt sacerdotis caeremoniae usitatae imponere manus victimae, quasi victimam sacrificio destinaret, qua caeremonia victima in locum sacrificantis substituebatur, ut in ea ostenderetur poena, quam sacrificans promeruit, vel promeriturus esset si peccaret: deinde victimam sursum tollere, quasi Deo eamdem praesentaret. 4.° Non raro ignis miraculose e coelo descendens victimam cremabat, quo signo Deus ostendebat se illam acceptam habere. Vide dicta superius ubi *de Tabernaculo*.

Art. VI.

De Oblationibus, Votis, Sacramentis, et Lustrationibus.

Aderant in Veteri Testamento sacrificia minus proprie talia oblationes nempe multarum rerum, quae Domino consecrabantur sive lege a Deo statuta, sive hominum pietate. De his nunc ex ordine agendum.

§ 1.

Simplices Oblationes.

Iusserat Deus quaedam in sui honorem offerri: quae tamen oblationes nullum peculiare nomen habuerunt. Ita ex lege debebant Hebraei offerre thymiama certis aromatibus compositum perpetuo adolendum in altare thymiamatis (Exod. XXX. 8. 35.); *Uret thymiama sempiternum coram Domino; . . . . faciesque thymiama compositum* etc. Singulis hebdomadibus *panes propositionis* offerendi erant (Levit. XXIV. 5 etc.): *Coques . . . . duodecim panes . . . . ut sit panis in monumentum oblationis Domini. Per singula sabbata mutabuntur*, etc. Primogenita masculina *hominum*, *et jumentorum* offerenda erant ex praecepto Exodi (XIII. 2.): *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel tam de hominibus quam de jumentis: mea sunt enim omnia.* Tandem ad has oblationes referendus est dimidius siclus a singulis Hebraeis vigesimum annum excedentibus offerendus in Templi usus, quoties census fieret populi jubente Deo, vel ex necessitate uti habetur in Exodo (XXX. 12.): *Quando tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli* etc. Recentiori autem aetate *dimidium siclum* seu didrachma, Iudaei ubique terrarum pendebant, Matth. (XVII. 24.), Ios. (*Antiq. XIV.*

12. etc.), quem a Vespasiano Iovi Capitolino post Templum excisum pendere jussi sunt (Dionis LXVI. 8.).

Primitiae.

Quovis labente anno quadruplices primitias offerebant Iudaei nempe 1.ª *Spicarum* die secunda azymorum Lev. (XXIII. 10.): *Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias messis vestrae ad Sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino . . . . . altero die Sabbati.* 2.ª *Panum* in Pentecoste (XXIII. 16.); *Offeretis sacrificium novum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similae fermentatae, quos coquetis in primitias Domini.* 3.ª *Panum* quos familiae domi pinsebant Num. (XV. 21.); *Ita et de pulmentis dabitis primitiva Domino.* 4.ª *Omnium frugum*, ac insuper *vini* in festo tabernaculorum Exod. (XXIII. 19.); *Primitias frugum terrae tuae deferes in domum Domini Dei tui:* Num. (XVIII. 12. 13.) *Omnem medullam olei et vivi ac frumenti . . . . universa frugum initia, quas gignit humus et Domino deportantur, cedent in usus tuos* etc. Ante hanc oblationem res habebantur immundae: hinc illud Paulli ad Rom. (XI. 16.) *Quod si delibatio sancta est, et massa.*

De Primitiarum vero oblatione haec habet Hieronymus (*in Ezech. XLV.*) *At vero primitiva, quae de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offerentium arbitrio relicta. Traditionemque accepimus Hebraeorum non lege praeceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam; qui plurimum, quadragesimam partem dabat sacerdotibus; qui minimum, sexagesimam; inter quadragesimam et sexagesimam licebat offerri quodcumque voluissent.* Eodem loco plura habentur, quibus Hieronymus ea confirmat, quae hoc articulo de *decimis*, aliisque *oblationibus* tradimus.

Decimae.

Decima pars omnium proventuum offerebatur a Iudaeis his legibus: 6.º Levitis solvebant Iudaei decimas omnium frugum quolibet anno, et ex animalibus decimas boum, ovium, et caprarum: ad haec enim reduci possunt juxta interpretes omnia quadrupedia apta sacrificio Levit. (XXVII. 30. etc.): *Omnes decimae terrae sive de frugibus sive de pomis arborum, Domini sunt, et illi sanctificantur . . . . Omnium decimarum bovis et ovis: et caprae, quae sub pastoris virga transeunt quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino:* Deut. (XVI. 23.) *Decimam partem separabis de cunctis fructibus*

tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos. Ipsi quoque Levitae suarum decimarum decimas sacerdotibus offerre debebant Num. (XVIII. 26. etc.): *Praecipe Levitis, atque denuntia; cum acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino idest decimam partem decimae.... offerte Domino et date Aaron sacerdoti.* 2.° E reliquis novem partibus alteram quotannis separabant Hebraei occasione itineris ad Ierusalem tribus festis solemnibus consumendam partim in victu, partim in hostiis, partim in epulis coram Domino una cum Levitis Deut. (XII. 17.); *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti et vini et olei tui, primogenita armentorum, et pecorum, et omnia quae voveris, et sponte offerre volueris et primitias manuum tuarum; sed coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, tu et filius tuus et filia tua, et servus et famula atque Levites, qui manent in urbibus tuis;* et (XIV. 22. etc.) *Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis... et comedes in conspectu Domini Dei tui... et epulaberis tu et domus tua, et Levites.* 3.° Singulis trienniis separabantur tertiae decimae, quae pauperibus, viduis, pupillis, et Levitis in modum eleemosynae distribuebantur, Deut. (XIV. 28.): *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quae nascuntur tibi eo tempore, et repones intra januas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus ac pupillus et vidua qui intra portas tuas sunt et comedent, et saturabuntur.* Porro non solvere decimas, ut in lege praescriptum est, peccatum erat gravissimum ut colligitur ex Num. XVIII. E contrario Tobias laudatur ob illarum solutionem (Tob. I.). Ratio autem et ipsa suadet sapientissimas fuisse leges hujusmodi de simplicibus oblationibus, de primitiis, deque decimis. Congruum enim erat, ut Hebraei undecumque cognoscerent Dei dominium, et ab eo dependentiam, cultus sacri promoverent decus et Templi ministris omnia ad victum praeberent necessaria. Hinc Abraham *decimas* de praeda obtulit Melchisedecho, (Gen. XIV.) et Iacob (XXVIII.) vovit Deo decimas omnium proventuum suorum, quod ipse (XXXV.) et posteri ejus observabant. Narrat etiam Plinius (*lib. XVIII. c.* 2.) Romanos quoque primitias obtulisse in Sacerdotum usum; imo decimae spoliorum, proventuum, fructuum sunt antiquissimae, et fere omnibus gentibus cognitae uti constat ex Herodoto (VII. 152.), Pausania (X. 11.); Diodoro (XX. 14. etc.). Hactenus de oblationibus ex lege praescriptis.

§ 2.

Vota.

Oblationes autem aliae, quae sponte ab hominibus fiebant proprie appellantur in Scripturis *vota*, etsi forte aliquando voti nomen iis etiam oblationibus applicetur, quae sunt lege praescriptae. Vota porro sic juvat distinguere. Aliquando vovebant homines se aliquid facturos vel a re quapiam abstenturos in Dei honorem, et vota hujusmodi appellari solent *obligationis:* hujusmodi erat votum Nazaraeorum, de quo supra. Aliquando homines vovebant vel personas vel res in usus sacros, et tunc vota dici solent *consecrationis.*

Haec autem vota consecrationis dupliciter emittebant Hebraei. Aliquando enim res aut persooa irrevocabiliter consecrabatur Deo sine redemptionis jure, et tunc votum in Scriptura dicitur hebraice חֵרֶם *Chèrem*, graece ἀνάθημα *Anathema.* Res aut persona sic devota destruenda erat physice aut civiliter saltem. Enim vero de hoc voto sic loquitur Scriptura Levit. (XXVII. 28. 29.) *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit sive animal sive ager non vendetur, nec redimi poterit. . . . et omnis consecratio quae offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur*, idest juxta meliorem Interpretum explicationem, destruetur modo quo juxta rei cujusque naturam licebat. Hinc ager, aurum, argentum aliaeque res inanimatae, postquam ita fuissent oblatae, ad usum profanum redire amplius non poterant. Animal immolationis capax occidebatur in sacrificium si quidem sacrificio aptum esset; sin minus, extra sacrificium interficiebatur. Homines innocentes civiliter moriebantur, quatenus negotiis saecularibus abdicatis cultui divino perpetuo deputati existebant, fere ut religiosi nostri, et sanctimoniales. Hostes a Deo morti addicti ad internecionem usque delebantur. Ita Chananaei ab Hebraeis devoti sunt Deo Num. (XXI. 2.) *At Israel voto se Domino obligans ait: si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus:* ita Ierico *anathemate* a Deo perculsa est: Ios. (VI. 17.) *Sitque civitas haec anathema; et omnia, quae in ea sunt Domino.* Ex his patet quo sensu Paullus optabat fieri anathema pro fratribus; (ad Rom. IX. 3.) *Optabam enim ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.*

Quod si quaeratur an integrum cuique esset, Deoque gratum vota hujusmodi emittere: in eam rem verba afferemus Calmet, qui *Dissert. in Iudic. de voto Iephte*, haec de *cherem* sive *anathemate* habet. *Communis reipublicae et familia-*

rum ratio exigebat ut sui essent judices rebus hisce cognoscendis et dirigendis constituti, qui eventus discernerent varios, quando scilicet impleri vota illa, quando remitti deberent. Facile haec omnia ad Sacerdotes deferebantur, quemadmodum et caeterae quaestiones arduae et implexae. Tandem facile credimus raro quidem de his rebus negotium factum fuisse judicibus.

Aliquando vero res personave consecrabatur quidem Deo per votum, sed animo redimendi juxta inferius dicenda.

De his, quae hactenus diximus nota: 1.° Praeceptum erat Hebraeis ut in iis quae offerebantur, perfectionem exquirerent, et munditiem. Hoc de animalibus statuit Scriptura Levit. (XXII. 21. etc.) *Homo, qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens vel sponte offerens tam de bobus quam de ovibus immaculatum offeret. . . . omnis macula non erit in eo: si caecum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas aut scabiem aut impetiginem; non offeretis ea Domino... bovem et ovem, aure et cauda amputatis, voluntarie offerre potes, votum autem ex eis solvi non potest. Omne animal quod vel contritis, vel tusis, vel sectis ablatisque testiculis est, non offeretis Domino.* De Decimis Num. (XVIII. 29.): *Omnia quae offeretis ex decimis . . . . optima et electa erunt.* Ex paritate rationis concludunt Interpretes de qualibet oblatione id fuisse praeceptum. 2.° Ea, quae Deo erant oblata, excepto voto *Chèrem*, primitiis quoque et decimis forte exceptis, redimi poterant, dummodo levitae et sacerdotes vel pecunia vel alia ratione compensarentur juxta regulas a Deo assignatas Lev. (XXVII.), quas regulas in ordinem concinne redigit a Lapide in *Synopsi* illius capitis. 3.° Quamvis Deus in lege Moysi tradita regulas praescripserit de oblationibus variis, tamen eas etiam ante Moysem in usu fuisse, uti etiam sacrificia, vel ab initio mundi, colligitur ex ipsa Scriptura, quae narrat Gen. (IV. 3.) Cain obtulisse Domino de fructibus terrae, Abelem autem de primogenitis gregis: *Factum est autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terrae munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum;* Abraham obtulisse decimas Melchisedech sacerdoti de praeda hostium (XIV. 20.): *Et dedit ei decimas ex omnibus;* pariterque de Iacobo (XXVIII. 22.): *Cunctorumque quae dederis mihi, decimas offeram tibi;* quibus verbis Iacob vovet Deo decimas omnium rerum suarum. Alia exempla ommittimus. 4.° In libro Num. (XXX.) declaratur quae personae aptae sint, quae non, votis et juramentis emittendis, idest statuitur ut maritus uxoris vota, pater filiae irritare possit, dummodo id faciat ea ipsa die, qua id cognoverit. 5.° In Scri-

ptura severe inculcatur ne homo negligens sit in iis Deo reddendis, quae etiam per spontaneum tantummodo votum illi debet: uti Deut. (XXIII. 21. etc.) *Cum votum voveris Domino Deo tuo non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es.*

§ 3.

Sacramenta.

Hoc loco opportunum arbitramur aliqua de *Sacramentis* Veteris Testamenti animadvertere. Admittunt enim unanimiter Theologi et Interpretes fuisse in lege veteri Sacramenta, nempe caeremonias sacras et sensibiles a Deo firmiter institutas ad significandam sive praefigurandam Christi gratiam, simulque aptas ad producendam sanctitatem legalem et externam, vi cujus homines mundi reputabantur et participes fiebant sacrificiorum aliarumque rerum sacrarum, ex. gr. ingressus Templi. Veram enim Christi gratiam figurabant solum, at per se dare non poterant. Hoc sensu ait Ioannes (I. 17.): *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Paullus vero (ad Gal. IV. 9.) verbis illis *infirma et egena elementa* indicat juxta multos interpretes Sacramenta V. T. et (ad Hebr. X. 1.) ait: *Umbram enim habet lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.*

Innumera sunt alia Novi Testamenti loca, quibus haec duo memorantur legem scilicet veterem fuisse novae figuram et non valuisse ad gratiam conferendam. Huc referri potest quod Eugenius IV. habet (*in Decreto de unione Armenorum in Concilio Florentino*) *Novae legis septem sunt Sacramenta.... quae multum a Sacramentis differunt antiquae legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Dein Concilium Trid. (*Sess. VII. can.* 2.) ait, *Si quis dixerit ea ipsa Novae Legis Sacramenta a Sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae, et alii ritus externi, anathema sit.*

Sunt enimvero, qui ab hac generali regula de Sacramentis veteris legis excipiunt *Circumcisionem*, quam justificantem gratiam peperisse dicunt in remedium peccati originalis, uti *baptismus*, cujus illa erat figura, idque praecipue quia Geneseos

(XVII. 14.) dicitur: *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Ita Scotus, aliique. Sed sunt alii, ut Angelicus et Bellarminus, qui *Circumcisionem* quidem necessariam fuisse agnoscunt, ut quis pertinere posset ad populum Dei electum, nullam vero rationem sufficientem recognoscunt excipiendi eamdem a generali *infirmitate et egestate elementorum* veteris legis quod ad gratiam interiorem producendam. Deinde etsi *Circumcisio* gratiam contulisset parvulis, ut ab originali mundarentur, non hanc habuisset vim quatenus sacramentum legis mosaicae, sed aliunde, et quemadmodum nonnulli ajunt, ut sacramentum legis naturae, sive ut signum quoddam sensibile cum protestatione fidei in Messiam ad originalis peccati remissionem.

Si quaeras autem quaenam in veteri lege suppeterent media hominibus ad gratiam justificationemque assequendam; respondemus 1.° pro parvulis, ab originali culpa mundandis divinae quidem providentiae consentaneum fuisse videri, ut remedium aliquod statuerit illis applicandum; quodnam vero hoc fuerit prorsus ignoratur. Quamvis enim ut superius diximus, aliqui assignent *circumcisionem*, (ut praeteream id esse incertum) tamen remedium aliud assignandum esset pro foeminis, et pro masculis ipsis ante octavum diem decedentibus: 2.° adultis comparanda erat gratia per actus virtutum nempe fidei, spei, charitatis, contritionis. Et sane fidem in Christum sive in Mediatorem venturum necessariam fuisse in Veteri Testamento ad salutem assequendam colligi potest ex pluribus Scripturarum locis, inter quae: Act. (IV. 12.) *Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* (Ad Gal. II. 16.) *Non justificatur homo ex operibus legis) nisi per fidem Iesu Christi.* Fuse hoc prosequitur Augustinus (*Epist.* 89. *ad Hilar. Quaest. de pecc. origin.*). Insuper de contritione ait Tridentin. (*Sess. XIV. c.* 4.): *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Bonorum tandem operum influxus in justificationem innuitur a Paullo pluribus locis, ac a Iacobo (Epist. II. 22.) de Abraham: *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius et ex operibus fides consummata est.* Uberiorem de his sermonem relinquimus Theologis. Consulatur Suarez *de Sacramentis in genere, et de Poenitentia.*

Haec autem erant Veteris Testamenti Sacramenta, atque eorum ratio juxta Angelicum (1. 2. *quaest.* 102. *art.* 5.), cujus verba afferimus: *In istis sacramentis veteris legis quaedam pertinebant communiter ad totum populum, quaedam autem specialiter ad ministros, et circa utrosque tria erant necessaria. Quorum primum est institutio in statu colendi Deum,*

et haec quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per circumcisionem, *sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium: quantum vero ad Sacerdotes per Sacerdotum* consecrationem. *Secundo requirebatur usus eorum, quae pertinent ad divinum cultum, et sic quantum ad populum erat* esus paschalis convivii, *ad quem nullus incircumcisus admittebatur, ut patet Exod. XII. et quantum ad Sacerdotes* oblatio victimarum et esus panum propositionis *et aliorum, quae erant Sacerdotum usibus deputata. Tertio requirebatur remotio eorum per quae aliqui impediebantur a cultu divino, scilicet immunditiarum; et sic quantum ad populum institutae erant quaedam* purificationes *a quibusdam exterioribus immunditiis, et etiam* expiationes *a peccatis. Quantum vero ad Sacerdotes et Levitas erat instituta* ablutio manuum ac pedum et rasio pilorum. *Et haec omnia habebant rationales causas et litterales secundum quod ordinabantur ad cultum Dei pro tempore illo et figurales secundum quod ordinabantur ad figurandum Christum.* De Sacramentis primae et secundae ex assignatis ab Angelico classibus nihil hic occurrit addere iis, quae alibi tradita sunt. De tertia classe sive *de purificationibus* speciatim hoc loco agendum nobis est.

§. 1.

Lustrationes.

Aderant ergo inter sacramenta etiam illa, quae erant ad removenda divini cultus impedimenta sive ad immunditias legales, externasque abstergendas a Deo instituta, et *lustrationes* quaedam erant, vel *purificationes. Immunditiae* autem seu *pollutiones* aliae *personarum* fuerunt, aliae *rerum.*

Immunditiae personarum praecipuae erant: 1.ª Puerperium: Lev. (XII. 2. et seqq.) *Mulier si suscepto semine pepererit masculum immunda erit septem diebus .... ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suae. Omne sanctum non tanget nec ingredietur in sanctuarium donec impleantur dies purificationis suae. Sin autem pepererit faeminam, immunda erit duabus hebdomadibus.... et sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suae*: 2.ª Menstrua: (XV. 19.) *Mulier, quae redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur*: 3.ª Fluxus seminis; (XV. 2.) *Vir, qui patitur fluxum seminis immundus erit*: 4.ª Concubitus conjugalis; (XV. 16.) *Vir de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum, et immundus erit usque ad vesperum*: 5.ª Nocturnae pollutiones; Deut. (XXIII. 10.)

Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperum lavetur aqua: 6.ª Lepra; Levit. (XIII. 46.) *Omni tempore, quo leprosus est et immundus, solus habitabit extra castra*: 7.ª Tactus mortuorum corporum ossium, ingressus ad eorum domos; Numer. (XIX. 11. 14.) *Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus, aspergetur etc. qui ingrediuntur tentorium etc.*: 8.ª Contactus rei immundae; Num. (XIX. 22.) *Quidquid tetigerit immundus immundum faciet, et anima, quae horum quippiam tetigerit immunda erit usque ad vesperum*: 9.ª Comestio carnium immundarum, sanguinis, adipis, morticini, vel laniati a bestiis; Exod. (XXII. 31.) *Carnem, quae a bestiis fuerit praegustata non comedetis*: Lev. (XXII. 8.) *Morticinum et captum a bestia non comedent nec polluentur in eis*: (Vide infra cap. V. Art. IV. ubi *de Victu Iudaeorum.*). Nomine autem morticini ait Hieronymus, intelligendum esse corpus animalis mortui sine sanguinis effusione: 10.º Sacerdotes per sola quoque signa luctus de defuncto contaminabantur, ideoque illis signa luctus nonnisi de mortuis parentibus, filiis, fratribus et sororibus, in domo paterna existentibus, permissa: summo autem Sacerdoti de quocumque mortuo interdicta erant: (Lev. XXI.).

Res quoque nonnullae immunditiam contrahebant, ut lectus, stragula, vasa, aliaque humanis usibus accommodata, quae contigissent menstruatam, seminifluum, leprosum etc. ex Lev. XV. His recte accenseri possunt morticina immundorum et reptilia ex Lev. XI. praecipue vers. 43. (1). Pro his autem immunditiis generaliter adnotamus 1.º quae in se immunda erant, immunditiam suam transtulisse in tangentes: sed quae facta essent immunda per contactum, non transfundebant immunditiam suam: uti fere apud nos, licet dum commercium cum excommunicato habetur, excommunicatio aliqua incurratur, non tamen haec ulterius procedit. 2.º Quaedam immunditiae praecepto Dei erant vetitae, ut comedere carnes immundas, aut sanguinem, et haec peccata erant, quasi uti nostrae irregularitates *ex delicto*. 3.º Aliae non erant vetitae, sed solum indicatae et statutae, et haec non erant peccata, sed solum inducebant quamdam legalem irregularitatem, per quam Hebraei ingredi non poterant Sanctuarium ante expiationem, quam si neglexissent tunc peccassent: (Vide a Lapide *in Levit. XV. 4. 22.*). Immunditiae hujusmodi perinde ac nostrae irregularitates *ex defectu* sunt censendae. 4.º Non omnes immunditiae aequaliter

(1) *Nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis.*

durabant, sed pleraeque uno die, aliae septem diebus, aliae quadraginta, diutius aliae.

Legales istae immunditiae institutae sunt ad mores Israelitarum informandos, ad idololatriae occasiones removendas, ad reverentiam Sanctuario conciliandam, ad jugem Dei memoriam conservandam, ad significandam immunditiam peccati et similia. Vide Natal. Alex. *de Vet. Test. Aetat. IV. Diss. III. Art. 4.*

Ad immunditias omnis generis expiandas statutae erant, ut diximus, *purificationes* et *lustrationes*, quas omnes descriptas habes in Pentateucho, et praecipue in Levitico. In genere erant *sacrificia*, *lotiones*, *aspersiones*, et *unctiones*. In his lustrationibus, aqua miscebatur sanguini, ne hic concresceret. Lana coccinea et hyssopus adhibebatur ut aspergillum, tum propter earundem rerum densitatem, a quibus facile retinebatur aqua, tum propter mysticas significationes; nam lana praefigurabat Christi innocentiam et candorem; color coccineus peccatum; hyssopus, qui calidissimus est et humi serpit, charitatem et humilitatem. Ita Paullus lustrationem describens ad Hebr. (IX. 19.) a Moyse factam, dum lege accepta foedus inivit cum Deo, ait: *Accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit.*

Celebris prae aliis erat *lustratio*, quae adhibebatur pro contactu mortuorum (hujusmodi immunditia tantum exprimitur in usu talis lustrationis) adhibitis cineribus *vaccae rufae*, de qua Apostolus loquitur (loc. cit. vers. 12.) *Si enim.... cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*, etc. Hujus ritus describitur Num. XIX. Sacerdos immolabat vaccam rufam quae nunquam jugum portaverat (sanguineus color peccatum figurabat), extra castra. Cineres illius servabantur, atque in hydriam vel aliud vas injiciebantur cum aqua, et cum ea aspersiones postea fiebant lustrationis.

Art. VII.

De Doctoribus, Sectis, et Schismatibus.

§ 1.

Doctores.

Rabbini.

Prophetae dum floruerunt simul Doctorum legis officia implebant, et scholas habebant ad discipulos erudiendos, ut alibi

etiam indicavimus. Deficientibus autem Prophetis non ideo defuerunt scholae et discipuli pro studio Scripturarum et Traditionum. Discipulus vocabatur תַּלְמִיד *Thalmìd*, et quando optime doctrina pollebat inter sapientes computabatur. Hi circa Christi tempora appellari coeperunt רַבָּן *Rabbàn* sive רַבִּי *Ràbbi* a voce רַב *Rab* (al. *Rav*) hoc est *magnus*, seu *multiplicans*, quae significat etiam: *Dominus*. Non desunt vestigia Academiarum inter Hebraeos, cujusmodi dicunt aliqui fuisse Abelam: (2. Reg. XX. 18.) *Dicebatur in veteri proverbio: qui interrogant, interrogent in Abela: et sic perficiebant.* Ex Iosue (XV. 15.) putant pro Chananaeis fuisse *Dabir*, quae prius vocabatur *Cariath-Sepher* et comparari poterat Athenis Graecorum: *Atque inde conscendens venit* (Caleb) *ad habitatores Dabir, quae prius vocabatur Cariath Sepher idest civitas litterarum.*

De scholis Hebraeorum videatur Calmet *Dissert. in Ieremiam.*

Scribae.

Scribae dicebantur סוֹפְרִים *sopherìm* (narratores) graece vero γραμματεῖς, (litterati). Inter Scribas alii inquit Calmet (Dissert. de *Praefectis in Paral.*) erant *tabelliones*, a quibus publica monumenta et privatae scripturae in tabulas referebantur. Alii *a secretis* erant Regum. Tandem alii describebant, simulque exponebant sacros libros. Hoc sensu hic Scribas consideramus, qui idcirco non solum doctores, sed et interpretes ac expositores dicebantur, ac simul etiam Legisperiti: et quemadmodum munus Prophetae hoc nomine spectati, erat Dei voluntatem annuntiare, ita Scribae erat legem ejus interpretari. Hinc illud Christi Matth. (XXIII. 2.) *Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite.* Quaevis tribus suos habebat Scribas sed Levitica potissimum, quia ceteris curis prope soluta, majore etiam ad litteras addiscendas legisque studium otio abundabat. Scriba fuit Esdras, de quo dicitur 1. Esdr. (VII. 6.) *Et ipse* (Esdras) *scriba velox in lege Moysi.*

§ 2.

Sectae.

Sadducaei : צְדוּקִים .

Ubi Prophetiae cessavit lumen, Sectae nonnullae inter Hebraeos pullularunt (1). Antiquissima et anno a creatione mundi plus minus 3460. orta, secta fuit Sadducaeorum (2) ab auctore Sadoc (3), qui post Simonem cognomento Iustum, et Antigonum Sochaeum, Pontificatum gessit anno ante Christum 290. Sadducaei negabant resurrectionem, credebant animas mortales, omnia libero hominis arbitrio adscribentes, contendebant nullum existere spiritum bonum vel malum, Deum non omnia videre, et solum Pentateuchum admittebant. Hoc autem postremum aliquibus videtur inverisimile, cum libri Prophetarum publice legi consueverint in Templo, et Sadducaei non interdicerentur a sacris apud Hebraeos. Sadducaei insuper ex aliis libris praeter Pentateuchum pro suis sententiis argumenta depromunt. Tandem Iosephus (*Antiq. XIII.* 10.) traditiones tantum et decreta majorum a Sadducaeis repudiata dicit.

Pharisaei : פְּרוּשִׁים .

Pharisaei (4) legem ad scrupulum interpretabantur, traditiones varias adjungebant, ambitiose ducebant vitam, summam ostentantes religionem, unde Deo se acceptissimos esse gloriabantur Luc. (XVIII. 11.). Hinc tot eorum superstitiones circa

(1) Iuxta Iosephum (*Antiq. XV.*) tres praecipue sectae ortae sunt ex studio graecae philosophiae: *Pharisaei* scilicet, qui *Stoicis*, *Sadducaei Epicureis*, *Esseni Pythagoreis*, simillimi erant.

(2) Aliquoties Sadducaei veniunt sub nominibus מִינִים *Minìm*, אֶפִּיקוֹרִים *Epikorìm*, קְרָאִים *Karaìm* hac tantum varietate, quod Karraei admittant, *Resurrectionem*, et justos praemio esse afficiendos, injustos autem aeternis poenis cruciandos.

(3) Non tantum a Saddoco, quam a Baithoso, qui aeque ac Sadoc fuit Antigoni discipulus, Sadducaei originem trahunt, licet illum veluti nothum dedignentur.

(4) Aliqui inter Philologos *Pharisaei* nomen derivarunt a radice פָּרַס *Paras*, *partitus est*, *divisit* etc. sed fere omnes e contra derivari concedunt a פָּרַשׁ *Parasc*, quae *in Niphal*, idest נִפְרַשׁ sibi vult *separari dividi* etc. uti Ezech. 34. v. 12., separati enim erant a caeteris hominibus: et haec opinio magis arridet.

observantiam Sabbati, manuum lotiones, et alia hujusmodi. Ex iis plerique erant insuper Scribae. Notat Iosephus (*Antiq. XIII. c.* 17.) Hierosolymis populares frequenter se adjunxisse Pharisaeis, optimates vero Sadducaeis.

De sectis hactenus indicatis juvat adducere tamquam historicum monumentum, quae apud Calmet *Comment.* libro quarto Machabaeorum (apocrypho) habentur (cap. VI.): *Erant Iudaeorum eo tempore tres sectae: una Pharisaeorum idest segregatorum seu religiosorum, quorum institutum erat asserere quidquid in lege continetur secundum praedecessorum expositiones. Secunda Sadducaeorum, et sunt asseclae viri cujusdam de doctoribus nomine Sadoc, quorum institutum erat asserere secundum ea, quae praecipiuntur ex textu legis, et de quibus demonstratur ex ipsa Scriptura, non autem quod in textu non extat, nec demonstratur ex eo. Tertia vero secta erat Hasdanim seu virtutibus operam navantium.... incumbebant enim operibus, quae ad praestantiores virtutes accedebant, quod est seligere ex istis duobus institutis, quod est, tutius in fide, securius, ac cautius.*

Herodiani : עַבְרֵי הוֹרוֹדוֹס (1).

De Herodianis mentio occurrit apud Matth. (XXII. 16.): *Et mittunt* (Pharisaei) *ei discipulos suos cum Herodianis etc;* et apud Marc. (III. 6.); *Exeuntes autem Parisaei, statim cum Herodianis consilium faciebant adversum eum;* (XII. 25.): *Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisaeis, et Herodianis ut eum caperent in verbo.* Conflabant isti sectam illorum, qui favebant Herodi. Sed non est satis exploratum quisnam fuerit Herodes, a quo secta nomen sumpsit, et quinam essent proprii hujus sectae errores. Alii putant fuisse Herodem magnum a patria Ascalonitam vocatum, quem Messiae honores affectasse referunt: alii Herodem Antipam illius filium, qui occidit Ioannem Baptistam, quemque plurimi adulabantur.

De Pharisaeis, Sadducaeis, Herodianis etc. egregie scripsit Calmet *Dissert. in Evang. Marci:* et Zanolini, *Disputationes ad Sacram Scripturam spectantes* etc.

Hemerobaptistae: Ημεροβαπτιςαὶ.

Hemerobaptistae erant hominum genus, qui singulis diebus sese aqua abluebant, quod necessarium dicebant ad recte vi-

(1) עַבְרֵי הורודוס *havdè* (al. *habdè*) *horodus*, idest servi *Herodis*.

vendum. Cum Sadducaeis negabant resurrectionem, in caeteris cum Pharisaeis consentiebant. De his Epiphan. *contra haeres. T. 1. L. 1. num.* 17.

Zelotae : Ζηλωταὶ *seu Galilaei :* Γαλιλαῖοι.

Addunt aliqui sectam illorum, qui anno Christi XII.° duce Iuda Gaulonita, sive Galilaeo ex urbe Gamala, zelo exarserunt contra Romanos, detrectantes eis tributum postquam Iudaea in provinciam Romanorum est redacta. Eorum zelus potissimum nitebatur verbis illis Deut. (XVII. 15.) quibus Deus eligi prohibuerat regem alienigenam. *Non poteris alterius gentis hominem regem facere qui non sit frater tuus.* Isti sunt juxta multorum opinionem qui appellabantur *Zelotae;* at inter Apostolos Iesu Luc. (VI. 15.) Simon dicitur *Zelotes;* et Actor. (XXI. 20., XXII. 3.) etiam inter Christianos primaevos erant *aemulatores legis*, seu *Zelotae* eo solum nomine quod observationem legis Mosaicae urgerent.

§ 3.

Schismata.

Samaritani : שֹׁמְרֹנִים.

Etsi Israelitae, sive decem tribus, qui Ieroboam adhaerentes schisma conflarunt et Samariam incoluerunt, schismatici *Samaritani* appellari possint juxta alibi dicta; nihilominus propria ac recepta Scripturarum phrasi eo nomine significantur illae gentes, quae Israelitis in captivitatem abductis postmodum regionem Tribus Ephraim et Manasse incoluerunt, atque a Metropoli *Samaria* dicti sunt *Samaritani.* Gentes autem hujusmodi constabant partim ex coloniis, quas Assyrii illuc miserant, quarum praecipua pars Cuthaei erant, partim ex Israelitis, qui captivitatem effugerant sive qui ex ea reduces erant, partim tandem ex Iudaeis nonnullis, qui ad Samaritanos transmigrarunt. Idololatrae quidem hae gentes primitus fuere, at sensim ad adorandum eumdem Iudaeorum Deum inducti sunt, cui etiam tempore Alexandri aedificarunt Templum in monte Garizim. Atque hi proprie sunt *Samaritani* quorum historiam colliges ex 4. Reg. (XVII.). Samaritani, pergere nolebant Ierusalem Deum adoraturi contendentes locum adorationis esse montem Garizim, in quo Templum sibi construxerant; non utebantur familiariter Iudaeis; insuper solum Pentateuchum amplectebantur, Messiam tamen prophetam expecta-

bant Ioan. (IV. 25.). Tantum inter Samaritanos et Iudaeos odium erat, ut illicitum sibi esse crederent simul edere et bibere.

Alexandrini : Α'λεξανδρῖνοι.

Alexandrini dici poterant Schismatici. Licet enim in aliis omnibus cum Iudaeis consentirent, in eo tamen contra Dei praeceptum agebant, quod alibi quam Ierusalem sacrificarent, adeuntes Templum, quod Onias Oniae III. filius sibi metuens ob mortem Menelai patrui sui, et in Aegyptum secedens condidit forma simile Templo Hierosolymitano; vide supra ubi de *Templo*. Iudaei tamen Alexandrini et Cyrenenses non raro quoque Templum Ierosolymitanum adibant: Act. (VI. 9.).

Hellenistae : Ε'λληνιςαὶ.

Postquam hebraica lingua desiit esse vernacula, et graeca ubique magis frequentari coepit, quidam fuerunt Iudaei, qui graecas versiones legerent in Synagogis, contemnentes caeteros Iudaeos, qui Bibliis Hebraicis uterentur. Hi vocati sunt *Hellenistae* sive *Graecizantes*, et tempore procedente pro Schismaticis habebantur.

Karraei : קְרָאִים. ***Rabbanitae*** : רַבָּנִים.

Karraei sive Karaitae (1) majorum traditionem respuebant, unice litterae adhaerentes. Rabbanitae e contra nullam amplectebantur explicationem nisi juxta traditiones ipsorum, falsas saepenumero, et ridiculas. Karraei sectam suam conflarunt quando Thalmud invectum fuit. Plura de ***Karraeis et Rabbanitis*** habet Simon (***Hist. Crit. Vet. Test. lib.*** 3. ***c.*** 5.), et Trigland (***de Secta Karraeorum***).

(1) Karraei dicti sunt a radice קָרָא (*Karà*) *convocavit*, *legit* etc. unde est etiam מִקְרָא (*Mikrà*) *convocatio*, *Scriptura Sacra*, quasi *lectura* dicta Exod. XII. 16. Nehem. VIII. 8. Iudaei vero hos veluti pessimos haereticos inspiciunt, quos מַמְזֵרִים (*Mamserim*), idest *nothos* appellant.

CAPUT V.

DE REPUBLICA HEBRAEORUM.

Art. I.

De forma Reipublicae, sive de Magistratibus.

§ 1.

Theocratia: Θεοκρατία.

Respublica Hebraeorum nata est in Sinai. Nam quum posteri Iacob in Egypto augerentur, *Imperium Patriarchale* conservarunt. Quilibet nempe paterfamilias potestatem paternam exercebat in suos domesticos, et quaelibet Tribus parebat Principi suo. Omnes itaque primores populi appellabantur *Capita Tribuum*, *Senes* seu *Senatores*, et regimine paterno gubernabant tribus et familias, bonum commune curantes; caetera enim patresfamilias sibi vindicabant. Sed postquam Deus Hebraeorum populum, quem in suum delegerat a servitute aegyptiaca liberaverat, in monte Sinai solemni legum promulgatione populum eumdem in Rempublicam colligavit acceptatione et plausu ipsius populi. Hinc Deus ait Hebraeis: *Si ergo audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta... Responditque omnis populus simul: Cuncta, quae locutus est Dominus, faciemus:* Exod. (XIX. 5. etc.). Cum autem Reipublicae hujus finis esset, ut Dei cultus servaretur, et ut via sterneretur Messiae, ita Religionem cum Politia conjunxit Deus ut qui in sacros ritus peccaret, simul rei publicae hostis judicaretur. Interim Deus, qui omnibus nationibus dominatur, et totum mundum Providentia sua regit, peculiari tamen modo dominatus est in hac republica, ac populi regimen sibi reservavit, eique tribuebantur, quae in juribus sunt Principum, Regum, Imperatorum. Hinc Deus in Tabernaculo, ut Imperator in Praetorio, circumdabatur exercitu Israelitarum, castraque ad illius nutum movebantur, nec non caetera pro regimine populi mandabantur. Ita Deus ipse Exod. (XXV. 22.) ait ad Moysen: *Inde praecipiam tibi, et loquar ad te supra propitiatorium ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quae mandabo per te filiis Israel.* Hoc

idem confirmatur Exod. (XXIX. 45.) (1). Hinc etiam Deus selegerat incredibilem numerum Sacerdotum, Levitarum, Nathinaeorum, qui tribunorum instar ac centurionum ministrarent in Templo, et excubias agerent. Hinc etiam tributum singulis imposuit, primogenitos sibi reservavit, primitias ac decimas.

His omnibus ante oculos propositis patet formam hujus, quam Deus instituit, Reipublicae, rectissime appellari Theocratiam Θεοκρατίαν sive Dei Principatum. Quod quidem multa confirmant, ac 1.º Scriptura ipsa; nam, Hebraeis Reipublicae formam mutare cupientibus ac Reges petentibus, Deus Samueli, qui ut Iudex imperabat, ait 1. Reg. (VIII. 7.): *Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*: 2.º Patrum testimonia, inter quos Theodoretus in illud Psalmi (CXLIX. 2.) *Filii Sion exultent in rege suo*, ait: *Omnium quidem Deus universitatis est Deus: proprie autem Israelitarum Rex nuncupabatur*: 3.º Interpretes ac Theologi passim, uti videre est apud a Lapide (*in* 1. *Reg. VIII.* 6.); et Bellarminum (*de Rom. Pontif. Lib.* 1. *c.* 2.): 4.º Hebraei ipsi Theocratiam a Deo institutam fatentes cum Iosepho Flavio (*l.* 2: *contra Appionem*). Hanc Theocratiam fatentur ipsi Neoterici, qui ad Protestantium errores et Deistarum inclinant: sed et ipsam erroribus suis adspergunt. Ita aliqui cum Iahnio (*Archaeol. Part. III.*) dicunt Moysen regiminis hanc formam invexisse ad Reipublicae stabilitatem facilius obtinendam. Quod quidem eo sensu verum est, quia nempe in Dei Cultu et Religione felicitas quoque civium fundatur: at falsum si nihil aliud spectetur in lege, quae ex superius dictis, et ex characteribus ipsius, de quibus artic. sequenti, pro fine primario Dei cultum, bonum aeternum hominis, Christum respicit. Sunt alii, ut Paullusius (*Tom. I. comment.*), qui dicunt Moysen sese accommodasse genio et persuasioni communi gentium, quae peculiarem Deum unius tantum nationis curantem colunt, sicque Moysen introduxisse Deum Hebraeorum, ut Minos Iovem in Creta, Lycurgus Apollinem Spartae, Numa Aegeriam Romae. Hoc autem quantum abhorreat a Dei natura, quem colebant Hebraei, quantum repugnet Scripturae veritati, nemo est qui non videat. Et sane quod apud alios populos de diis tutelaribus fictum erat, apud Hebraeos veritate nitebatur; et si alibi, ut quidam sapienter monuit, Religio erat medium ad salutem civitatis, apud Hebraeos civitas erat medium ad conservandam Religionem.

(1) *Ibique* (in Tabernaculo) *praecipiam filiis Israel . . . . et habitabo in medio filiorum Israel.*

Iam vero in hac Republica indigebant homines rectore visibili, quem adire et appellare possent praesertim cum vix ferre possent terribilem Dei praesentiam. Hac de caussa praefecit Deus illis homines, tamquam suos Pro-Reges, qui nullo modo a populo sibi subjecto, sed a solo vero Rege Deo penderent, sicque intactam Theocratiam relinquerent. Hoc sensu de Moyse, qui primus, ut decimus electus fuit, ait Paullus (ad Hebr. III. 5.): *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus.* Porro pro varietate magistratuum, quos vice Dei homines gesserunt in hac Republica Theocratica, evenit ut Respublica eadem varias induerit formas, de quibus hic pauca subjungemus ut quantum in nobis est, clariorem Hebraeorum Reipublicae ideam exhibeamus.

§ 2.

Aristocratia: Ἀριστοκράτεια.

Primum selegit Moysen Deus, ut caput totius populi; post eum Iosue, et postea Iudices, qui Rempublicam regerent, et supremum imperium tenerent. Hi judices bella indicebant, exercitui imperabant, et pacem concludebant. At unus homo impar erat huic oneri. Ad illum namque majores populi caussae referebantur; ad eumdem spectabat in minoribus caussis ultima appellatio; tandem ipsius curae omnia, quae ad Dei cultum spectabant, commissa erant. Hinc praecepit Deus Moysi ut eligeret septuaginta Seniores, quibus Deus contulit spiritum illi similem, quo instructus erat ipse Moyses uti patet ex Num. (XII. 16. etc.): *Et dixit Dominus ad Moysen: congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri: et duces eos ad ostium tabernaculi foederis, faciesque ibi stare tecum. Ut descendam et loquar tibi: et auferam de spiritu tuo, tradamque eis ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris.*

De hoc vero spiritu senioribus concesso nota 1.° ablatum eum dici de Moysis spiritu, non quatenus hic in Moyse sit imminutus, sed eo fere modo quo candela, ajunt interpretes cum Origene, ab alia recipit lumen, quin huic quidquam detrahatur: 2.° spiritum hujusmodi fuisse donum divinum, quo seniores illi possent, data occasione, Moysen adjuvare, atque ut illi populum regere, dubia explicare, occulta cognoscere, futura providere scirent, Deique laudibus vacare. Ex illis autem alii curam habebant sacrorum illaesis Leviticae Hierarchiae, Sacerdotum ac Summi Pontificis juribus; alii profana procurabant consultationibus ac judiciis. Forma Reipublicae hoc tempore fuit, ut patet, *Aristocratia* aut saltem *Aristocratia mixta.*

Monarchia: Μοναρχία.

Iudaei a Samuele Iudice petierunt Regem tribus inducti caussis: nempe Samuelis senectute simul ac filiorum ejus impietate; Regnorum, Regumque, qui conterminis praeerant gentibus splendore; spe melioris regiminis ac auxilii. Hoc licet Deo injuriosum, concessum tamen fuit Hebraeis (vide 1. Reg. VIII.). Primus inter Reges fuit Saul, postea David, post quem haereditarium evasit regnum usque ad Sedeciam, qui captivus abductus est Babyloniam. Hoc tempore Reipublicae status fuit, ut patet, *Monarchicus*.

Quaeri autem potest an constitutis Regibus, qui Regnum uti suum ac proprium possiderent, et ad filios ac nepotes transmitterent, Theocratiae forma ablata sit a Iudaeorum Republica, praesertim cum Deus ea occasione Samueli dixerit: *abjicerunt me ne regnem super eos*. Conservatam nihilominus Theocratiam censent bene multi, tum quia extraordinario modo ipsius Dei nutu electus fuerit Saul, ac postea David; Saul exauctoratus, regnum vero in familia Davidis haereditarium constitutum; tum ex eo quod Deus sive immediate per se, sive per suos Prophetas non raro Reges ac populum modo prorsus speciali adjuverit, ac rexerit; tum tandem quia undecim Tribus Davidi Regi Iudae subjecerunt se, quia *Deus Rex eorum vicarium suum designavit*, (vid. 2. Reg. V., 1. Par. XXVIII.), et David disertis idem verbis professus est (1. Paral. XXVIII 7. 10.).

In hac autem sententia verba illa Dei: *ne regnem super eos*, aut explicanda sunt quatenus constitutis Regibus imminutum sit quodammodo immediatum Dei gubernium, quo antea fruebantur Hebraei: aut quatenus reprehendere Deus voluerit impium Hebraeorum desiderium et conatum excutiendi Dei regimen, imitandi gentiles, Samuelem circumveniendi, et similia. Fatendum est tamen temporibus saltem procedentibus, cum sensibilis Dei praesentia paullatim rarior effecta fuerit, ac rariora quoque signa voluntatis Dei extraordinaria, sensim quoque defecisse Theocratiam ut vix distingueretur a generali Dei regimine.

Aristocratia: Ἀριστοκράτεια.

Soluta captivitate coeperunt eligi a populo homines, qui simul essent Summi Pontifices et Duces totius populi Deo approbante, imo etiam ipso (saltem interdum) eligente (vid. 1. Mach. XIV. etc.) Tales fuerunt Machabaei, qui veteribus institutis, et praecipue Seniorum Synedrio restituto, vel saltem

restaurato, gubernarunt. Aristocratia, ut liquet, tali modo fuit restituta. Attamen titulus Regis aliquando sive imperantis ambitione, sive subditorum adulatione datus est alicui, ut Aristobulo.

Monarchia: Μοναρχία.

Extinctis Machabaeis instaurata fuit Monarchia, cum Herodes a M. Antonio, Iudaeae *Tetrarcha*, et deinceps *Rex*, senatu quoque Romano adsentiente designatus, ac ab Augusto confirmatus est. Ommissis porro variis bene notis vicissitudinibus Iudaeae post Herodem, de quibus locuti sumus ubi *de Chronologia*, populus tandem dispersus est, cessante simul Reipublicae Iudaeorum umbra. Haec de primariis Magistratibus, a quibus Reipublicae forma pendebat. Nunc aliqua de inferioribus magistratibus.

§ 3.

Inferiores Magistratus.

1.° Notandum Moysem consilio Iethro soceri sui elegisse viros strenuos ex cuncto Israel, populi suffragiis collectis, quos constituit principes populi, tribunos, centuriones, quinquagenarios, decanos, qui judicarent plebem omni tempore. Hi tamen sub hoc tantum adspectu considerati non habebant spiritum et auctoritatem septuaginta Seniorum, atque rei summam devolvere tenebantur ad supremum tribunal (vid. Exod. XVII.). Addunt nonnulli hos juvasse Moysen in civili administratione, ac in forensibus negotiis: quare hac etiam de caussa postea Deus collegium instituit Septuaginta, ut Moysi in spiritualibus opem ferrent, legem docentes, explicantes etc.

2.° Ex his electos esse alios, qui singulis cognationibus, alios, qui cuique e duodecim Tribubus praeessent, quod forte prae oculis habuit Christus Matth. (XIX. 28.) dicens: *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel;* alios qui singulis civitatibus praeficerentur, ac dicebantur principes *mille* vel *centum* vel *quinquaginta* juxta numerum civium, quibus praeerant. Hinc illud Mich. (V. 2.) *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus*, indicat eam civitatem ita parvam, ut non habeat principem mille hominum. Sic etiam explicant aliqui illud Saulis de Davide 1. Reg. (XXIII. 23.) *Perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda.*

3.° A Iudae Machabaei temporibus delegatae fuerunt cohortes militum ad custodiam Templi, jussui sacerdotum parentes; 1. Mach. (IV. 16.) *Et collocavit* (Iudas) *illis* (in Sion) *ex-*

ercitum ut servarent eum, et munivit eum ad custodiendam Bethsuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumaeae. Qui praeerant dicebantur Duces, sive praefecti Templi. Quidam etiam ad hoc referunt quod legitur: Luc. (XXII. 52.) *Dixit autem Iesus ad eos, qui venerant ad se, principes Sacerdotum, et magistratus templi, et seniores, etc.;* et Act. (IV. 1.) *Loquentibus autem illis* (Petro et Ioanne) *ad populum, supervenerunt Sacerdotes, et magistratus templi et Sadducaei;* idem habes alibi, ac praesertim *in historia passionis Christi.*

4.° Solemne fuisse apud Iudaeos neminem magistratum juberi, nisi habita manuum impositione, ut ipse Moyses et Iosue, et septuaginta Senatores elegit.

De hisce omnibus prae oculis habeatur Calmet *Dissert. in Numeros, de Politia, sive Ratione jus dicendi apud Hebraeos, et potissimum de Sanhedrio:* nec non Cornelii Bertrami liber *de Politia Iudaica tam Civili, quam Ecclesiastica.*

Art. II.

De Legibus.

Civitatis anima sunt Leges, dixit Demosthenes. Sapientissimas revera Leges Deus in Sina tradidit Hebraeis, cum eos in populum collegit. Hoc tamen non ita intelligendum est quasi nihil antea Deus hominibus praecepisset. Nam Adam praeter naturalem legem cordi inscriptam, expressa quoque habuit praecepta a creatore; aliaque etiam habuerunt Patriarchae posteriores partim naturalia, quae gentes omnes respiciunt ac obligant, partim positiva Hebraeorum stirpem respicientia, ut de distinguendis animalibus mundis ab immundis Gen. (VII.); de non sumendo sanguine (IX. 4.) *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis;* de circumcisione (XVII. 10.) *Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Videatur Maimonides *lib. 4. de Proselyto.* Sed in Sina promulgavit Deus codicem perfectum ad Rempublicam Hebraeorum regendam. Praecepta naturalia ac praecipua, insculpta voluit Legislator tabulis lapideis: caetera tum ad Religionem tum ad Politiam pertinentia Moysi tradidit, qui postea eadem scripta reliquit in Pentateucho.

Legis Mosaicae proprietates.

Communes vero ac praecipuae Mosaicae legis proprietates sunt quae sequuntur:

1.° Lex illa data quidem fuit ministerio Angelorum per

Moysen, tamquam per proximum promulgatorem ejusdem, quo sensu, aliis ommissis, dicit Paullus, (ad Gal. III. 19.) de illa: *Ordinata per Angelos in manu mediatoris;* at lex eadem vere divina fuit, sive Deum unice habuit auctorem. Hinc sexcenties haec lex appellatur *lex Domini*, *praecepta Dei*, ac dicitur Exod. (XX. 1.) *Locutus est Dominus cunctos sermones hos;* sive aliud quid simile.

2.º Scopus illius legis fuit Christus, quatenus praefigurare illum debebat, viam eidem sternere, ejusque fidem in hominibus excitare. Hoc sensu explicatur illud Paulli (ad Rom. X. 4.) *Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti;* hinc (1. Corint. X. 11.) *Haec autem omnia in figuris contingebant illis*; tandem (ad Gal. III. 24.) *Lex paedagogus noster fuit in Christo* (Graec. εἰς Χριςὸν idest, *ad Christum*), *ut ex fide justificemur.* Haec urgenda sunt maxime contra Neotericos illos, qui sensum litteralem solummodo admittunt.

3.º Lex Moysis praeterea pro fine habuit felicitatem populi Dei tum in hac vita per bonos mores ac sanctitatem, tum in futura per supernaturalem fruitionem Dei. Ita pluries dicuntur *beati*, qui legem sectantur, et ipsa legis praecepta appellantur *verba vitae.* Christus etiam cuidam interroganti Luc. (X. 25.) *Quid faciendo vitam aeternam possidebo?* respondit: *In lege quid scriptum est?* Similiter apud Matth. (XIX. 17.) (1).

4. Cum lex illa Deum unice haberet auctorem, ac Rempublicam Theocraticam regere deberet, sapientissimis praeceptis constabat, ac provide curabat omnia, quae ad religionem, ad regimina, ad judicia, ad servos, ad jumenta, ad agros etc. pertinebant, ut nos innuimus in texenda Iudaeorum historia, ac clarissime patere potest Pentateuchum legenti. Praecepta porro omnia dividi solent in *moralia*, *caeremonialia*, *judicialia*, quam divisionem assignavit etiam Moyses Deut. (VI. 1.): *Haec sunt praecepta, et caeremoniae, atque judicia.*

5.º Cum lex esset apparatus venturi Messiae, hujus necessitatem utilitatemque ostendebat, ulcus retegendo humanae naturae, ac singula omnino per totidem praecepta enumerando, quae homines exequi, aut vitare deberent.

6.º Cum lex dirigere deberet rudem populum ac carnalem, non pauca significabat per allegorias; ex gr. prohibens alligari os bovi trituranti, praecipiebat mercedem aequam laborantibus dari. Ita etiam Paullus ait (ad Rom. II. 29.) *Circumcisio cordis in spiritu non littera.* Uti enim apud nos

(1) *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

multa proverbiis edocemur, ex ideis, quas cum illis colligatas habemus; ita fere apud Hebraeos multa per allegorias significata retinebantur.

7.° Nil itaque mirum si numero bene multa essent praecepta legis Mosaicae. Hoc est pondus, quod, ajebat Petrus Act. (XV. 10.), *neque Patres nostri neque nos portare potuimus;* cui doctrina semplicissima, ac abundans Christi gratia in lege nova successit.

8.° Si quis plura de lege Mosaica desideret, adeat Suarez *de Legibus Lib. IX.* Si quis vero ipsarum legum Mosaicarum elenchum sive summam ex ordine digestam cupiat, Calmetum legat ***Prolegom. in Deuteron.***

Lex oralis.

Praeter leges scriptas alia bene multa observabant Iudaei, quae partim Moyses ore communicaverat, partim Synedria decernebant, partim doctores explicabant spectantia ad veram legum interpretationem, et perfectum populi regimen. Hanc appellabant *legem oralem.* Haec tamen plura continebat, quae falso Moysi accepta referebantur; unde Christus, Pharisaeos redarguens eam appellabat: *traditionem hominum*, *traditionem vestram* (Matth. XV. 9., Marc. VII. 7. 9.). Ne vero temporis lapsu scholarum dissidia, praesertim inter duas scholas Schammaei et Hillelis, quae florebant etiam ante Christum, neque aliae Iudaeorum vicissitudines *oralem legem* incertam et obscuram redderent, Rabbinus Iudas sub finem II. vel sub initium III. saeculi sub Antonino, publico scripto omnia consignavit, ac codici huic datum est nomen hebraice מִשְׁנָה *Miscnàh:* graece *δευτέρωσις*, sive secunda lex. Opus hoc auctum fuit variis glossis, commentariis, interpretationibus, et tale augmentum dictum est hebraice גְּמָרָה *Ghemaràh*, graece τελέωσις sive perfectio. Ex *Miscnàh* et *Ghemaràh* conflatus est תַּלְמוּד ***Thalmùd***, sive opus doctrinale: totum porro Thalmud Maimonides contraxit in summam brevem et claram sub titulo *manus fortis*, ex quo aliqua, quae hic tradita sunt, fuerunt excerpta.

Caeterum Thalmud pro Hebraeis duplex est. Hierosolymitanum et Babylonicum, quod utpote clarius et facilius pluris faciunt Hebraei, et Legi quoque scriptae praeferre non dubitant.

Scatet vero Thalmud fabellis et absurdis. Docet ex. gr. Deum ad otium vitandum plures condidisse mundos, eosdem illi non placuisse, et hunc tandem creasse caeteris destructis; Deum ipsum quotidie legere Moysis libros; Christum Christia-

nosque maledictis impetit; docet licitum esse falsum jurare pro Iudaeis coram judice extraneo; licitam privatam ultionem cum extraneo, aliaque similia. *De Thalmud* fuse agit Sixtus Senensis ***Bibliotech. Sanct. lib. II.***

Art. III.

De Iudiciis.

Tribunalia.

Non minus pro legibus quam pro moenibus pugnandum docuerunt sapientes. Hinc rectissime in Hebraeorum Republica instituta sunt Iudicia. Duo autem erant tribunalia: unum in singulis civitatibus appellatum *Iudicium*, alterum Hierosolymis dictum ab Hebraeis communi usu *Sanhedrin* vel *Synedrion* συνέδριον latine *Concilium.* Illud levioribus, hoc majoribus vacabat caussis. Hinc Christus Matth. (V. 22.) *Qui irascitur fratri suo reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo: raca, reus erit concilio.* Tribunalia haec instituit Moyses primum ex consilio Iethro, deinde jussu ipsius Dei Deut. (XVI. 18.) *Iudices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio.* Confirmata fuerunt sub Regibus 2. Paral. (XIX. 5.) *Constituitque* (Iosaphat) *judices terrae in cunctis civitatibus Iuda munitis per singula loca;* restituta quoque sunt post captivitatem (1).

Tribunalia primi generis, nempe *Iudicia*, sessiones habebant in portis civitatis, ut patet ex Deuteronomio supra cit., ob majorem in iis populi frequentiam, et ut aditus facilior pateret colonis. Commune id etiam fuit aliis nationibus uti novimus ex Abraham petente sepulcrum pro uxore sua a filiis Heth, Gen. (XXIII. 10.) *Responditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam civitatis illius.* Putant vero nonnulli Hebraeorum historiis inhaerentes, *Iudicia* fuisse in duo subdivisa, quorum unum tribus constans judicibus (seu potius arbitris, quos leges Romanae Iudaeis in caussis civilibus concedebant) judicaret de pecuniis ac bonis; aliud 23. constans judicibus de vita ac morte sententiam fer-

(1) Restitutum id creditur ab aliquibus per Esdram qui plenam obtinuerat ab Artaxerxe facultatem restituendi judicia: (1. Esdr. VII. 25.) *Constitue judices et praesides ut judicent omni populo.* Fatendum tamen non certo constare de forma supremi tribunalis post Moysen, in omnibus saltem.

ret; vid. a Lapid. *in Matth. V.* 22. Contendunt tamen alii tribunal hoc idem fuisse ac tribunal Synagogae, de quo Ioan. (XVI. 2.); 2. Cor. (XI. 24.); quod scilicet solummodo de caussis Religionis tractaret, et nonnisi 40. ictuum (uno minus) poenam infligeret.

Tribunal supremum, quod appellabant *Synedrion* constabat 72. judicibus, qui seniores erant. Isti sessiones habebant in Templo: judicabant de caussis omnium gravissimis, ac de illis rebus, quas judices inferiores reliquissent insolutas. Tribunali huic suprema inerat judicandi potestas et imperandi auctoritas. De hoc enim illud Deut. (XVII. 8. etc.) *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et judicium intra portas tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad Sacerdotes Levitici generis et ad judicem, qui fuerit illo tempore: quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, et facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerit te juxta legem ejus; sequerisque sententiam eorum nec declinabis ad dexterum neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel.* Arbitrantur aliqui *Synedrion* sive magnum Hebraeorum concilium diversis vicissitudinibus obnoxium fuisse, ita ut *Synedrium*, quod erat tempore Christi, toto coelo differret a tribunali, quod Moyses instituit. De hac re videatur Calmet *Dissertr. in Numeros.*

Iudiciorum leges.

Quod ad judices et judicandi formam sanxit Deus: 1.° aequitatis regulam hisce verbis Exodi (XXIII. 1. etc.) *Non suscipies vocem mendacii.... pauperis quoque non misereberis in judicio.... nec accipies munera quae etiam excaecant prudentes, et subvertunt verba justorum*; quod rursus inculcatur Deut. (XVI. 19.) *Non accipies personam nec munera, quia munera excaecant oculos sapientum et mutant verba justorum.* 2.° Cum religio in Republica Theocratica intime esset Politiae conjuncta, ac majores caussae omnes in Templo agitarentur, judices ut plurimum sacerdotes erant, imo tribunal supremum nonnisi sacerdotibus constabat cum Scriptura tribunalis illius judices constituat eos, qui *praesunt loco*, qui locus Templum erat, cui soli sacerdotes praeerant. Immo verba superius citata Deut. *et ad judicem, qui fuerit illo tempore*, Rabbini, plerique commentatores, Iosephus (*lib. 2. contra Appion.*) et Philo

(*libr. de Principe constituendo*) aptant Summo Sacerdoti, qui indutus אֵפוֹד *Ephod*, אוּרִים *Urim*, et תֻּמִּים *Thummim* gerens, Deum consulens divina consilia accipiebat.

Hoc tamen aegre ferentes, qui Ecclesiae nostrae auctoritatem minuere contendunt veteris Ecclesiae exemplo, uti Calvinus, Grotius, aliique, ajunt judicem illum non fuisse Sacerdotem; atque ideo particulae *et* vim apponunt disjunctivae *vel;* quod cum minus contextui cohaereat, facile rejici potest. Quod si nihilominus cum quibusdam sanae mentis interpretibus apud Malvendam τὸ *ad Iudicem* referre velis ad judicem saecularem puta Ducem, Iudicem aut Regem; attamen ex contextu apparet supremam in judicando auctoritatem penes Sacerdotes fuisse, nam dicitur servandam esse sententiam eorum, *qui praesunt loco*, et morti damnandum *qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio.* Caeterum sacerdotibus judicandi fuisse potestatem, eruitur etiam ex Deut. (XXI. 5.) ubi de sacerdotibus dicitur: *Ad verbum eorum omne negotium et quidquid mundum vel immundum est judicetur:* ex Ezech. (XLIV. 24.) *Cum fuerit controversia stabunt* (sacerdotes) *in judiciis meis et judicabunt.* Sacerdotum quoque arbitrio cuncta Regi, Gentiles naturali sensu voluerunt, uti de Aethiopibus testatur Strabo (*lib.* 17.), de Aegyptiis Aelianus (*lib.* 14. *variar. hist.*), de Persis Eusebius (*Chron.*) de Areopagitis apud Athenienses Iosephus (*Antiq. lib.* 14. 19.), de Germanis Tacitus (*de mor. Germ. c. VII.*). Attamen facile concedi potest in lege veteri, in inferioribus tribunalibus aut in causis mere civilibus competere potuisse judicandi munus etiam laicis quo sensu intelligendum est Iudices et Reges hoc munere quandoque esse functos: Iudic. (III. 10.) *Fuitque in eo* (Othoniele) *spiritus Domini et judicavit Israel;* (X. 2.) *Et judicavit* (Thola) *Israelem viginti et tribus annis*; 2. Reg. (VIII. 15.) *Faciebat quoque David judicium et justitiam omni populo suo*; 3. Reg. (III. 28.) *Audivit itaque omnis Israel judicium*, *quod judicasset Rex* (Salomon), 3.° Nemo indicta caussa damnabatur. Ita Nicodemus Ioann. (VII. 51.) *Numquid lex nostra judicat hominem nisi prius audierit ab ipso et cognoverit quid faciat?* Hinc reus custodiebatur usque ad judicium: ita Levit. (XXIV. 12.) *Miseruntque eum in carcerem donec nossent quid juberet Dominus;* et Num. (XV. 32. et seqq.) *Colligentem ligna in die Sabbati obtulerunt eum Moysi et Aaron et universae multitudini*, *qui recluserunt eum in carcerem*, *nescientes quid super eo facere deberent.* Testium porro fide judicium peragebatur, qui tamen duo vel tres esse debebant; Num. (XXXV. 30.) *Ad unius testimonium nullus condemnabitur;* Deut.

(XVII. 6.) *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium*; (XIX. 15.) *Non stabit testis unus contra aliquem. . . . sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Falsis vero testibus gravissimae poenae sunt impositae. Nam legimus Deut. (XIX. 18. etc.) *Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui. . . . non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* 4.° Prae aliis regulis circa varia delicta per totum Pentateuchum sparsis, specialem meretur mentionem illud, quod de homicidiis incognitis vel casualibus statutum est. Si homicidii auctor detegi non posset, Sacerdotes et Seniores illius civitatis, in qua patratum erat homicidium, juvencam ad vallem ducebant, cervices ejus caedebant, manus super ea in innocentiae testimonium lavabant, Deumque exorabant ne innocens quis culparetur. Si autem aliquis quempiam inopinate praeter intentionem vel iniquum viae aggressorem, vel furem ante solis ortum occidisset, occisor fugere debebat in unam e sex civitatibus, quae constitutae erant tamquam asylum inter 48. urbes Levitis assignatas. Civitates hae dicebantur *refugii;* erantque tres trans, et tres cis Iordanem, in tres ferme aequales partes utramque partem Palestinae dividentes; ac viae ad singulas diligenter sternendae fuerunt Deut. (XIX.). Deinde instituebatur judicium. Si culpa detecta foret, reus tradebatur occisi propinquo; sin minus, occisor tamen detinebatur in asylo usque ad mortem Summi Pontificis, ac si pedem inde movisset, impune occidi potuisset ab occisi cognato: quod ad duritiem cordis, uti repudium, dicitur permissum. Ita in Exod. (XXI. 12. etc.) dicitur: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum, in quem fugere debeat*: in Num. (XXXV. 6.) *De ipsis autem oppidis quae Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem.* Hoc idem pluribus verbis describitur Deut. (XIX. 2. etc.); Iosue (XX. 2. etc.).

Poenae non Capitales.

Quod ad poenas, quae apud Iudaeos in usu erant, eas dividimus in *non-capitales* et *capitales*. *Non-capitales* erant *Restitutio*, in qua non solum id quod ablatum fuisset reddebatur, sed aliquid amplius ratione poenae et satisfactionis;

imo plerumque duplum furti vel rapti restituebatur (Exod. XXI.); *Mulcta pecuniaria* in variis casibus. (De his poenis vid. Exod. XXI. XXII.). *Verberatio*, in qua pro mensura delicti erat plagarum numerus, ita tamen ut quadragenarium numerum excedere nunquam possent; Deut. (XXV. 2. etc.) *Pro mensura peccati erit et plagarum modus: ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne foede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus ;* quare condemnato ad ictus quadraginta, uno minus infligebant, ne numerum excederent, uti Paullo accidit 2. Cor. (XI. 24.) *A Iudaeis quinquies, quadragenas* (plagas) *una minus accepi. Talio*, vi cujus in falsum testem, aliosque, judicum sententia, irrogabatur reo quidquid ille in alterum commiserat: Exod. (XXI. 24.) *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore;* Lev. (XXIV. 19.) *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, sic fiet ei;* Deut. (XIX. 18.) *Cum invenerint . . . . falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit.* Hanc legem innuit Christus Matth. (V. 38.) *Audistis quia dictum est: oculum pro oculo etc.*

De hac vero talionis poena monemus 1.° per hanc non fuisse privatis apertam viam exercendae proprio marte ultionis, sed solum exhibitam judicibus normam servandam, caeteris paribus, et consideratis omnibus adjunctis; 2.° in Republica Theocratica potuisse a Deo illarum poenarum genus constitui, etiamsi forte humanam illud excederet auctoritatem; 3.° tandem legem hanc, Hebraeorum duritiei accommodatam, a Christo expresse abrogatam et in suaviorem charitatis legem commutatam fuisse (Matth. loc. cit.) *Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram: et ei qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium etc.* Plura in ***Exercitationibus Biblicis.***

Poenae Capitales.

Capitales poenae erant: 1.° *Lapidatio*, quae juxta Seldenum autonomastice exprimitur in Scriptura pro poena mortis. 2.° *Ignis, gladius, laqueus*, quae postrema poena ita infligebatur ut cadavera non deberent remanere suspensa nisi usque ad vesperas, cum maledictus censeretur qui in ligno penderet: Deut. (XX. 22.) *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, et adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die*

sepelietur, quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno. Hoc autem alii ideo arbitrantur fuisse constitutum quod suspensus sufficientem jam luerit poenam; alii vero quod dignus ille fuerit statim a terra absorberi et ab humano adspectu illico abduci. Ommittuntur alia genera mortis extraordinaria. Crucis supplicium Romanorum erat.

Obiter nota 1.° cum virtutis exercitium censeretur morte reos mulctare, solemne erat primoribus gentis in id incumbere. Imo, ut lex praecipiebat, lapidatio fieri debebat a populo testibus delicti incipientibus; Deut. (XVII. 7.) *Manus testium prima interficiet eum; et manus reliqui populi extrema mittetur.* Apud Hebraeos tamen fuisse carnifices, colligi videtur ex Marco (VI. 27.) ubi Herodes *misso spiculatore* Ioannis imperat necem. 2.° Doctores Hebraei aliam addunt poenarum speciem nempe spiritualium, quae in *Excommunicationibus* erant positae. Excommunicationum hujusmodi tres enumerant species, quarum prima 30. dies durabat; secunda addebat maledicta; tertia pronuntiabat adesse solum expectationem terribilis judicii Dei vindicis. Docent porro excommunicationem in genere fuisse prohibitionem a Templo, a Sinagoga, et ab humano consortio.

Caeterum qui plura cupit de *delictis*, et *poenis* adeat Calmet (*Comm. in Exod. XXI.* 12.) quemadmodum etiam (*Dissert. in Deuter. de Suppliciis*).

Art. IV.

De Variis Iudaeorum Consuetudinibus.

§ 1.

Consuetudines illas recensemus, quarum vel mentio vel allusio haud raro reperitur in Sacra Scriptura.

Ortus.

Quod ad Circumcisionem, de qua cap. 1. hujus Dissertationis locuti sumus, notanda haec sunt: Circumcisio octavo ab ortu die in masculis a quocumque et in privatis etiam domibus peragebatur. Eruitur hoc ex pluribus Scripturae locis; Gen. (XVII. 12.) *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*; (XXI. 4.) *Et circumcidit eum octavo die sicut praeceperat ei Deus*: Exod. (IV. 25.) *Tulit illico Sephora acutissimam petram et circumcidit praeputium filii sui*: 2. Mach. (VI. 10.) *Duae enim mulieres delatae sunt natos suos circumcidisse:*

Act. (VII. 8.) *Et sic* (Abraham) *genuit Isaac, et circumcidit eum die octavo.* Quid vero nescientibus foeminis, vel praemorientibus masculis ante octavum diem praestarent Hebraei, cognoscere nunquam potuimus neque ex illorum historiis, neque ex Rabbinis, quos allocuti sumus. Certe aliquid instituit Deus pro illis etiam, saltem in remedium originalis peccati, ut alibi diximus. Qui a Iudaismo deficiebant, medica arte circumcisionis vestigia occultabant: ita 1. Mach. (I. 6.) *Et fecerunt sibi praeputia:* 1. Cor. (VII. 18.) *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praeputium.* Vide in haec a Lapide, et praecipue Ludolf. *Comment.* ad suam *Histor. Aetiop. l. III. c. 1. not. 4. pag.* 270.

In Circumcisione nomen imponebatur, quod antiquiori aetate ab adjunctis personae, temporis, vel historiae depromebatur, nunquam significatione vacuum: ita significativa nomina imposita sunt filiis Iacob juxta Gen. (XXX. et seqq.). Saepe quoque Dei nomen exprimebatur, ut *Nathanael* (נְתַנְאֵל idest, *donum Dei*) *Ioannes* (יוֹחָנָן idest, *Dei gratia*) et similia. Verum postquam incessit Iudaeis peculiaris veneratio erga nomen Dei *Iehovah* יְהֹוָה, mutaverunt nomina, in quibus primae hujus nominis litterae occurrerent. Ita pro *Ioachim* dixerunt *Eliacim;* pro *Iojada*, *Zachariam.* Hinc quidam binomines fuerunt, quod contigit etiam ob proprium et familiae nomen, nec non ob Orientalium morem mutandi nomen suum, aut nomina ministrorum, et servorum. Diversitas igitur nominis non semper ostendit personarum diversitatem; quod attendendum est praesertim in libris Paralipomenon, ubi non raro appellantur personae alio nomine ab eo, quo illae appellantur in libris Regum et Genesis. Iudaei nomina quoque Idolorum, et templorum falsi numinis vitabant, quae ab Idololatris adhibebantur. Ita pro *Bethel* (בֵּית־אֵל *domus Dei*) ajebant *Bethàven* (בֵּית־אָוֶן *domus iniquitatis*). Consueverant etiam dum inter Gentiles versarentur, ad se occultandos nomina sua hebraica in graeca idem sonantia commutare. Ita pro *Thoma* adhibebatur *Didymus*: sic de aliis; quare nil mirum si graeca nomina multa occurrunt ex. gr. *Aristobulus*, *Andreas*, *Philippus* etc. Quandoque etiam in ea mutabant, quae romana viderentur. Ita pro *Mardochaeo Marcus*, pro *Saulo Paullus.* Hinc ab aliis quoque caussis deducitur diversitas nominum in eodem homine.

Ad ortum redeuntes monemus convivium celebrari solitum fuisse; neque licuisse filio servi vocare patrem suum אַבָּא *Abba*, sed soli filio Patrisfamilias: ea de caussa nos, ut ait Apo-

stolus ad Rom. (VIII. 15.) per adoptionem clamare possumus Deum *Abba*. Vide Lamy.

§ 2.

Matrimonium.

Quae ab Hebraeis servanda erant ante matrimonium haec fuere praecipue: 1.º virgines puellae in parentum domo summa custodia et cura servabantur. Hinc Amnon nonnisi simulatione adhibita potuit adire sororem suam Thamar (2. Reg. XIII.); et, ut res insolita, narratur virgines per Hierosolymam fuisse vagatas: 2. Mach. (III. 19.) *Sed et virgines quae conclusae erant procurrebant ad Oniam, aliae autem ad muros, quaedam vero per fenestras aspiciebant.* Hinc etiam virgo dicebatur *halmàh* עַלְמָה idest *abscondita.* 2.º Prohibitum erat matrimonium cum septem his gentibus: Hethaeis, Gergezaeis, Amorrhaeis, Chananaeis, Pherezaeis, Hevaeis, Iebusaeis; idque ob perversionis periculum: Deut. (VII. 3.) *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum ne sequatur me et ut magis serviat diis alienis:* 1. Esdr. (IX. 1. et seqq.) *Non est separatus populus Israel . . . a populis terrarum et abominationibus eorum, Chananaei videlicet, et Hethaei, et Pherezaei, et Iebusaei, et Ammonitarum, et Moabitarum, et Aegyptiorum, et Amorrhaeorum: tulerunt enim de filiabus eorum sibi et filiis suis . . . . . Cumque audissem sermonem istum scidi pallium meum et tunicam, et evelli capillos capitis mei et barbae, et sedi moerens. Convenerunt autem ad me omnes qui timebant verbum Dei Israel pro transgressione eorum qui de captivitate venerant etc.* Ex loco vero Esdrae nuper cit. et ex Philone, Iosepho aliisque ob eamdem caussam vetitum erat Hebraeis matrimonium inire cum quibusvis Gentilibus; quod si exempla hujusmodi matrimoniorum occurrant, vel dicendum gentilem fuisse conversum, uti Rahab nubens Salmoni, vel Dei instinctum interfuisse, uti Esther nubens Assuero. 3.º Virgines haeredes nubere non poterant nisi viris contribulibus patri suo, ne scilicet avita bona a tribu distraherentur; Num. (XXXVI. 8.) *Et cunctae foeminae de eadem tribu maritos accipient ut haereditas permaneat in familiis.* Ab hac Lege eximebantur non haeredes, et Levitae non habentes bona peculiaria. 4.º Inter propinquos matrimonium erat illicitum juxta gradus in lege expressos, et juxta Lev. (XVIII.). Secundum et tertium consanguinitatis gradum non fuisse matrimonii impedimentum extra lineam rectam, colligitur ex Isaac et Iacob consanguineas

tertii et secundi gradus ducentibus. Specialiter tamen vetitum erat (loc. cit. vers. 12.) nepoti matrimonium inire cum amita, ea fortasse de caussa, quod indecens videbatur amitam subesse nepoti. 5.° Fratre sine liberis mortuo, frater superstes, eoque vel deficiente vel recusante, propinquus proximior uxorem ducere debebat viduam, primusque ortus ex iis nuptiis filius censebatur filius defuncti: id ad avertendum sterilitatis opprobrium: Deut. (XXX. 5. 6.) *Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus: et suscitabit semen fratris sui et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deteatur nomen ex Israel.* Hinc non raro duplex genealogia, altera secundum naturam, altera secundum legem. 6.° Non parentes sed sponsus sponsae dotem conficiebat. Hinc David pro Michol obtulit Sauli 100. Philistaeos occisos: 1. Reg. (XVIII. 27.) *Et percussit* (David) *ex Philistiim ducentos viros et attulit eorum praeputia, et annumeravit ea regi ut esset gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem.* Pariter Iacob pro Lia et Rachele serviit Labano 14. annos ex Genes. (XXXI. 41.) (1). Ita etiam Sichem cum Iacob ex Genes. (XXIV. 12.) (2). Morem tamen hunc non fuisse constantem, aut saltem universalem praesertim ubi de Principum nuptiis ageretur, colligitur ex matrimoniis Salomonis cum filia Pharaonis, et Tobiae cum Sara, in quibus dos a parentibus fuit exhibita; 3. Reg. (IX. 16.) *Pharao Rex Aegypti . . . cepit Gazer . . . . et dedit eam in dotem filiae suae uxori Salomonis*: Tob. (VIII. 24.) *De omnibus autem, quae possidebat Raguel dimidiam partem dedit Tobiae et fecit scripturam ut pars dimidia, quae supererat post obitum eorum, Tobiae dominio deveniret.* Movet nos etiam ne quid certum et universale de hac re statuamus historia Liae et Rachelis filiarum Labani, pro quibus servivit quidem Iacob, sed hac etiam in re Labanum injuste egisse, suspicionem excitant querelae tum Liae tum Rachelis de patre: *Nonne quasi alienas reputavit nos et vendidit comeditque pretium nostrum?* tum Iacobi qui indignatus ait Labano quasi exprobrans: *Per viginti annos in domo tua servivi* Gen. (XXXI. 41.). 7.° A sponsalibus contractis usque ad nuptias, intervallum 10. vel 12. mensium plerumque relinquebatur (Gen. XXIV. 55.; Iud. XIV. 8.).

(1) *Per viginti annos in domo tua servivi; quatuordecim pro filiabus, et sex pro gregibus tuis.*

(2) *Augete dotem, munera postulate, et libenter tribuam quod petieritis: tantum date mihi puellam.*

Matrimonium fiebat extra Templum, atque ita celebrabatur. Sponsus sub vesperam domum adibat sponsae juvenibus stipatus; deinde virgo simul cum sponso velo tecta ducebatur in domum sponsi, multo aliarum virginum, amicorum, et propinquorum comitatu. Qui comitabantur, manu faces tenebant, canebant, laetabantur. Occurrit haec in nuptiis Tobiae celebrati matrimonii descriptio. Raguel Sarae filiae dexteram tradens Tobiae dexterae dixit: *Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos impleatque benedictionem suam in vobis* Tob. (VII. 15.). Sequebatur nuptiale convivium virorum, quum alter sexus in ginaeconitide convivium seorsim celebraret. Illud autem diebus etiam pluribus durabat: in nuptiis Sampsonis et Tobiae continuatum est diebus septem. Ritus hi pluribus locis indicantur, praecipue vero in Veteri Testamento: de Sampsone Iud. (XIV. 11. et seqq.) *Cum ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta, ut essent cum eo, quibus locutus est Sampson: proponam vobis problema quod si solveritis mihi intra septem dies convivii etcc.*: de nuptiis Tobiae; *Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gavisi sunt* Tob. (XI. 21.): ex Novo Testamento: Marc. (II. 19.) *Et ait illis Iesus: numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est jejunare? quanto tempore habent secum sponsum non possunt jejunare*: Ioann. (III. 29.) *Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.*

De contracto jam matrimonio adnotanda haec sunt. 1.° A diluvio ad Christum licita fuit polygamia ad restaurationem et multiplicationem generis humani, quod colligitur ex facto Patriarcharum sanctissimorum: Abraham Gen. (XVI. 2.) *Dixit* (Sara) *marito suo .... ingredere ad ancillam meam si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti tulit Agar Aegyptiam .... et dedit eam viro suo uxorem*: Iacob Gen. (XXIX. et XXX.): Elcana 1. Reg. (I. 2.) *Et habuit Elcana duas uxores*: David. 1. Paral. (III.). Prohibitum tamen fuit Regi plurimas uxores habere Deut. (XVII. 17.) *Non habebit* (rex) *uxores plurimas, quae alliciant animam ejus.* Iusserat id Deus ne populus nimis opprimeretur, et ne Regis cor corrumperetur in populi perniciem, ut contigit Salomoni. Summus Pontifex unicam tantum ducere poterat uxorem, eamque virginem Lev. (XXI. 13.) *Virginem ducet uxorem* (Summus Sacerdos): idem constat praeterea ex Thalmud et Iosepho. Uxores legitimae quidem, sed in inferiori dignitatis gradu, appellabantur concubinae: 2. Reg. (XVI. 21.) *Et ait Achitophel ad Absalom: ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum*: 3. Reg. (XI. 3.) *Fue-*

runtque ei (Salomoni) *uxores quasi reginae septingentae, et concubinae trecentae.* Concubinae ducebantur sine ritu solemni, sine syngrapha, et dotis fidejussione. 2.º Licuit, aut saltem permissus est libellus repudii a diluvio ad Christum: ac per illum, (si licuisse quidem supponatur) matrimonii vinculum solvebatur. Ad duritiem cordis Hebraeorum permissum fuisse, habetur apud Matth. (XIX. 8): *Ait illis* (Iesus) *quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Legitimae tamen causae et solemnitatis caeremoniae ad id requirebantur. 3.º Adultera uxor lapidabatur, et similiter vir si eum nupta coivisset Lev. (XX. 10.) *Si moecatus quis fuerit cum uxore alterius .... morte moriatur et moechus et adultera.* Uxor adulterii suspecta bibebat aquam a sacerdote porrectam vi cujus moriebatur si rea foret. De hoc ritu *zelotypiae* dicto vid. Num. V. 4.º Primogeniti etiam ante Moysem auctoritate pollebant in fratres. Ita Isaac ad Iacob Gen. (XXVII. 29.) *Esto dominus fratrum tuorum et incurventur ante te filii matris tuae;* Praeterea in haereditatis distributione duplicem omnium partem percipiebant; Deut. (XXI. 17.) *Dabitque* (Pater) *ei* (primogenito) *de his quae habuerit cuncta duplicia.* In lege naturae erant insuper sacerdotes; Num. (III. 11.) *Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito.* Habebant tandem paternam benedictionem, quae plurimi aestimabatur, quamque tantopere expetivit Iacob ab Isaac ⁿuxta Gen. (XXVII.) et ut in Ecclesiastico (III. 11.) dicitur: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* At fatendum cum Calmet (*in Gen.* XXV. 31.) duplicem portionem certissimum quidem primogeniti fuisse privilegium, caetera vero quibus primogeniti forte donabantur appendices potius reputandas insitae a natura propensionis, qua inclinamur in obsequium primorum natu, qui veluti primario parentem repraesentant, quam certa jura ac inviolabiles leges. Et revera Cain et Abel seorsim obtulerunt sacrificia, et pro Ruben 1. Paral. (V. 2.) *primogenita reputata sunt Ioseph*, nempe hujus filii. Vid. Gen. (XIVIII. 5.).

De Connubiis Hebraeorum plura videantur apud Calmet *Dissert. in Cantic. Canticor.*, et *De divortiis in Deuteron.*

§. 3.

Vestes.

Vestes ad has reducuntur: *tunica*, *baltheus* sive cingulum, *pallium*, *pileus*, *calceamenta.* Iuvat autem generatim adnotare: 1.º vestes non poterant esse heterogeneae, ut ex lana et lino,

vel quia hoc vestis genere distinguebantur Sacerdotes, vel ut indicaretur fugiendum esse duplicitatis vitium: Lev. (XIX. 19.) *Veste, quae ex duobus texta est non indueris:* Deut. (XXII. 11.) *Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum est.* 2.º Laxae erant, ideoque praecingendae in itinere, et in operando. 3.º Sandalia adhibebantur: quare necessariae erant frequentes lotiones. Eadem corrigiis ligabantur. Huc alludit illud Baptistae de Christo Marc. (I. 7.) *cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus*, quod nempe erat servorum infimorum vel recenter emptorum. 4.º Ut Hebraei melius a Gentilibus distinguerentur, et ut legis recordarentur, fimbrias seu vittas hyacinthinas vestium extremitati apponebant, pro quibus nunc Hebraei utuntur amiculis cum penniculamentis: Num. (XV. 38.) *Loquere filiis Israel . . . . ut faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas;* Deut. (XXII. 12.) *Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris;* hinc illud Lucae (VIII. 44.) de Haemorrhoissa: *Accessit retro et tetigit fimbriam vestimenti ejus* 5.º Membranae, in quibus aliqua Scripturae verba praesertim Decalogi erant conscripta, aliae alligabantur capiti, aliae manibus ad significandam legis custodiam. Ita litteraliter explicabant illud Deut. (VI. 8.) quod forte mysticum est: *ligabis ea* (praecepta) *quasi signum in manu tua.* Superstitiosiores producebant fimbrias, et dilatabant membranas hujusmodi graece dictas φυλακτήρια *phylacteria*, quod tamquam hypocrisim exprobrat Christus Pharisaeis in Evangelio. 6.º Ad discrimen Gentilium vetitum illis erat tondere comam in rotundum, et barbam novacula radere Lev. (XIX. 27.) *Neque in rotundum attondebitis comam: nec radetis barbam.* Haec tamen aliqui explicant de illis angulis barbae, quibus cum coma capitis concurrit; quia gens Arabum hac rasura angulorum barbae et capillorum cum barba concurrentium, se numini cuipiam, quod Bacco simile erat, devovebant. 7.º Viri non minus quam foeminae, prout et nunc in oriente consuetum est, capite erant tecto in Synagoga et in Templo. Quod ad viros autem hunc ritum mutarunt Apostoli 1. Cor. (XI. 4.) *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Faeminae, cum in vulgus prodirent, velatae ut plurimum incedebant; diximus *ut plurimum*, cum nonnulli putent contrarium aliquando usitatum fuisse, quod colligunt ex locis, ubi Iudith ostenditur ornata capillis, et Sponsa Canticorum cum coma purpurea. 8.º Usus invaluit scindendi vestes ad luctum ostendendum, cum malum nuntium vel blasphemia audiretur. Vid. 1. Mach. (XI. 71.); Matt. (XXVI. 65.). 9.º In vestibus mulierum splendorem quaesitum ostendunt ornamenta omnia, quibus Iudith induit

sese, ut habetur ex illius libri cap. X. Luxum quoque introductum patet ex Prophetia Isaiae, qua enumerantur omnia muliebria ornamenta, quibus mulieres hebraeae erant exuendae: Isai. (III. 17.) *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoriola, et inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus, et specula, et syndones, et vittas, et theristra. Et erit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium et pro fascia pectorali cilicium.* 10.° Vir uti non poterat veste muliebri, neque e contrario, idque ob decentiam: Deut. (XXII. 5.) *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste foeminea: abominabilis enim apud Deum est, qui facit haec.*

De re vestiaria Hebraeorum videatur Calmet *Dissert. in Ieremiam;* Braunium *de Vestibus Hebraeorum.*

§ 4.

Aedes.

Veteres Patriarchae in tentoriis et tabernaculis habitabant, quae pro opportunitate praesertim gregum alendorum transferebantur. Id de Abraham novimus Gen. (XIII. 18.) *Movens igitur tabernaculum suum Abraham venit et habitavit juxta convallem Mambre;* Et de fratribus Ioseph (XXXVII. 12.) *Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem.* Sed in Aegypto, et postea in Chanaan Hebraei domos incolebant, uti ex multis colligitur, et praesertim ex sequentibus Scripturae locis: Exod. (XII. 7.) *Et sument* (Hebraei) *de sanguine ejus* (agni), *ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum*: Num. (XXXII. 16. etc.) *At illi* (filii Ruben) .... *dixerunt: caulas ovium fabricavimus et stabula jumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas .... Parvuli nostri et quidquid habere possumus erunt in urbibus muratis propter habitatorum insidias. Non revertemur in domos nostras donec etc.*

De his generatim nota: 1.° vetabantur in domibus ejusmodi structurae, quae Templi, aut alicujus rei, quae in Templo esset, similitudinem haberent. 2.° Tecta erant plana, ut in iis posset deambulari: Solaria dicta sunt, ibidemque tentoria exponi solebant majoris commodi gratia. In illis Samuel cum Saule collocutus est, et David Bethsabeam inde prospexit. Scalae extrin-

secus positae ad ea ducebant. Ita 1. Reg. (IX. 25.) *Stravitque Saul in solario et dormivit. Cumque mane surrexissent .... vocavit Samuel Saulem in solario*: 2. Reg. (XVI. 22.) *Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario.* 3.° In Ierusalem non locabantur domus, sed patebant advenis illuc ad sacra facienda convenientibus. 4.° In postibus, et in partibus conclavium internorum, schedulae erant membranaceae cum aliquibus verbis legis; Deut. (VI. 9.) *Scribesque ea* (verba legis) *in limine et ostiis domus tuae;* (XI. 20.) *Scribes ea super postes et ianuas domus tuae.* 5.° Mulieres a viris separatas fuisse colligitur ex historia Amnon et Thamar 2. Reg. (XIII.); Salomonis, qui aedificavit aedes uxori suae filiae Regis Aegypti 3. Reg. (VII.). Sua quoque erat domus sponsae in Cantico Canticorum. Morem hunc in usu fuisse a vetustis temporibus apparet ex eo, quod tentoria Sarae, Rachelis, et Liae distincta fuisse leguntur a tentoriis Abrahami, Isaaci, et Iacobi. Idem etiam usitatum a caeteris Orientalibus fuisse deduci posse videtur ex libro Iudic. (VI. 17.) ubi narratur Iahel uxorem Haber Cynaei suum habuisse tentorium a viro separatum, et ex historia Esther, quae separatim degebat a marito (Esther. V.).

De priscis Hebraeorum aedibus conferatur Calmet *Dissert. in Iudices.*

§ 5.

Victus.

1.° Prohibuerat Deus Hebraeis vesci animalibus immundis, uti pluries exprimitur (Levit. XI. et Deut. XV.) idque partim ut obedientiae assuescerent, partim valetudinis caussa, partim ut vitia quaedam improbarentur, quae per animalia immunda significabantur. Ex quadrupedibus munda erant, quae ungulam divisam haberent, et ruminarent. Ex piscibus solum qui pinnulas et squamas haberent. Ex volucribus immundae erant rapaces, vel sordida esca utentes. Immundi autem erant serpentes, omniaque reptilia, aliquibus exceptis, utie locustae. Vide loc. cit. 2.° Praeceptum illud omnibus in Noemi persona injunctum Gen. (IX. 4.) *Carnem cum sanguine non comedetis*, instauratum est Levit. (XVII. 14.) ac iterum Hebraeis praescriptum: *Sanguinem universae carnis non comedetis.* Id constitutum fuit tum ut absterrerentur ab effusione sanguinis, qui ad vitam necessarius est, tum quia in eadem sanguinis effusione expiatio consistebat. Hac eadem lege vetabatur Hebraeis comedere animalia suffocata, ex quibus nempe sanguis non erat expressus. Prohibitum est etiam adipe uti in cibum: Lev. (III. 17.) *Nec sanguinem nec adipem omnino comedetis;* (VII. 25.)

Si quis adipem qui offerri debet in incensum Domini comederit; peribit de populo suo; sed ex illis verbis, *si quis adipem qui offerri debet etc.* colligunt multi prohibitionem de solo adipe immolatorum intelligendam esse. 3.° Ex frugibus quoque quaedam interdicebantur. Nam immunda erant quae protulerat ager vel vinea, si in eodem loco plura diversi generis semina jacta essent, Lev. (XIX. 19.) *Agrum tuum non seres diverso semine;* Deut. (XXII. 9.) *Non seres vineam tuam altero semine.* Immundi pariter erant arborum fructus trium primorum a plantatione annorum; fructus autem anni quarti Deo cedere in primitias debebant: Lev. (XIX. 23. et seqq.) *Quando ingressi fueritis terram et plantaveritis in ea ligna pomifera auferetis praeputia eorum: poma, quae germinant, immunda erunt vobis nec edetis ex eis* (1). *Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis etc.* 4.° Cavebant Iudaei summa cura ne uterentur vasibus coquinariis, quibus usus fuisset aliquis non Iudaeus. Vasa quoque habebant distincta pro carne ac pro lacte, idque quia Exod. (XXIII. 19.) praecipitur: *Non coques haedum in lacte matris suae.* 5.° Ante meridiem, ac sine manuum lotione Hebraei non solebant manducare aut saltem prandere. Ex illo vero Lucae (XIV. 12.) *cum facis prandium aut coenam*, colligunt aliqui usum manducandi bis quotidie. 6.° Mensis olim adsidebant, uti narratur Gen. (XLIII. 33.) de fratribus Iosephi prandentibus: *sederunt coram eo:* et 1. Reg. (XX. 5.) de Davide *Ego ex more sedere soleo juxta regem* (Saulem) *ad vescendum;* at postea mensae accumbebant lectis strati (faeminae tamen ut traditur sedebant ob decentiam) utentes etiam pulvillis, et saepe sub arboribus. Ita Esther (I. 5.) *Iussit .... convivium praeparari in vestibulo horti, et nemoris* Ioann. (XIII. 23.) *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Iesu.* 7.° Mensae antiquiori aetate simplici modo instruebantur, quod vel ex convivio solum, quod Abraham tribus illis paravit nobilibus hospitibus, apparet ex Gen. XVIII., nempe nil aliud apposuit nisi panem, vitulum, butyrum, et lac. Convivia lauta ac splendida, non ferculorum delectus et varietas constituebant, quamvis de illustribus ageretur hospitibus, sed potius copia cibi, quo mensa struebatur. Id, praeter exemplum superius indicati convivii sat pinguis pro tribus tantum personis, ostendunt etiam tum mensura mannae copiosa singulis data quotidie unius *Hòmer* עֹמֶר (al. *Gòmer*); tum quarta pars vituli,

(1) Ex textu hebraico et Graeco, qui habent שָׁלֹשׁ שָׁנִים τρία ἔτη etc., evincitur *tribus annis* ab immundis abstinendum fuisse, quae comparantur praeputiis.

quam Samuel dedit Sauli in fine convivii, tum ferculum duorum hircorum, quos Iacob patri suo Isaac exhibuit. Potum Hebraeis praebebant *aqua*, et *vinum*, quod etsi generosum, nonnunquam tamen aromatibus miscebatur: saepius etiam aqua dilutum erat: *sicera* insuper ex dactylis et diversis seminibus et radicibus confecta. *Acetum* non modo ad olera et cibos, sed etiam ad potum adhibitum fuisse colligitur ex Num. (VI. 3.) .

De re cibaria Hebraeorum videatur Calmet *Dissert. in Eccli.*

§ 6.

Artes.

1.º Pastoralem vitam agebant vel ipsi principes: hujus rei exemplum praebent Abraham et Sara, qui divitiis, famulis, famulabusque affluebant, et tamen pastores erant gregum: et ille ad armentum currit ut vitulum pro hospitibus deligeret, dum haec panem parat ac coquit: ita Gen. (XIII. 2.) *Erat* (Abraham) *autem dives valde in possessione auri et argenti*: (XVIII. 6.) *Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram dixitque ei: accelera, tria sata similae commisce, et fac subcinericios panes. Ipse vero ad armentum cucurrit et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum . . . . tulit quoque butyrum et lac et vitulum quem coxerat, et posuit coram eis: ipse vero stabat juxta eos sub arbore.* (XXIV. 34. 35.) *Servus . . . . Abraham sum et Dominus benedixit Domino meo valde magnificatusque est: et dedit ei oves et boves, argentum et aurum, servos et ancillas camelos et asinos . . . . Prolatisque vasis argenteis et aureis et vestibus dedit* (puer Abraham) *ea Rebeccae pro munere.* 2.º Post captivitatem praesertim, ut Thalmudici tradunt, unusquisque licet dives et nobilis, aliquam profitebatur artem ac vulgare dicitur apud eos fuisse effatum: qui non docet filium suum aliquod opificium, docet latrocinium. Optimas vero artes non ignorasse Hebraeos eruitur ex structura Tabernaculi, et ex aedificatione Templi. Praeterea Iud. (XVII. 3. etc.) satis clare indicantur fabri auri et argenti, qui extabant paulo post obitum Iosue. 3.º Mercaturam non exercebant saltem cum exteris, quorum vitabant commercium. Innuit hoc Iosephus (*contra Appionem lib.* 1.) ubi rationem reddens cur Iudaicae gentis a paucis scriptoribus facta sit mentio, ait: *Nos . . . . neque regionem maritimam habitamus, neque mercimoniis congaudemus, neque per hoc alterutris peregrinationibus fatigamur. Sed quidem nostrae civitates procul a mari positae, regionemque uberrimam possi-*

dentes in ea assidue laboramus, praecipue circa filiorum nutrimenta studentes, legumque custodiam, et traditionem pietatis totius opus vitae necessarium judicamus. Non arbitramur tamen Hebraeis omnibus, omnique tempore mercaturam fuisse interdictam, aut inusitatam. Nam ommissis aliis, Tribui Zabulon, cujus haereditas mediterraneum mare habebat conterminum, Moyses benedicens Deut. (XXXIII. 18. etc.) ait: *Laetare Zabulon in exitu tuo,. . . qui inundationem maris quasi lac sugent et thesauros absconditos arenarum.* Haec porro verba ab interpretibus intelligi solent de divitiis ex negotiatione percipiendis. Prona est autem conjectatio loqui Iosephum de regione speciali puta de Tribu Iudae, aut saltem de consuetudine aetatis suae.

Usuram cum fratribus generatim prohibet Deus Lev. (XXV. 36. 37.) *Ne accipias usuras ab eo* (fratre) *nec amplius quam dedisti;. . . . pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges;* speciatim vero usuram damnat cum pauperibus Exod. (XXII. 25.) *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.*

At usura Hebraeis permissane fuit cum alienigenis? Permissa videtur ex Deut. (XXIII. 19.) *Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam. . . . sed alieno;* at cum alibi usura generatim damnetur, ac praesertim Psalm. (XIV. 5.) *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram* (salutem obtinebit); et Psalm. (LIV. 12.) inter iniquitates ponatur, quod *non defecit de plateis ejus usura,* hinc dicendum vel fuisse solum a lege positiva mosaica cum extraneis toleratam propter duritiam cordis Iudaeorum ne fratres suos opprimerent, ut arbitratur Angelicus; vel solum positive permissam cum Chananaeis, Amorrhaeis, Amalecitis, quos exterminare debebant Hebraei: nam ubi jus belli, ibi etiam jus usurae. Vide a Lapide in loc. cit. *Deut.;* et Calmet in loc. cit. *Exodi.*

§ 7.

Funera.

1.º Ex fide immortalitatis animorum et resurrectionis corporum Hebraei solliciti erant ante mortem de corporis sepultura. Ita Iacob juramentum exegit a Iosepho circa sui cadaveris sepulturam, Gen. (XLVII. 29. 30.) dicens: *Si inveni gratiam in conspectu tuo pone manum tuam sub femore meo... ut non sepelias me in Aegypto... condasque in sepulcro majorum meorum.* Id ipsum innuit Ioseph moriens; (L. 24.)

Asportate ossa mea vobiscum de loco isto. 2.° Occasione mortis alicujus e familia varia edebant doloris ac luctus signa: vestes proprias scindebant, viliores assumebant, cinere capita inspergebant, et alia fere omnia agebant, quae in jejuniis erant usitata. Ita de Abraham Saram lugente dicitur (XXIII. 2.) *Venitque Abraham ut plangeret et fleret eam.* Luctus ut plurimum durabat septem dies: Eccli. (XXII. 13.) *Luctus mortui septem dies;* sed diutius protrahebatur in morte illustrium virorum, ut contigit in morte Iacobi, quem *flevit Aegyptus septuaginta diebus* Gen. (L. 3.); deinde in morte Aaron, Num. (XX. 33.) *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus*; et in morte Moysis Deut. (XXXIV. 8.) *Fleveruntque eum* (Moysen) *filii Israel in campestribus Moab triginta diebus.* 3.° Mortui corpus diligenter lavabant, ligabant, ungebant, ac si de divite ageretur, aromatibus condiebant; cujus ritus vestigia apparent etiam in morte Lazari: Ioan. (XI. 44.) *Et statim prodiit* (Lazarus) *qui fuerat mortuus, ligatus pedes, et manus institis, et facies illius sudario erat ligata;* et in morte Christi Ioan. (XIX. 39.) *Venit autem Nicodemus . . . . ferens mixturam myrrhae et aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire.* 4.° Pauperum corpora condebantur in terra, divitum in sepulcris excisis e petra in propriis fundis ac proprio sumptu: sepulcra exterius dealbabantur ne quis accederet, ac colorem singulis annis mense Adar renovabant; id autem quia ob legalem immunditiam cavebant tactum cadaveris. Ita sepulcris dealbatis comparat Christus Pharisaeos hypocritas Matth. (XXIII. 27.) *Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae quia similes estis sepulcris dealbatis.* 5.° In aedibus mortui congregabantur propinqui ejus et amici, tibicines musica, lamentatrices fletu funus prosequebantur. Confirmatur hoc ex iis, quae de morte Lazari narrantur a Ioanne (XI. 33.) *Iesus ergo ut vidit eam* (Mariam) *plorantem et Iudaeos, qui venerant cum ea plorantes* etc.; nec non ex iis, quae Ieremias ait, prophetice vocans lamentatrices in exitio Iudaeorum: Ierem. (IX. 17.) *Vocate lamentatrices et veniant . . . . festinent, et assumant super nos lamentum.* 6.° Spectata animarum immortalitate mortem appellabant *venire ad patres suos, dormire apud patres*, atque sepulcra dicebant *coemeteria*, et *domus viventium*, ut ex Leone Modena ostendit Calmet *Dissert.* inferius citata. Cum autem crederent etiam Purgatorium, preces fundebant, ac filius, ut traditur, duobus mensibus precari debebat pro parente defuncto. Haec omnia partim a Deo praecepta in lege, partim ab hominibus statuta sunt vel usu inducta ad observantiam legis.

De Funeribus et Sepulturis Hebraeorum videatur Calmet *Dissert.* in *Eccli.*

§ 8.

Pleraque alia ommittimus ne plus aequo his immoremur. In genere adnotare praestat diversitatem regionis, temporis, aliarumque rerum, quae maximam inducunt inter nos, atque Hebraeos differentiam, qua fit ut libri, cujusmodi sunt Sacrae Scripturae, qui peculiares Hebraeorum usus attingunt, difficiles in multis appareant, nec semel risu quoque digni prima fronte indoctis videantur: ex. gr. ex libro Iudicum colligitur viros etiam dignitate graves asinis usos esse dum equitarent; Iud. (V. 10.) *Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in judicio.... loquimini*; (X. 3. 4.) *Successit Iair Galaadites, qui judicavit Israelem per viginti et duos annos habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum;* (XII. 13. 14.) *Iudicavit Israel Abdon.... qui habuit quadraginta filios et triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum.* Ex libro Numer. (XI. 4. et seqq.) eruitur Hebraeos manna fastidientes porros ac caepe Aegypti plurimum desiderasse: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique et caepe et allia: anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Haec omnia, supposita Hebraeorum in victu aliisque usibus (de quibus supra) simplicitate, habita quoque ratione tum locorum, tum temporum, facile explicantur, quae cum nostra vivendi consuetudine collata haud ita facile forent credibilia.

In explicatione veterum orientalium librorum prae oculis quoque habeatur discrimen inter vegetabilia, atque animalia regionum illarum, et vegetabilia atque animalia regionum nostrarum, licet tum illa, tum ista eodem nomine exprimantur. Hinc naturalis historia plantarum, animalium ac mineralium regionis Palaestinae plurimum confert ad rectam sacrorum librorum explicationem. Utilissimas propterea judicamus sequentes lucubrationes: *Similitudinum ac Parabolarum, quae in Bibliis ex herbis atque arboribus desumuntur Dilucida Explicatio* auctore Levino Lemnio; *De Gemmis aliquot, Iis praesertim, quarum D. Ioann. Ap. in sua Apocalypsi meminit*, auctore Francisco Rueo. Ambas insertas habes *Prolegomenis* Tirini, Venetiis 1786. Interim videantur Olai Celsii *Hierobotanicon*, Bocharti *Hierozoicon*, Scheuchzeri *Physica Sacra*, aliique.

Nobis hermeneuticas tantummodo institutiones exhibentibus haud licet pluribus haec omnia persequi.

Art. I.

De Ponderibus, Nummis, ac Mensuris Hebraeorum.

Nunc de ponderibus, quemadmodum postea de nummis ac mensuris locuturi, opus est ut de iisdem etiam juxta Graecorum et Romanorum calculum agamus; tum quia haec pondera simul cum nummis et mensuris coeperunt esse ante Christum Hebraeis communia cum Graecis, et Romanis, qui alii post alios Orientem occuparunt; tum quia interpretes non raro illa graecis nominibus aut romanis indicavere. Mox si debita instituatur ratio inter Romana pondera et ea, quae apud quamlibet regionem ex. gr. apud Bononienses in usu nunc sunt, constabit etiam quanti juxta vigentes usus propriae regionis sit pondus, quod in Scriptura occurrit. Idem de nummis ac mensuris.

§ 1.

De Ponderibus.

Romanorum.

Usitatum pondus Romanis dicebatur libra, quam ut aliam quamlibet rem integram dicebant *assem:* duo asses dicebantur *dupondium*, tres *tripondium*, centum *centumpondium*. Libram autem dividebant in 12 partes, quas *uncias* vocabant quasi *unicas* partes, quibus haec assignabant nomina, uncia $\frac{1}{12}$, sexstans $\frac{2}{12}$, quadrans $\frac{3}{12}$, triens $\frac{4}{12}$, quincunx $\frac{5}{12}$, semis $\frac{6}{12}$, septunx $\frac{7}{12}$, bes $\frac{8}{12}$, dodrans $\frac{9}{12}$, dextans $\frac{10}{12}$, deunx $\frac{11}{12}$, as $\frac{12}{12}$. Dividebant quoque unciam in duas *semuncias*, in 8 *drachmas*, in 24 *scrupulos*, seu *scripla*, in 48 *obolos*, in 96 *semiobolos*, vocabulis a graeca lingua et moneta derivatis. Ommittuntur aliae minus necessariae divisiones.

Graecorum.

Usitatum pondus apud Graecos (de Atticis loquor) erat drachma, scilicet pars octava unciae romanae, continens sex *obolos*, aut duodecim *semiobolos*. Pondus centum drachmarum

dicebatur *mina*, ut videtur a מָנָה *mandh* hebraica voce, quae respondet latino verbo *numerare*. Pro mina dicitur etiam *mna* μνᾶ. Apud Alexandrinos vero pondera erant duplo majora Atticis. Hinc Alexandrinorum drachma aequivalebat duabus drachmis Atticis, et sic de caeteris.

Hebraeorum.

Usitatum ac praecipuum pondus apud Hebraeos dicebatur *siclus* שֶׁקֶל *scèkel* cui nomini (non tamen quantitati) respondet graecum *stater* στατὴρ, latinum *pondus*. Aequivalebat porro semunciae sive quatuor drachmis romanis. Siclus habebat viginti partes, quas vocabant *gheràh* גֵּרָה sive obolos; (Num. XVIII. 16.) *Siclus viginti obolos habet*. Habebant etiam Hebraei (saltem post exilium) drachmas et minas, sed juxta calculum Alexandrinorum, nempe dupla drachmis et minis Atticis. Hinc drachma Hebraeorum erat quarta pars unciae romanae, et dimidium Sicli: mina continebat ducentas drachmas Atticas vel quinquaginta Siclos. Tirinus vero aliique ex Ezech. (XLV. 12.) colligunt speciem quamdam minae regiae valoris sexaginta Siclorum. *Siclus autem viginti obolos habet: porro viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli, mnam faciunt.*

§ 2.

De Nummis.

Notandum 1.° primis temporibus pecuniam non fuisse numeratam nec signatam, sed solum ponderatam, adeo ut pondera ac nummi nec nomine, nec pretio distinguerentur, quod ab appensi metalli qualitate, ac pretiositate desumebatur. Usum signandi nummos coepisse tempore Abraham, colligunt aliqui, inter quos Tirinus in Prolegomenis, ex Gen. (XXIII. 16.) *Abraham appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatae monetae publicae;* imo quum ibidem (cap. XXXIII. 19.) dicatur de Jacob: *Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula. . . . centum agnis*; inde inferunt etiam signum fuisse pecudis, unde nomen pecuniae, ibi enim dicitur Iacob emisse partem agri *centum agnis*, cum in Actibus Apostolorum (VII. 16.) ubi de illa emptione, uti nonnulli opinantur, fit sermo, dicatur, agrum illum emptum pretio argenti: *Quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem.* Sed critici me-

lioris notae incertam agnoscunt originem apud Hebraeos monetae signatae, cujus expressam mentionem non facit liber ullus Scripturae antiquior 1.º Machab. XV.: Vide Calmeti in Pentat. *Disquisitiones de vetustate monetae signatae.*

Notandum 2.º etsi apud alias nationes vel justum nummorum pondus, vel pura et impermixta metalli qualitas non semper servata sit, in nummos tamen Israelitarum minus dubitare possumus utrum hae fraudes irrepserint; utrumque enim erat Hebraeis religione prohibitum. Et revera legitur sacerdotes fuisse constitutos super pondera et mensuras, (1. Paral. XXIII. 29.) *Sacerdotes autem.... super omne pondus atque mensuram;* et frequens est praesertim Num. III. siclus, vel aliud pondus *Sanctuarii* vel *Templi*, ita vers. 47. *Accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram Sanctuarii;* et vers. 49. *Tulit Moyses.... pro primogenitis filiorum Israel mille trecentorum sexaginta quinque siclorum juxta pondus sanctuarii;* quod licet ab aliquibus intelligatur de pondere speciali, communius tamen explicatur de pondere justi valoris, cujus ponderis exemplar servabatur in Sanctuario. Hisce positis juvabit singillatim recensere praecipuos nummos Romanorum, Graecorum, Persarum et Hebraeorum.

Romanorum.

As, qui dividebatur communius in *semissem*, *trientem*, *quadrantem* (1), *sextantem*, *unciam*. Aerei fuerunt primi Romanorum nummi a rege Servio Tullo signati juxta Plinium (*lib. XXXIII. c.* 3. etc.). *As* habuit ab initio librae pondus, ejusque partes peraequa proportione. Sed primo punico bello constitutum est ut asses *sextantario* (idest duarum unciarum) pondere ferirentur: deinde secundo punico bello asses *unciales* sunt facti, ac tandem lege Papiria circa an. 660 ab U. C. *semiunciales*, juxta Plin. loco cit. Videatur Eckhel. *Doctr. Num. Vet. T.* 5. *sect. I. capp.* 1. *et* 2.

Argentum Romae juxta Plin. cit. feriri coepit anno U. C. 485. Ita autem cusi sunt *denarius*, *quinarius* et *sestertius*, ut quinarius esset dimidium denarii, sestertius quinarii, seu quarta denarii pars. Sestertiorum frequentissima occurrit mentio in Romanorum supputationibus.

Denarius nomen habuit a *denis assibus*, quibus adhuc *libralibus* cum primum cudi coepit, permutabatur. Servavit autem vetus nomen eo quoque tempore, quo asse *unciali* facto,

(1) Quadrans seu quarta pars assis respondebat duobus minutis, ut ex Marc. (XII. 42.) *Vidua... misit duo minuta, quod est quadrans*

sexdecim assibus est aestimatus. Romani denarii pondus ferme idem servatum est sub Imperatoribus.

A veteribus scriptoribus de romana moneta loquentibus accipitur denarius pro drachma attica. Id nos quoque tamquam certum retinebimus, quamvis ex recentiorum experimentis deprehensum sit, drachmam fuisse nonnihil denario graviorem: nam drachma reperta est esse ad denarium ut 112: 100 seu proxime ut 9: 8. Vid. Eckhel *Doctr. Num. Vet. T.* 5. *Sect. I. c.* 3. §§ 1. 2. 3.

Graecorum.

Apud Graecos nummus usitatissimus erat *drachma* δραχμὴ, quae erat pars octava unciae. *Stater* στατὴρ, qui et *Tetradrachmum* τετράδραχμον quatuor drachmis constabat, et Matth. XVII. (23. 26.) duobus dimidiis siclis, seu integro siclo aequalis ponitur. *Mina* seu *mna* μνᾶ erat alter nummus (*immaginarius*) aequivalens centum drachmis. *Talentum* τάλαντον aequivalebat 60. minis seu 6000. drachmis. *Immaginarius* hic quoque nummus censendus est; vid. Eckhel *T.* 1. *Prolegom. cap. IX.*

Persarum.

Nummus antiquissimus exoticus, qui in Vet. Test. memoratur, est *aureus*, seu *Daricus Persicus*, qui in textu hebraico (1. Par. XXIX. 7.; Esdr. II. 69. VII. 27.; et Nehem. VII. 70. 72.) *Zahàv Darchemonìm* זָהָב דַּרְכְּמֹנִים dicitur: in vulgata autem *Solidus*, vel *Drachma* redditur. Darici aurei, qui et *Toxotae* a sagitarii figura impressa dicti sunt, adservantur hodiedum in Museis, et ex pondere ac testimoniis veterum, valuisse 20. drachmas argenteas eruitur.

Hebraeorum.

Apud Hebraeos nummus communis dicebatur *siclus* שֶׁקֶל *scèkel*, cui nomini diximus aequivalere *stater*, *pondo*, atque prope accedere ad semunciam romanam. Siclus signatur ex una parte hac inscriptione שֶׁקֶל יִשְׂרָאֵל *scèkel Israèl*, *siclus Israel*; ex alia parte his verbis יְרוּשָׁלַיִם הַקְּדֹשָׁה *Jeruscalàim Hakedoscàh*, *Ierusalem Sancta*. Invaluit sententia, non tamen comprobata, typis illis raepraesentari *Vas mannae*, et *Virgam Aaronis florentem*. Simon autem et alii Principes et Reges Judaeorum complures alios nummos, praesertim aereos, procuderunt.

Habebant etiam Hebraei pro nummis *drachmas* et *minas*, quae, ut diximus de ponderibus, duplo erant Atticis majora. Hinc non raro haeremus incerti quisnam valor sit nummorum, de quibus fit mentio in Scriptura; ex. gr. *duodecim millium drachmarum argenti* quas Iudas Hierosolymam misit ad suffragia 2. Mach. (XII. 43.) cum incertum sit an agatur de valore Attico an Alexandrino et Hebraico.

Talentum (ita enim vertunt Hebraeorum כִּכָּר *chicàr*) erat apud Hebraeos duplo majus talento attico: nam Chichàr aequivalet 3000. siclis, ut ex a Lapide in *Exod. XXXVIII.* Ex quo haec deducitur ratio: singuli Hebraei quolibet anno in singula capita solvebant dimidium sicli: Exod. (XXX. 13.) *Dabit omnis .... dimidium sicli juxta mensuram templi.* Dicit autem Moyses (loc. cit.) sexcentum millia hominum solvisse centum talenta. Si igitur 600, 000. semisicli = 100. talenta, ergo 3000. sicli = unum talentum. Ex eodem capite liquet siclum Hebraeorum aequivalere semunciae romanae: nam tributum illud semisicli in singula capita solvendum dicitur in Evangelio (1) *didrachmon* δίδραχμον, idest valens duas drachmas: ergo integer siclus continent quatuor drachmas; sed uncia romana dividitur in octo drachmas; ergo integer siclus aequat semunciam romanam.

Animadvertendum hic pariter est, calculo ad scrupulum inito, quatuor drachmas aliquantulum esse siclo ponderosiores, ut docet Eckhel citatus (*p. I. vol. 3. nummi Iudaeae cap.* 4.) et Christoph. Rasche (*Lexicon universae rei nummariae verbo* siclus integer). Animadvertendum est denique talentum non semel juxta alium valorem supputatum fuisse, ac quandoque etiam rudem metalli massam significasse.

§ 3.

De Mensuris Solidorum et Liquidorum.

Romanorum.

Amphora (sic dicta a graeca origine, quia utrinque per ansas ferebatur) erat apud Romanos praecipuum vas. Dicebatur etiam *quadrantal* eo quod esset undique quadrata: pedem autem quaquaversum quadratum habebat. Partes seu vasa alia in quae dividebatur amphora erant: *Urnae duae: Modii tres*, quae rerum aridarum, sive frugum mensurae erant: *Congii octo; Sextarii*

(1) *Accesserunt, qui didrachma accipiebant ad Petrum, et dixerunt ei. Magister vester non solvit didrachma* (Matt. XVII. 23.).

qaadraginta octo (sextarius nominatus est, eo quod sexta pars esset congii). Media pars sextarii erat ἡμίνα *hemina* (ab ἥμισυς *dimidius*, *semis*). Amphora capiebat 80. romanas libras aquae.

Graecorum.

Apud Graecos Atticos praecipuum vas dicebatur μετρητής *metreta* (a graeco verbo μετρέω metiri). Superabat amphoram romanam una urna idest erat dimidia parte major, quare capiebat 120. libras aquae. Dividebatur in 12. *chus* χοῦς respondentes congiis romanis. *Cotyla* κοτύλη par erat heminae romanae, seu dimidio sextae partis congii. Ad dimetiendas fruges Graeci utebantur vase dicto *medimno* μέδιμνος sex modios et 160. aquae libras capiente.

Notandum nomine metretate communis significari potius in Scripturis juxta interpretes mensuram aequalem amphorae romanae, sive parti decimae *cori*, de quo paulo post. Notandum etiam ὑδρία hydrias (ab ὕδωρ aqua), de quibus in Evangelio, continuisse vel partem metretam integram vel plures metretas. Quae in quibusdam Italiae urbibus asservantur tamquam reliquiae nuptiarum Galileae, vel supposititiae sunt, vel saltem erant vasa illis minora in quibus facta est conversio aquae in vinum. Nam juxta Evangelium capiebant saltem metretas binas. Ergo ad minimum capiebant aquae 160. libras. Quae vero conspiciendae exhibentur nonnisi multo minorem aquae partem capere possunt; sic illa, quae Bononiae apud Servos Mariae asservatur, continent plus minus octavam partem Corbis, idest libras bonon. p. m. vigintiquinque.

Hebraeorum.

Apud Hebraeos capacissimum vas erat *Chòmer* חֹמֶר quod vertitur *Corus*. Vas continens decimam partem cori dicebatur *Epha* אֵיפָה sive *Ephi*: et hoc in metiendis frugibus utebantur. Aliud ejusdem capacitatis vocabatur *Bathus* בַּת, et liquidorum erat mensura. *Epha* et *Bathus* aequabant amphoram romanam; quare corus continebat 10. amphoras romanas sive libras romanas aquae 800. Bathus tamen juxta Iosephum (*Antiq. VIII.* 2. 9.) comparatur *Metretae*, quae amphoram unam cum dimidio continebat, unde Corus juxta Iosephum continebat 15. amphoras romanas, sive libras 1200. *Seah* סְאָה sive *satum* erat pars tertia bathi seu ephi. *Hin* הִין media pars sati. *Homer* עֹמֶר (Vulg. *Gomor*) pars decima ephi. *Cabus* קַב pars sexta sati. *Log* לֹג pars quarta cabi. *Quartarius* רֹבַע pars quarta log. *Cadus* censetur aequalis amphorae atticae. *Artaba* saltem aegyptiaca aequalis 5.

modiis sive libris 133 ;. *Cyathus* גְּבִיעַ (genus calicis pro mensura vini in mensis) capiebat duodecimam partem sextarii romani. *Cochlearis* כַּפֹּר est pars quarta cyathi. *Lethek* לֶתֶךְ (hebr. *lèdach*) dimidium est cori. Consule auctores, quos inferius citabimus.

§ 4.

De Mensuris Longitudinum.

Usi sunt homines ubique gentium proprii corporis partibus ad longitudines dimetiendas. Quare non adeo notatu digna esse potest differentia inter nationes circa mensuras hujusmodi.

Digitus est latitudo digiti transversi. *Palmus minor* est intervallum ab articulo manus expansae ad digitorum radices, seu 4. digitorum transversorum. *Cubitus* est longitudo a flexu brachii dextri usque ad extremum digiti, quae inspecta hominis bene formati statura sex palmis definita 'est, seu viginti quatuor digitis. Putant aliqui cubitum Scripturae fuisse uno palmo cubitis nostris majorem, cum constitutus fuerit cubitus apud Hebraeos eo tempore, quo corpus hominis erat majus. *Pes* continet quatuor palmos, sive sexdecim digitos, idcirco cubitus est pes cum semipede. *Passus* sive *gressus* est intervallum inter pedes hominis gradientis, quod putatur esse duorum pedum cum dimidio in passu simplici: in alio, quem vocant compositum, 5. pedum. *Miliarium* continet mille passus seu octo stadia. Nam *Stadium* constat 125. passibus. Apud Graecos tantum constabat 100. Graecis Hebraeisque peculiaris erat mensura spatium illud quod distenta manu interjacet pollicem inter ac indicem, continens 12. digitos. Graeci appellabant *Spithama* σπιθαμή, Hebraei *Zereth* זֶרֶת Appellatur etiam *Palmus major.* Hebraei habebant etiam *Chibrath* כִּבְרַת (al. *Chivràd*), quod ut multi putant, erat 100. cubitorum. Duorum millium cubitorum seu 6. ad 7. stadiorum erat *iter seu via Sabbati,* nempe iter quod praetergredi Iudaeis non licebat illa die. Haec mensura erat longitudinis ejus spatii, quod occupabant castra in deserto.

§ 5.

De illis, quae hoc Articolo tradita sunt plura habes apud a Lapide post Commentarium in Pentat. *De Mensuris et Ponderibus Hebraeorum, Graecorum, Romanorum, et Hispanorum;* consule Calmet *Disquisitiones de vetustate monetae signatae* in Pent.; ubi tabula exhibetur, in qua Calmet comparat

valorem ponderum, monetarum, longitudinum Hebraeorum, cum valore ponderum, monetarum, longitudinum Gallorum: Tirinum in *Prolegomenis;* novissime apud Sanquintino *Delle misure Lucchesi. Badia Fiesolana.* Describit hic oeconomiam, qua Romani ex solo pede pondera, et mensuras alias deduxere. Ex pedum scilicet *iteratione* constituerunt *passum;* ex passibus *milliarium* etc. Ex pede autem diviso constituerunt *palmum,* et ex palmo caeteras mensuras inferiores. Ex pede *cubico amphoram* constituerunt, et ex amphora mensuras alias solidorum, et liquidorum. Pondus vini *octogesima amphorae parte contenti, libram* dixerunt, a qua caetera pondera derivarunt. Proponit etiam idem auctor modum comparandi mensuras longitudinis duarum regionum, comparando scilicet mensuras illas cum longitudine unius gradus *Meridiani*, quae ubique eadem est.

Vide etiam Luca de Samuele Cagnazzi, *Valori delle Misure e Pesi antichi: Napoli* 1825.: nec non *Tabulas Nummor. Pond. et Mens. apud Romanos et Graecos* a cl. Letronne confectas. Ex accuratissimis rationibus ab hoc supputatis,

Denarius Consularis = centesimis 82. denarii italici; 79. 78. denarii ab Augusto ad Claudium.

Drachma Attica = centesimis 92.

As = Grammat. 327. 187.

Amphora = Mitris 26. 39. 9.

Metretes = Litris 39. 6.

Interim ut aliqua pro usu nostro lectoribus suppetant, notetur 1.° pro ponderibus, monetis, ac mensuris solidorum et liquidorum, libram romanam minorem esse bononiensi, adeo ut illa aequet uncias bononienses undecim et quadrantem. Illa quoque minor est libra parisiensi; valet enim paulo minus quam tres quadrantes hujus librae. 2.° Corbis bononiensis pro liquidis continet 200. libras; ergo aequalis est duabus amphoris cum dimidio. Corbis vero bononiensis pro tritico vulgo censetur pondus continere librarum 140., etsi revera tritici libras contineat circiter 165. 3.° Denarius argenteus ex quo drachmarum, et siclorum valor deduci potest juxta superius dicta, respondet 15. circiter aut 16. solidis (*bolognini o bajocchi*) monetae bononiensis; vid. *Del Ritrovamento di Medaglie Consolari, e di Famiglie fatto a Cadriano nel Bolognese, Ragionamento* Philippi Schiassii Viri omni eruditionis, ac doctrinae genere clarissimi, de me optime meriti. 4.° Pro mensuris longitudinis ex Cl. Scarpellino Rom. Prof. scimus pedem Romanorum sub Vespasiano aequare pollices 11., lineas 2. pl. mi. pedis parisiensis. Pes vero parisiensis aequat circiter uncias 10 $\frac{1}{4}$ pedis bononiensis.

§ 6.

Exempla.

Ad majorem rerum hujusmodi declarationem sint haec exempla.

1.º Quaero quid tribuerit Salomon Regi Hiram singulis annis pro lignis, quae dederat Hiram ad Templi aedificationem. Lego 5. Reg. (V. 11.) dedisse *coros tritici viginti millia. . . . et viginti coros purissimi olei.* Pondus farinae et olei ponatur aequare pondus aquae aut vini: ita licebit ratiocinari.

Corus = 10 Amphoris.

Amphora = 80 libris romanis.

Ergo Corus farinae = libris rom. 80 × 10 = 800

At 20000 × 800 = 16000000.

16000000 librr. rom. — 15000000 librr. bonon.

15000000: 140 = 107143 plus minus. Hic erit numerus corbium farinae, quam Salomon tribuit Hiram.

Quod ad oleum:

Corus olei = librr. rom: 80 × 10 = 800.

Sed 20 × 800 = 16000.

16000 librr. rom. — 15000. librr. bonon.

15000: 20 = 750. Hic erit numerus corbium olei, quod Salomon tribuit Hiram.

2.º Quaero quanti venditus sit Christus. Lego apud Matth. (XXXI· 15.) triginta argenteis.

Argenteum cum variis interpretibus siclo aequivalere reputantes ita ratiocinari poterimus.

Siclus = 4 drachmis pl. mi.

Drachma = denario pl. mi.

Denarius = 15 solidis pl. mi.

Ergo siclus = 4 × 15 = 60.

60 × 30 = 1800 solidis (bajocchi). Hic erit pl. mi. valor monetarum, quibus venditus est Christus.

3.º Quaero quantum Bethania a Ierusalem distaret. Lego apud Ioann. (XI. 18.) *quasi stadiis quindecim.* Hoc posito sic licet ratiocinari.

Stadium = 125 passibus.

Sed 125 × 15 = 1875.

1875: 1000 = 1 milliario + $\frac{7}{8}$. Haec quasi erit distantia Bethaniae a Ierusalem.

DISSERTATIO II.

DE IDIOTISMIS COMMUNIORIBUS HEBRAICI AC GRAECI SERMONIS.

CAPUT UNICUM.

Art. I.

De Idiotismis in genere.

Praenotanda.

Quanti facienda sit peritia hebraici, ac graeci sermonis, quibus majori ex parte conscripti sunt S. Scripturae libri, ostenderunt multi, ac prae aliis Melchior Canus in opere *de Locis Theologicis*. Id etiam perspicuum est ex iis, quae alibi innuimus, ubi de Sacrorum Librorum obscuritate et interpretatione locuti sumus. Cum porro non adeo multi illi sint, qui longo ac perdifficili exoticarum linguarum studio dare operam possint, colligemus praecipuos illarum idiotismos, sive proprietates dicendi, ut textuum difficultas, quae ex primigeniis sermonibus enascitur, aliqua saltem ex parte imminuatur.

Quod antequam aggrediamur, monendum in primis censemus, difficilem admodum rem esse latinae scriptoribus vim assequi quam prae se ferunt hebraici idiotismi, qui dum alio sermone exprimendi sunt, enervari haud parum videntur. Nedum autem id difficile, sed et periculosum valde putamus quia tirones regulas, quae ad hoc traduntur, facile transferunt ad propositiones alias Sacrae Scripturae, quae similes videntur, in quo si errabunt, (errabunt autem saepe) sensum eruent falsum. Tandem in multis etiam vix ullius utilitatis id nobis esse videtur, cum S. Scripturae phrases, quae et usu et Ecclesiae voce familiares nobis sunt factae, melius cognoscimus, non raro saltem, nativis ac simplicioribus coloribus depictas, quam alienis licet fortasse clarioribus. Hisce de caussis (ut creditur) S. Hieronymus in versione sua latina retinere maluit idiotismos hebraicos, quam omnia ad latinae linguae, quam tamen opti-

me callebat, modos revocare. Summopere enimvero, ajebat Augustinus argumenta hujusmodi pertractans (*lib. IX. de Doctr. Christ. cap.* 20.), *cavendum est ne divinis gravibusque sententiis, dum additur numerus, pondus detrahatur.* Nihilominus ne a via, quam interpretes fere sequuntur, recedere videamur, et ne auditores nostros luce illa privemus, qualiscumque sit, quae ex idiotismorum explicatione oboritur, hanc tractationem aggrediemur, ea tamen lege ut Patrum explicatio, et Ecclesiae sensus, quem seniores interpretes ostendunt, cuivis grammaticali commentationi praeferatur.

Monemus praeterea idiotismos alios ita proprios esse hebraici graecive sermonis, ut nullius alterius sermonis sint proprii, alios vero convenire alteri quoque sermoni ex. gr. latino vel italico. *Proprios* illos, *communes* istos appellare possumus. Iam vero in figuris praesertim recensendis nedum proprios sed et communes interdum persequemur, idque tum claritatis gratia, tum interpretum exemplo. Quas autem trademus regulas ab aliis accepimus, a Tirino praesertim in *Prolegomenis.*

Hisce praejactis, ad idiotismorum explicationem proximius accedentes notabimus 1.° in genere (quod ad ea etiam, quae superius diximus magis confirmanda valet) apud Hebraeos exiguum esse numerum radicum, unde caeterae voces omnes derivantur. Hinc idem nomen, verbum, sententia diversis rebus aptatur. Hinc diversitas apud interpretes ac etiam apud interpretes ac etiam apud eumdem interpretem, dum ita quisque verbum convertit ut sibi convenientius videtur. Ex. g. *tzinàh* צִנָּה est commune nomen *armorum*, et vertitur 3. Reg. (X. 16.) *scutum;* ibid. 17. *pelta;* Ezech. (XXIII. 24.) *lorica;* ib. (XXVI. 8.) *clypeus;* Amos (IV. 2.) *contus.* Pariter *asciscàh* אֲשִׁישָׁה significat id, quod in conviviis et diebus festis exhilarat, sed vertitur Cant. (II. 5.) *flos*: *fulcite me floribus*, alias *unguentum*, aut in genere omnia, quae exhilarare possunt. Id valet etiam in multis aliis orationis partibus, ut videbimus. 2.° Interpretes Graeci ac Latini stilo ac phrasi hebraicae nimis interdum adhaerentes hebraizant aliquando, ac soloecismum faciunt, ut notavit ipse Hieronymus in 2. *libr. Commentariorum ad Ephesios.* 3.° Lingua graeca in iis libris, qui graece conscripti sunt non semper est pura. Quemadmodum enim hebraico sermoni commiscuerunt Hebraei multa ex Chaldaeis, quibuscum vixerant in Babylonia, ex vicinis etiam Syris et Arabibus, ita et sub Graecorum imperio, licet graecae linguae assueverint, tamen aliqua interdum ex proprio sermone retinuerunt, ut accidit quando linguas usu addiscimus. Hinc in textu graeco occurrunt voces hebraicae, uti *Amen* אָמֵן

(*vere*), *Allelujah* הַלְלוּיָה (*Laudate Deum*), *Korban* קָרְבָּן (*Templi aerarium, oblatio* etc.), *Satan* שָׂטָן (*adversarius*) *Sabaoth* צְבָאוֹת (*Exercituum*) etc. Hinc etiam constructio et modi dicendi Hebraeorum. Ex. gr. Luc. (I. 37.) *Non erit impossibile apud Deum omne verbum;* idest *omnis res;* (XXII. 49.) *Domine si percutimus in gladio?* idest *debemus ne gladio percutere?* Alia ommittimus quae deinceps occurrent: saepe enim aptari possunt ea, quae de hebraica lingua dicemus exemplis e graecis etiam Scripturae libris depromptis. Siriaca quoque sunt aliqua uti *Abba* אַבָּא ; *Raca* רֵיק (juxta hebr. *Rek*); *Mammona* מָמוֹן (*Mamòn*); *Maranathà* מָרָן אָתָא, idest *Dominus noster venit. Persica sunt angariare*, *magi.* Expressa sunt etiam graecis vocabulis nomina latina aliqua uti *Legio* Λεγεών, *Praetorium* Πραιτώριον etc.

Puritatem graecae linguae aufert praeterea aut saltem obscurat tum ordo, sive phrasis, verborum varius pro varietate peculiarium dialectorum, tum stilus maxime diversus. Et sane Paullus ipse 1. Corinth. (XIV. 6. 18.) (1) testatur se omnium Corinthi civium, incolarumque linguis esse locutum; ex quo patet in una Corinthi urbe, quae colonia Romanorum erat, admixtis Graecis, Hebraeis etc. diversimode homines locutos. Quare licet Paullus puram calleret Graecam linguam ut ostendit in Areopago, nec non coram Felice et coram Festo ut ex Apostolorum Actibus constat; tamen non eumdem servavit sermonem semper, sed se iis accommodavit quibus scribebat, quemadmodum et caeteri hagiographi. Retinuit etiam aliqua Cilicibus propria, quippe qui oriundus erat ex Tarso Ciliciae urbe; sicut alii alias retinuerunt dialectos.

Hisce praenotatis persequemur ex ordine in orationis partibus, in figuris, diversis phrasibus idiotismos hebraici praecipue sermonis, tum quia hic difficilior esse solet, tum quia ex superius dictis ipsi graeci libri, et vel ipsae versiones hebraicis modis sunt refertae.

Art. II.

De Idiotismis in Nomine.

1.° In declinatione nominum nulla differentia in casibus, sed solum in numero; ut Itali, sic et Hebraei. Isti porro discriminant aliquos casus litteris quibusdam servilibus, quorum

(1) *Nunc autem fratres si venero ad vos linguis loquens . . . Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.*

vis interdum indeterminata est et varietatem inducit; ex. gr. Psalm. (III. 3.) *Multi dicunt animae meae: non est salus;* etc. alii vertunt *de anima mea:* Psalm. (IV. 2.) *In tribulatione dilatasti mihi;* alii *dilatasti me.*

2.° Cum Hebraei careant genere neutro, pro neutro adhibent masculinum et frequentius faemininum; ex. gr. Psalm. (XXVI. 4.) *Unam* (idest *unum*) *petii a Domino;* Psalm. (CVIII. 27.) *Et tu Domine fecisti eam*, id est *fecisti hoc.*

3.° Frequens est generum mutatio facta relatione ad aequipollens substantivum; ex. gr. Psalm. (XXXIX. 6.) ubi fit sermo de cogitationibus Dei : *Multiplicati sunt super numerum* idest *multiplicati cogitatus*: Psalm. (CXXXI. 6.) *Audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvae*, idest *audivimus, invenimus domum Dei aedificandam.*

4.° Saepe abstractum ponitur pro concreto; ex. gr. Exod. (VIII. 26.) *Abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Deo nostro?* idest *res abominales* vel *abominatas* ab Aegyptiis, qui nefas putabant immolare Deo oves aliaque, quae Deos putabant; Psalm. (XX. 3.) *Desiderium* (idest *res desideratas*) *cordis ejus tribuisti ei, et voluntate* (idest *rebus volitis*) *labiorum ejus non fraudasti eum.*

5.° Carent comparativo; hinc pro illo utuntur aliquando positivo, uti Psalm. (CXVII. 8.) *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*, idest *melius est* etc.; aliquando unum affirmant et alterum negant; ex. g. Oseae (VI. 6.) *Quia misericordiam volui, et non sacrificium*, idest *misericordiam potius quam sacrificium:* aliquando utuntur verbo vehementiori pro minus vehementi; ex. gr. ad Rom. (IX. 13.) *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, idest *minus dilexi.* Saepe etiam comparativum exprimunt per circumlocutionem additis praepositionibus *prae*, *super;* ex. gr. (Cant. 1. 3.) *Memores uberum tuorum super vinum.* Psalm. (XLIV. 3.) *Speciosus forma prae filiis hominum*: Psalm. (LIV. 22.) *Molliti sunt sermones ejus super oleum*, hoc est *plusquam oleum.*

6.° Carent etiam superlativo: pro eo utuntur aliquando adverbio *valde*, ex. gr. Gen. (I. 31.) *Viditque Deus cuncta quae fecerat: et erant valde bona*, idest *optima:* aliquando utuntur adjectivo cum genitivo nominis substantivi; ex. gr. Psalm. (XLIV. 13.) *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, ditissimi populorum:* Aliquando addunt nominativo genitivum pluralem ejusdem nominis; ex. gr. (Cant. I.) *Canticum Canticorum*, idest *canticum excellentissimum;* Eccl. (I. 2.) *Vanitas vanitatum*, idest *res vanissima.*

7.° Eadem res diversis interdum nominibus designatur juxta diversas ejusdem rei proprietates, et conditiones: in Psalm.

CXVIII. Leges Dei appellantur: *praecepta*, *mandata*, *statuta*, *custodia*, *justitia*, *aequitas*, *veritas*, *testimonia*, *testamentum*, *via Domini*, *justificationes* etc. et apud Isaiam Redemptio Christi, quae Daemon, mors et peccatum devicta fuerunt, et homines salvati, dicitur *strages*, *salus*, *ultio*, *redemptio*, *indignatio*, *pax*, *caedes*, *protritio*, *victoria*.

8.° Quod attinet ad arbores caeterasque gemmas, et animalia, pauca habent specifica, plura generica, quae idcirco et aequivoca sunt, et variis modis ab interpretibus explicantur: ex. gr. *thannin* תַּנִּין, sive *thanninim* תַּנִּינִם significat animal monstruosum praesertim magnitudine: hinc Gen. I. 21. vertitur *cete* (*balena*): Hieronymus et Septuaginta vertunt *Draconem;* alibi quoque aliter.

9.° Quia interpretes graeci ac latini non semper in propria lingua nomina inveniebant, quae hebraicis nominibus responderent, plerumque intactum relinquunt hebraicum nomen; ex. gr. in Exodo occurrit passim vox שִׁטִּים *Scittim*, et juxta Vulgatam *Settim*, vel *Setim*, nomen ligni peculiaris: in Levitico mensurae propriae Hebraeorum : *hin* הִין, *gomor* עֹמֶר (juxta hebr. *hòmer*), *satum* סְאָה , *cabum* קַב , *epha* אֵיפָה (al. *Ephàh*). Aliquando tamen uti maluerunt voce rei speciem exprimente hebraicae affinem. Ita pro *Setim* dixerunt *spinam*, *buxum;* pro mensuris Hebraeorum alias usurparunt Graecorum et Romanorum: *modium*, *sextarium*, *congium*, etc.

10.° Cum una eademque persona non raro plura habeat nomina, hinc fit ut modo uno, modo altero nomine appelletur; ex. gr. uxor Abrahae nunc dicitur *Sara* שָׂרָה (juxta hebr. *Saràh*) nunc *Saràì* שָׂרַי, nunc *Iescha* יִסְכָּה (*Ischàh*) ut aliqui interpretantur Gen Gen. XI. 29.

11.° Saepe vix dignoscitur hebraicum nomen in aliam linguam conversum, vel eo quod diverse inflectitur juxta diversam linguae indolem, vel eo quod ratio habetur etymologiae; ex. gr. hebraice et chaldaice dicitur אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ *Achasveròsc* Dan. (IX. 1.) Esther (I. 1. II. 1. etc.), latine veso *Assuerus*: quum vero ea vox significet magnum caput sive ducem, aut eum qui *magna molitur*, persice appellatur *Xerses* (*bellator*) vel *Artaxerxes* (*magnus bellator*) teste Herodoto; graece autem *Oxyares* (*acer mars*). Vid. Tirinum.

12.° Oriens, Occidens, aliaeque mundi plagae designantur respectu habito ad urbem Ierusalem, aut ad Terram Sanctam, quia Iudaei scriptores Iudaeis scribebant. Sic Assirii et Chaldaei

dicuntur Aquilonares, Ierem. (1. 14.) *Ab Aquilone pandetur malum*, idest a *Babylone:* sic Dan. (XI. 11.) *Rex Austri* (idest *Aegypti*) conflicturus dicitur cum *Rege Aquilonis* (idest *Syriae*). Ita etiam cum mare mediterraneum, quod Palaestinam alluit, majori ex parte occidens attingat, nomine *maris* intelligitur occidens. Quia tamen mare adhaeret etiam ex aliqua parte eidem Palaestinae ad australem plagam, interdum significat austrum; ex. gr. Psalm. (CVI. 3.) *A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari*, idest *austro.*

Art. III.

De Idiotismis in Verbis.

1.° Hebraei pro tempore praesenti, praeterito imperfecto et plusquam perfecto, quibus carent, utuntur praeterito perfecto, vel participio; ex. gr. Gen. (I. 29.) *Ecce dedi vobis omnem herbam*, idest *do vobis:* Psalm. (CXV. 1.) *Credidi, propter quod locutus sum*, idest *credo dum loquor*, *vel credo*, *ac ideo loquor;* Ioan. (XVIII. 24.) *Et misit eum Annas ligatum*, idest *miserat.* 1. Cor. (XII. 2.) *Ad simulacra muta . . . . euntes*, idest *ibatis.*

2. Hebraei cum careant voce propria optativi, uti etiam latini, modum hunc exprimunt, (1.°) per particulam aequivalentem *utinam*; ex; gr. Psalm. (CXVIII. 5.) *Utinam dirigantur viae meae ad custodiendas justificationes tuas;* (2.°) saepius per interrogationem; ex. gr. Psalm. (XIII. 7.) *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* (LIV. 7.) *Quis dabit mihi pennas sicut columbae?*

3.° Pro subjunctivo modo, quo pariter carent Hebraei, adhibent ad illum exprimendum vel particulas aequivalentes *si*, *cum*, vel *gerundia*; ex. gr. Psalm. (IX 4.) *In convertendo inimicum meum retrorsum;* idest *quando*, vel *cum verteris caput inimicorum* etc. (CXXV. 1.) *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati;* idest *cum converteret* etc.

4.° Peculiare Hebraeis est, ut uno tempore exprimant simul omnia alia tempora ad denotandam rei permanentiam; ex. gr. Psalm. (I. 1.) *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit*, idest, *qui non abiit, nec abit, nec abibit, et qui non stetit, nec stat neque stabit.*

5.° Pro futuro interdum praeteritum usurpatur ad rei certitudinem, quasi rei praeteritae significandam; et hoc praecipue in Prophetis. In Deut. ex. gr. (XXXII. 15.) Moyses de Habreorum populo prophetans ait; *Incrassatus est dilectus, et*

recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo: Psalm. (XXI. 17. et seqq.) *Circumdederunt me .... foderunt .... diviserunt*, quae de passione Christi adhuc futura sunt dicta.

6.° Imperativus modus aliquando exprimit locutionem conditionatam; ex. gr. Psalm. (IV. 5.) *Irascimini, et nolite peccare*, idest *si irascimini* etc.

7.° Cum idem verbum multis apud Hebraeos inflectatur conjugationibus, hinc multae etiam ejusdem verbi significationes, quae non satis possunt exprimi per alia idiomata, tot ejusdem verbi conjugationibus carentia. Idcirco aliquando actio duplicata in verbo continetur; ex. gr. Psalm. (LI. 7.) *Emigrabit te*, idest *emigrare faciet te*: Oseae (VIII. 4.) *Ipsi regnaverunt*, idest *regem sibi constituerunt*: Rom. (VIII. 26.) *Spiritus postulat pro nobis*, idest *postulare facit*.

8.° Aliquando verba sumuntur, ut ita dicam, *in fieri*, seu in actu inchoato, aliquando continuato; ex. gr. usurpatur *facere* pro *conari*, *incipere*, *moliri aliquid facere;* et ita explicatur, quomodo Hebraei dicantur in Deut. (XVI. 6.) egressi vespere ex Aegypto, *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Aegypto*, dum in Exod. (XII. 42.) dicitur id contigisse nocte, *Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Aegypti*, et in Num. (XXXIII. 3.) significetur id contigisse mane.

9.° Subinde verba non actum, sed agendi vim designant, ex. gr. Ioan. (I. 9.) *Illuminat omnem hominem;* (vers. 29.) *Tollit peccata mundi*, idest *ex se talem vim habet*. Sic verificantur prophetiae, quae dicunt sub Christo abolenda peccata omnia.

10.° Aliquando verba sumuntur pro adverbiis, ut *convertor*, *revertor*, *addo*, *adjicio*, pro *rursus*, *iterum*, *ultra;* ex. gr. Psalm. (LXXVII. 41.) *Conversi sunt, et tentaverunt Deum*, idest *iterum tentaverunt*: (LXXXIV. 7.) *Deus tu conversus vivificabis nos*, idest *iterum vivificabis*: Eccli. (III. 29.) *Peccator adjiciet ad peccandum*, idest *peccatis peccata addet.*

Art. IV.

De Adverbiis, Praepositionibus, ac reliquis Orationis Partibus.

1.° Similitudo exprimitur non raro per casum ablativum: ex. gr. Psalm. (LXVII. 15.) *Nive dealbabuntur in Selmon*, idest *candidi erunt sicut nix, quae abundat in monte Selmon;*

et (vers. 31.) *Qui probati sunt argento*, idest *tamquam argentum, quod igne probatur.*

2.º *Non omnis*, licet aliquando denotet *aliquem* ut apud Matth. (VII. 21.) *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum*, ut plurimum tamen idem est ac *nullus*; ex. gr. Psalm. (XLVIII. 18.) *Cum interierit non sumet omnia*, idest *nulla* seu *nihil*: (CXLVII. 9) *Non fecit taliter omni nationi, idest nulli nationi.*

3.º Particula *si* saepe sumitur pro *non* et jurijurando inservit; ex. gr. 3. Reg. (XVII. 1.) *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba*, idest *juro pluviam non esse casuram*: Psalm. (XCIV. 11.) *Ut juravi in ira mea: si introibunt in requiem meam*, idest *juravi nequaquam introituros in requiem et terram promissionis.* Similiter apud Marc. (VIII. 12.) *Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.* Interdum *si* est nota interrogantis; ex. gr. Psalm. (LII. 3.) *Prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum*, idest *ut videat an sit* etc.

4.º Copulativa *et* saepe aequivalet τῷ *idest*: ex. gr. Num. (III. 3.) *Quorum repletae et consecratae manus*, hoc est *quorum manus repletae oleo sunt consecratae*, sive *manus repletae oleo, idest consecratae.*

5. *In* frequentissima praeposito est apud Hebraeos, et adhibetur etiam pro aliis propositionibus, uti *per*, *cum*, *apud*, *propter*, etc; ex. gr. *Factum est verbum Domini in manu Isaiae, Aggaei etc.*, idest *per Isaiam, Aggaeum* etc. Interdum *in* cum ablativo significat contactum corporalem, vel metaphoricum et spiritualem ut rem visam oculis ex. gr. Isai. (LXVI. 5.) *Videbimus in laetitia vestra*, idest *laetitiam vestram.* Saepe redundat; ex gr. Gen. (XLVIII. 22.) *Tuli .... in gladio et arcu meo;* Luc. (XXII. 49.) *Si percutimus in gladio.*

6.º *Ad* saepe valet *de;* ex. gr. 2. Reg. (III. 18.) *Dominus locutus est ad David* (idest *de David*) *dicens: in manu servi mei David*: ad Hebraeos (I. 7.) *Ad angelos quidem dicit*, (idest *de Angelis*); et (IV. 13.) *Ad quem nobis sermo:* idest *de quo.*

7.º *A* saepe valet *apud*, *coram*, ex. gr. Eccli. (XLI. 21.) *Erubescite a Patre et Matre*, idest *coram iis.*

8.º *Quonian*, *quia*, *eo quod* et similia perinde valent ac *quamvis*, *etsi*, ex. gr. Ierem. (VII. 10.) *Liberati sumus eo quod* (idest *quamvis*) *fecerimus omnes abominationes istas:* Gen. (XVIII. 27.) *Loquar ad Dominum meum, dum sim pulvis et cinis*, idest *etsi sim pulvis* etc. Item *propterea* non semper indicat caussam, sed interdum eventum, sive consecu-

tionem rei, et saepe conjungit sequentia cum antecedentibus; idem de *ut*, *quia*, *propter quod;* ex. gr. ad Rom. (V. 20.) *Lex autem subintravit ut abundaret delictum*, idest *occasione legis homines deliquerunt:* ita *ut sermo impleretur*, et similia. Idiotismum hunc melius agnoveris si notes difficultatem exprimendi particulas alterius idiomatis, praesertim si particulae istae aequivocae sint, ut praecipue in hebraico sermone contingit, qui valde concisus et foecundus significationis est. Hinc facile explicari illud potest, cui multa alia similia sunt: Psalm. (LXX. 15.) *Quoniam non cognovi litteraturam introibo in potentias Domini*, idest *quamquam non cognoverim.* Eadem enim particula hebraica כִּי (*chi*) aeque significare potest *quoniam*, *quia*, *quamvis*, *nam*, etc.

9.° Duas praepositiones aliquando jungunt Hebraei; ex. gr. Deut. (IX. 14.) *Delem nomen ejus de sub caelo:* Psalm. (LXXVII. 70.) *Elegit David servum suum et sustulit eum de gregibus ovium, de post foetantes accepit eum*, idest *accepit David de statu in quo ibat post oves etiam praegnantes, ac foetas.*

10.° Usitatissimum est Hebraeis, Chaldaeis, Graecis, sermonem incipere a vocibus *et*, *ergo*, *igitur*, *autem*, sive ob linguae idiotismum, sive propterea quod sermonem colligant cum alia re vel scripta in alio volumine, vel mente comprehensa, ut patet initio Lev. *Vocavit autem Moysen .... Dominus;* Num. *Locutusque est Dominus;* Ios. *Et factum est post mortem Moysis*, etc.

Art. V.

Phrases variae, ac locutiones figuratae.

1.° Unus sensus aliquando pro alio sensu accipitur, ac praesertim *visus* qui principalis est; ex. gr. Exod. (XX. 18.) *Cunctus autem populus videbat vocem*, idest *audiebat.*

2.° Ad rei emphasim, excellentiam, universalitatem significandam Hebraei utuntur geminatione (1.° *verborum* ex. gr. 1. Reg. (XXVI. 25.) *Benedictus tu fili mi David*, *et quidem faciens facies*, *et potens poteris*, idest *felicissime operaberis:* sic Psalm. (CXVII. 18.) *Castigans castigavit;* Thren. (I. 2.) *Plorans ploravit in nocte:* (2.°) *nominum*, ac ita ut addito genitivo plurali significetur rei excellentia, uti *Canticum Canticorum; Vanitas Vanitatum*, etc. repetito vero eodem no-

mine per eumdem casum significetur multitudo et universalitas; ex. gr. Psalm. (LXXXVI. 5.) *Homo et homo natus est in ea*, idest *multi homines*, (CXXI. 4.) *Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini;* (CXLIV. 4.) *Generatio, et generatio laudabit opera tua.* Aliquando etiam nomen repetitum diversitatem et discrepantiam significat; ex. gr. Psalm. (XI. 3.) *Labia dolosa in corde et corde locuti sunt*, idest corde duplici: Prov. (XX. 23.) *Abominatio est apud Deum pondus et pondus:* idest pondera leviora ad vendendum, et graviora ad emendum. (3.°) *propositionum*, ac praesertim in carmine, ubi saepissime in postero hemistichio idem vel fere idem repetitur; ex. gr. Psalm. (LXIX. 1.) *Deus in adjutorium meum intende*, *Domine ad adjuvandum me festina*; (CI. 2.) *Domine exaudi orationem meam*, *et clamor meus ad te veniat.*

3.° Ad rei pariter exagerationem utuntur nominibus divinis, vel aliis caelestia ac sublimia indicantibus; ex. gr. Psalm. (XXXV. 6.) *Domine in caelo misericordia tua et veritas tua usque ad nubes;* et iterum (vers. 7.) *Iustitia tua sicut montes Dei.*

4.° In numeris personarum, annorum etc. computandis utuntur communiter numero rotundo, neglectis paucis, qui supersint aut desint. Ita dicuntur *septuaginta seniores*, *septuaginta interpretes*, *septuaginta discipuli Domini*, neglectis uno vel duobus. Septuaginta filii Ierobaal dicuntur Iudic. (IX.) interfecti ab Abimelech, cum duo deessent nempe ipse Abimelech et Ioatham, qui evasit.

5.° Aliquando scriptores sacri de se ipsis loquuntur quasi de aliis; ex. gr. Moyses Num. (XII. 3.) ait. *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes, qui morabantur in terra:* Ioannes (XIX. 27.) ait de se ipso: *Ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Nimirum, ommissis aliis, Spiritus Sanctus loquebatur per Moysem de Moyse, de Ioanne per Ioannem.

6.° Cum Hebraei nominibus propriis vel gentiliciis mysterium aliquod, vel rem particularem significent, interpretes pro nomine hebraico utuntur ejusdem explicatione in lingua propria; ex. gr. Gen. (XXVI.) nomina hebraica puteorum vertuntur per voces: *calumnia*, *inimicitia*, *abundantia*, quae illis respondent, ac illa explicant.

7. Nominibus *Samaria*, *Ephraim*, *Ioseph*, *Israel*, *Iacob*, ante captivitatem Babylonicam designantur decem tribus schismaticae, quarum sedes erat in Samaria, in tribu Ephraim, a quo ac proinde a Iosepho utpote patre Ephraim genus suum ducebat Ieroboam caput schismatis. Erant autem istae tribus major pars Israelis, et Iacobi filiorum.

8.° Cum Deus apparuisse dicitur, id de angelis Deum ipsum

repraesentantibus intelligunt Hieronymus (in Galat. III.), Augustinus (*lib. 3. de Trinitat. c. ult.*), aliique non pauci inter Patres. Enimvero qui Moysi dixit Exod. (III. 6.) *Ego sum Deus .... Abraham*, angelus erat teste etiam D. Stephano Act. (VII. 30.) *Et expletis annis quadraginta apparuit illi* (Moysi) *Angelus in deserto montis Sinae in igne flammae rubi.* Sic etiam qui legem dedit Moysi in Sina angelus dicitur a Paullo ad Galat. (II. 19.) *Ordinata* (lex Moysis) *per angelos*, cum tamen in Exod. (XIX. 20.) dicatur: *Descenditque Dominus super montem Sinai.... et vocavit Moysen* etc.

9.º *Vasa* apud Hebraeos vocabantur quaevis instrumenta. Ita *vasa mortis*, omnia sunt, quibus mors infertur; *vasa belli*, arma ac instrumenta bellica; *vasa psalmi* et *cantici*, instrumenta musica. Simili phrasi ad multas alias relationes significandas extendunt nomen *filii;* ex. gr. *filia pharetrae*, sagitta; *filia maris*, insula; *filii olei*, campi pingues; *filii mortis*, qui digni sunt morte. Sic multi explicant illud de Saul 1. Reg. (XIII. 1.) *Filius unius anni*, pro primo regni anno.

10.º *Calix* et *funiculus* non raro indicant haereditatem, quia haeredes in divisione metiebantur agros funiculis, et sortes mittebant in calicem. Calix denotat etiam bonum aut malum cuique a Deo decretum, sumpta metaphora a veteribus conviviis, in quibus architriclinus calicem et vini portionem cuique assignabat.

11.º *Non amplius*, *non ultra*, *aeternum*, *generatio generationis*, *saeculum*, non semper veram denotant perpetuitatem, sed longam durationem, cujus finis vitam excedat hominis viventis; ex. gr. Isai. (XXIII. 12.) *Non adjicies ultra ut glorieris;* Ezech. (XXVI. 14.) *Nec aedificaberis ultra*, cum tamen Tyrus, de qua ambo loquuntur post longum tempus reaedificata sit. Sic etiam 1. Paral. XV. 2.) Levitae dicuntur electi ad portandam arcam et ad ministrandum *in aeternum*: *Illicitum est ut a quocumque portetur arca Dei nisi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, et ad ministrandum sibi in aeternum.* Aliquando etiam dictiones illae rem solum exaggerant, ex. gr. Ioan. (IV. 9.) *Irascor ego usque ad mortem*, idest *nullo modo patiar* etc.

Notant porro interpretes tunc veram exprimi in Scripturis perpetuitatem quando nomini *aeternum* (hebr. עוֹלָם *holàm*) aliquid additur: ex. gr. cum dicitur: *in aeternum et ultra*, aut aliud simile. Origenes (*Homil. VII. in Exod. num. 15.*) in illud: *Domine qui regnas in saeculum, et in saeculum, et adhuc*, ait: *Quoties in saeculum dicitur, longitudo quidem temporis, sed esse finis aliquis indicatur; et si in aliud sae-*

culum dicatur, aliquis sine dubio longior quidem, tamen ponitur finis; et quoties saecula saeculorum nominantur, fortasse licet ignotus nobis, tamen a Deo statutus aliquis terminus indicatur. Quod vero addit in hoc loco, et adhuc, *nullum sensum termini alicujus, aut finis reliquit. Quodcumque enim illud cogitaveris, in quo finem putes posse consistere, semper tibi dicit sermo propheticus*, Et adhuc, *velut si loquatur ad te, et dicat: putas in saeculum saeculi Dominus regnaturum?* Ed adhuc; *putas in saecula saeculorum?* et adhuc. *Et quomodocumque dixeris illud de regni ejus spatiis, semper tibi dicit Propheta*, Et adhuc. Praeterea notanda erit ad hoc diligenter rei, de qua agitur, natura, in primis vero Ecclesiae, et SS. Patrum sensus.

12.° Nonnunquam symbolis et aenigmatibus res exprimuntur, ex. gr. Ieremias per *iram columbae*, et *gladium columbae* significat iram et gladium Chaldaeorum, in quorum vexillis erat columba argentea pennis inauratis; Daniel per statuam et per bestias denotat quatuor Monarchias (1).

13.° Non raro per synecdochen pars sumitur pro toto, vel contra. Ita anima, sanguis, caput, pro toto homine; Psalm. (LXV. 12.) *Imposuisti homines super capita nostra*, idest *super nos.* Eodem modo genus pro specie sumitur, ut tempus pro anno; ex. gr. Dan. (VII. 25.) *Tempus et tempora et dimidium temporis*, ad denotandos tres annos cum dimidio: vel contra species pro genere; ex. gr. Psalm. (CXI.) *Iustitia* aut *Misericordia* pro quacumque virtute; Isai. (I. 15.) *Manus enim vestrae sanguine plenae sunt*, ubi sanguis idest homicidium ponitur pro quovis peccato: vel materia accipitur pro re ex ea materia confecta, ex. gr. ludere in omnibus lignis fabrefactis pro ludere omnibus instrumentis musicis; *David autem et omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis* (2. Reg. VI. 5.).

14.° Per metonymiam effectus ponitur pro caussa, subjectum pro accidente, continens pro re contenta vel vicissim: ita Templum pro sacerdotibus, Samaria pro Samaritanis etc.; ut 2. Corinth. (V. 21.) *Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit*, idest hostiam pro peccato; ad Hebr.

(1) De hoc obiter adnotandum cum Pluche (*Istoria del cielo*) ante alphabeti inventionem homines consuevisse res exprimere signis, quae objecta ipsa fere depingerent. Ille porro usus retentus est characteribus quoque inventis in rebus sive sacris, sive publicae instructionis, ex quo idem Pluche idololatriae originem repetit. Notandum quoque ex signis sive symbolis ortum habuisse scripturam hieroglyphicam apud Egyptios, de qua vid. cl. Champollion. (*Precis de système Hieroglyphique*).

(XIII. 10.) *Habemus altare, de quo edere* (idest de contentis in altari) *non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Per eamdem figuram potentia saepe vel actus pro objecto accipitur ejusdem potentiae vel actus; ita in prophetis praecipue *visio* sumitur pro *re visa*, *auditus* pro *re audita*, *spes* pro *re sperata*: sic Gen. (XXXI. 42. et 53.) *timor Isaac* appellatur is, quem timebat Isaac.

15.° Per antonomasiam commune aliquod nomen ad individuum significandum usurpatur. Ita *Fluvius* vel *Flumen* (praefixo articulo demonstrativo in textu hebr. et vers. graec.) indicat Euphratem; atque *Filius hominis* Christum.

16.° Per antiphrasim euphonismi gratia res interdum designatur per ejus oppositum: ex. gr. Deut. (XXII. 9.) *Non seres vineam tuam altero semine, ne et sementis quam sevisti, et quae nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur*, idest (juxta multos) *polluantur:* Iob. (I. 5.) *Ne forte peccaverint filii mei et benedixerint Deo*, idest *maledixerint*. Figuram hanc profani etiam agnoscunt, ac vocant *contralocutionem*, exemplum suppeditant graeci in voce *Eumenides* εὐμενίδες, quo nomine quamvis quid placidum significetur, indicant furias. Latini etiam *Parcas*, uti quidam putant, eas vocant, *non parcunt; bellum* quod pulchrum non est. Nos quoque vernaculo sermone dicimus *benedetto quel tale!* contrarium sensum animo resolventes.

17.° Ironia invenitur in sacris libris; ex. gr. Gen. (III. 22.) *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum;* et in Deut. (XXXIII. 38.) dicitur de falsis Diis: *Surgant et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant.*

18. Per hyperbolem multa exaggerantur; ex. gr. frumentum coaequatur arenae maris; *Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenae maris coaequaretur*, Gen. (XLI. 49.); argentum aequiparatur lapidibus 3. Reg. (X. 27.) *Fecitque* (Salomon) *ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem quanta et lapidum.* Ad hyperbolem quoque revocandae sunt hae, similesque phrases: *non est factum tale unquam; non fuit nec erit simile.* Nam ut ait Calmet (*in 4. Reg. XVIII.* 5.): *Si quis hasce loquendi phrases, quae crebrae sunt in Scriptura, ad litterae tenorem urgere voluerit, ille quidem non satis consentanea admittere convincatur necesse est, ac sacris libris tribuantur, quae a mente sacrorum scriptorum alienissima sunt. Easdem, quas Ezechiae, laudes Iosiae vindicat Scriptura; alibi vero in ipsam eamdem classem refert Davidem, Ezechiam et Iosiam quasi in tribus illis par esset virtutis gradus.* Quare sensus erit solummodo de re maxima in iis locis agi.

19.º Per hypallagen unum interdum subjicitur pro alio; ex. gr. Iud. (VIII.) juxta textum hebraicum legitur: *Civitatem miserunt in ignem*, idest *miserunt ignem in civitatem.*

20.º Praeter varias metaphoras sparsim indicatas superius, sequentes nota.

(1.º) Apud Isaiam barbarae et ferae nationes dicuntur *lupi*, *serpentes*, *dracones* , *leones* etc. alias homines virtute praediti vel vitiosi comparantur *deserto arido*, *campis*, *arboribus*, *vineis*, *montibus*, *fluminibus*, *urbibus* etc.

(2.º) Quidquid laedit aut affert caedem vocatur *sagitta*, *ignis*, *turbo*, *tempestas*, *grando*, *procella.*

(3.º) Quod in frumento oleo ac vino optimum est, dicitur *adeps frumenti*, *medulla olei*, *vinique;* ex. gr. Num. (XVIII. 12.) *Omnem medullam olei et vini ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino*, *tibi dedi*: Psalm. (CXLVII. 3.) *Et adipe frumenti satiat te.*

(4.º) *Cornu* (hebr. קֶרֶן *Kèren*) metaphorice est *robur*, quia cornuta animalia robur suum in cornibus habent: ita Psalm. (LXXIV. 11.) *Cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi.* Pari ratione voce *cornu* aliquando regnum indicatur.

(5.º) *Onus* praesertim apud Prophetas indicat praedicationem afflictionis et punitionis; ut Isajas ubi ait: *Onus Aegypti*, *onus Moab.*

(6.º) *Suscitare gladium*, *verbum*, *arcum*, *juramentum*, *pactum*, est facere ne otiosa sint pacta, promissa, minae, etc. ex. gr. 4. Reg. (XXIII. 3.) de Iosia, reperto legis volumine: *foedus percussit , ut. . . . suscitarent verba foederis hujus*, *quae scripta erant in libro illo;* idest pacta omnia foederis complerent.

21.º Plerumque ab una metaphora fit transitus ad aliam immediate; ex. gr. Isai. (XXVII. 1.) Diabolus prius dicitur לִוְיָתָן *Leviathan* (vulgo *balena*) mox *vectis.* Oseae II. Synagoga quae prius dicitur *mulier*, mox *vinea* vocatur.

22.º A metaphora, aliaque figura fit aliquando transitus ad rem figuratam; ex. gr. a flore ad Christum; vide Isai. XI.

23.º Quandoque rei tribuitur nomen figurae ipsius, uti Messias appellatur David Ezech. (XXXIV. 23.) Oseae (III. 5.); vel nomina parentum tribuuntur filiis, ut Hebraei dicuntur Israel, ac Idumaei Esau; vel alicui nomen alterius tribuitur, cum quo ille habeat similitudinem, uti Israelitae impii vocantur *Chananaei*, *semen Chanaan*, *Amorrhaei*, *Sodomitae*, *Gomorrhaei.* Ita Deus, ut Hebraei similes Sodomitis et Gomorrhaeis depingantur, ait: *De vinea Sodomorum vinea eorum*, *et de suburbanis Gomorrhae* Deut. (XXXII. 32.).

24.º Per hendiadin unum in duo dividitur, uti Virgilius etiam (Aeneid. I.) dixerat: *aurum fraenosque momordit*, idest fraenos aureos; ex. gr. Gen. (I. 14.) *Sint* (Sol et Luna) *in signa et tempora*, *et dies et annos*, idest in signa temporum, dierum et annorum: (III. 16.) *Multiplicabo aerumnas tuas*, *et conceptus tuos*, idest multiplicabo aerumas conceptuum tuorum.

25.º Nonnumquam per ellypsim tacent Hebraei particulam comparationis vel similitudinis; ex. gr. Prov. (XVI. 24.) *Favus mellis*, *composita verba*: *dulcedo animae*, *sanitas ossium.*

26.º Interdum etiam Hebraei loquuntur per ellypsin verbi substantivi *sum*, *es*, *est*, uti et Latini; ex. gr. Psalm. (IV. 3.) *Filii hominum usquequo gravi corde?* idest *estis* vel *eritis* gravi corde.

E duobus supra allatis idiotismis, exsurgit explicatio nunnullorum difficilium locorum. David in Psalmo LXVII. in quo loquitur de inimicis suis, et prophetice de Christi, ejusque Ecclesiae hostibus (vers. 14.) ait: *Si dormiatis inter medios cleros*, *pennae columbae deargentatae*, *et posteriora dorsi ejus in pallore auri*, idest si versemini in cleris, seu in maximis periculis, in quibus sortes de vita bonisque mittantur, *eritis sicut pennae columbae deargentatae*, sive eruemini vegetes ac gloriosi sicut columba, cujus pennae lucentes ut argentum, et cujus cauda splendens est ut pallens aurum; et (vers. 31.) *Increpa feras arundinis*, *congregatio taurorum in vaccis populorum*, *ut excludant eos*, *qui probati sunt argento*, idest increpa ac perde tyrannos vel populos idololatras, qui furunt devastant subditos bonos, probatos ut probatur argentum; quemadmodum furunt ac devastant ferae inter cannas arundineti, vel sicut tauri in grege vaccarum. In libro Iob. (XXVII. 32.) habetur: *Ab aquilone aurum venit*, *et ad Deum formidolosa laudatio*, idest uti optimum aurum a partibus septentrionalibus illuc proveniebat solum, ita non laus quaelibet aeque est accepta Deo, sed optima ea est, quae a corde repleto sancto timore provenit.

27.º Aliquando siletur ipsum comparationis membrum; ex. gr. in 2. Reg. (XXIII. 4.) sic loquitur David: *Sicut lux aurorae*, *oriente sole*, *mane absque nubibus rutilat*, *et sicut pluviis germinat herba de terra*; tacetur hic membrum comparationis, idest, talis fuit regni mei et felicitatis domus meae fulgor.

28.º Per hysterologiam perturbatur historiae ordo, et primo describitur quod posterius est; ex. gr. in Num. (XI. 3.) describitur plaga ignis antequam narretur murmur, ob quod inflicta fuit. In prophetis, ac Ieremia praesertim id frequenter occurrit.

Si quis porro miretur in Scriptura Sacra hos dicendi modos inveniri, qui irregulares videntur ac duri, meminerit in aliis quoque libris, qui vetustioribus linguis sunt exarati, hujusmodi locutionum exempla non deesse; adeat insuper primam nostrarum Institutionum partem, ubi de *Scripturae stilo* agitur; adeat quoque interpretes, ac praesertim Lorinum in Psalmos, et Pinedam in Iob. Plura etiam invenies apud Xaverium Matthei, qui dissertationibus praeliminaribus in Psalmos multa ac varia comparat Scripturae loca cum locis Pindari, Homeri, aliorumque, nec non apud Mingarelli *in Pindarum*, et Can. Firmum Lanzoni, *de sublimitate Scrip. Sacr.*

DISSERTATIO III.

CANONES SIVE REGULAE PRO ALIQUIBUS SCRIPTURAE LIBRIS EXPLICANDIS.

Nimium esset omnium singulatim Sacrae Scripturae librorum canones exarare, omnesque percensere. Si quis hoc desideret, adeat Cornelium a Lapide, aliosque doctissimos interpretes, qui singulis, quos interpretantur, libris, suos canones apponunt. Nos praecipua delibabimus, quae ad eos libros spectant, qui non minus necessarii sunt quam alii, ac majorem obscuritatem prae se ferre videntur. Sit ergo

CAPUT I.

CANONES PRO LIBRIS VETERIS TESTAMENTI.

Art. I.

Canones pro Psalmis.

Canon I. *In Psalmis non raro mutantur personae sive quae loquuntur, sive de quibus fit sermo, sive ad quas sermo dirigitur.* Sic Psalm. II. incipit loqui Propheta: *Quare fremuerunt gentes etc.*; deinde loquuntur gentes frementes in Christum: *Dirumpamus* etc.; rursus Propheta: *Qui habitat* etc. postea Christus: *Ego autem constitutus sum* etc.; vers. 10. iterum loquitur Propheta cohortans ad amplectendam Christi disciplinam: *Et nunc reges* etc. Pariter Psalm. IV. *Cum invocarem* vox est vel Prophetae, vel Christi, vel Ecclesiae, loquentis nunc ad Deum, nunc ad gentes, nunc ad Ecclesiae membra. Personarum hujusmodi in Psalmis mutatio tribuitur ab aliquibus usui Hebraeorum, juxta quem versus ejusdem Psalmi a pluribus choris canebantur.

Canon II *David in Psalmis loquens plerumque gerit figuram Christi et Ecclesiae.* Ita Augustinus initio Enarrationis *in Psalm. LIX. Deus repulisti nos*, ait: *David Rex unus homo fuit, sed non unum hominem figuravit, quando scilicet figuravit Ecclesiam ex multis constantem, distentam usque ad*

fines terrae. Quando autem unum hominem figuravit, illum figuravit, qui est mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus.

Canon III. *Dum in Psalmis loquitur Christus ita persaepe intelligendus est ut loquatur non ipse solus, sed et corpus ejus mysticum quod est Ecclesia.* Saepissime hoc monet Augustinus scribens in Psalmos. Sic *Praefat. in Psalm. XL. Beatus qui intelligit super egenum*, ait: *Commendamus autem saepius nec nos piget iterare quod vobis utile est retinere, Dominum nostrum Iesum Christum plerumque loqui ex se, idest ex persona sua, quod est caput nostrum, plerumque ex persona corporis sui, quod sumus nos, et Ecclesia ejus: sed ita quasi ex unius hominis ore sonare verba, ut intelligamus caput et corpus in unitate integritatis consistere, nec separari ab invicem;* et in Psalm. LVI. *Miserere* etc. *quoniam in te confidit*, paulo post initium ait: *Quia ergo totus Christus caput est, et corpus ejus: propterea in omnibus psalmis sic audiamus vocem capitis ut audiamus et vocem corporis. Noluit enim loqui separatim, quia noluit esse separatus dicens: ecce ego vobiscum sum usque ad consumationem saeculi.* Similia alibi repetit Augustinus.

Canon IV. *Aliquando Christus loquitur solum ex persona capitis, quod est ipse, vel ex persona solius corporis sui, vel ex persona alicujus membri de corpore. Aliquando enim* (inquit Augustinus *Praef. in Psalm. LVIII. Eripe me de inimicis meis* etc.) *invenis verba quae non congruunt capiti, et nisi ea coaptaveris corpori nutabit intellectus tuus. Rursus invenis verba, quae non apta sunt corpori, et Cristus tamen loquitur. Ibi non timendum est ne erret quisque: cito enim pergit, uti capiti aptet quod videt corpori non convenire.* Et *Praefat. in Psalm. CXL. Domine clamavi ad te, exaudi me* etc., n. 3. haec habet: *Capitis est proprium loqui etiam in persona membrorum. Ipsam nostram consuetudinem advertite. Primo quomodo loqui in membris nostris non potest nisi caput. Iam verum caput nostrum quomodo loquatur in persona omnium membrorum, advertite. In angusto tibi pedem aliquis calcat, calcas me, dicit caput. Vulneravit tibi aliquis manum, vulnerasti me, dicit caput. Caput tuum nullus tetigit, sed loquitur unitas compaginis corporis tui. Omnium membrorum tuorum personam illa, quae in capite est lingua suscepit; ipsa pro omnibus verbis fungitur. Sic ergo audiamus Christum loquentem.* Exemplum sit Psalm. XXXIX. *Expectans expectavi Dominum* etc. in quo loquitur Christus ex persona solius capitis versibus 8. 9. *tunc dixi ecce venio* etc.: ex persona solius corporis vers. 13. *comprehenderunt me iniquitates meae* etc.;

ex persona utriusque ubi ait: *Expectans expectavi Dominum et intendit mihi;* ex persona alicujus membri e corpore vers. 2. *eduxit me de lacu miseriae* etc. Similiter Psalm. CXL. *Domine clamavi ad te, exaudi me* etc. continet diversissima, quae cohaerere non possunt nisi in diversorum persona.

Canon V. *In Psalmis non raro opponitur corpori Christi cum bonis corpus Diaboli cum malis, ac inter ea describuntur machinationes, bella, victoriae. Sicuti enim* (inquit Augustinus *in Psalm. CXXXIX. Eripe me Domine ab homine malo* n. 7.) *bonorum caput Christus est, sic illorum* (malorum) *caput Diabolus.* Quare de talibus hostibus intelligendae sunt multae querelae Psalmorum; ex. gr. Psalm. (III.) *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me*, Psalm. (VI. 11.) *Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei*, et similia.

Canon VI. *Frequenter fit repetitio ejusdem sententiae sive iisdem, sive diversis verbis.* Hoc namque multum inservit ad commendationem divini eloquii, et ad movendos animi affectus, ad quod praecipue diriguntur Psalmi. Ex. gr. Psalm. II. *Qui habitat in caelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.* Similia in aliis ejusdem Psalmi versiculis. Psalm. CI. *Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.* Imo saepe saepius in Psalmis alterum hemistichium explicat ac repetit primum.

Canon VII. *Ut Psalmi utiliter legantur varii affectus, quos in iis Propheta exprimit, induendi sunt.* David enim sparsim posuit in Psalmis affectus nunc amoris, nunc admirationis, nunc laudis, nunc humiliationis, nunc poenitentiae etc. Ne arida ergo sit Psalmorum recitatio, affectus iidem induendi sunt. Et revera Psalmi non sunt historiae solummodo vel prophetiae, sed simul sublimia ac poetica incitamenta ad omnimodos affectus; qua de re praecipue legendus est S. Basilius *prooem. in Psalm.*

Canon VIII. *Psalmorum imprecationes ita sunt explicandae, ut non contineant malos contra charitatem affectus.* Vehementes quidem in Psalmis inveniuntur imprecationes, ac praesertim in Psalm. CVIII. *Deus laudem meam ne tacueris.* At divinitas Psalterii, mansuetudo ipsa Davidis vetat hujusmodi affectus in pravum detorquere sensum. Enimvero, ut arguit Calmet, tota Davidis vita clementiae et mansuetudinis exemplum et exercitium fuit. Eluxit vero illius animi virtus dum bis vitae Saulis injusti persecutoris pepercit, imo dum illum reveritus semper est ac mortuum flevit. Deinde testatur ipse in Psalm. VII. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis: persequatur inimicus animam*

meam, et comprehendat et conculcet in terra vitam meam et gloriam meam in pulverem deducat. Innumera quoque sunt in Psalmis loca, in quibus exprimit David sensus charitatis in Deum et proximum.

Triplicem autem assignat modum has explicandi imprecationes D. Thomas (2. 2. *quaest.* 25. *art.* 6. *ad tertium*) his verbis: *Uno modo per modum praenuntiationis non per modum operationis, ut ex. gr. sit sensus* convertantur peccatores in infernum, idest convertentur. *Alio modo per modum operationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad poenam hominum, sed ad justitiam punientis secundum illud Psalm. LVII.* Laetabitur justus cum viderit vindictam, *quia nec ipse Deus puniens laetatur in perditione impiorum, ut dicitur Sap. I., sed in sua justitia: quia* justus Dominus et justitias dilexit (Psalm. X.) . *Tertio ut desiderium referatur ad remotionem culpae non ad ipsam poenam ut scilicet peccata destruantur, et homines remaneant.*

Calmet vero Argumento *in Psalm. XXXIV.* haec habet: *Optime igitur ita acriter adversus inimicos invehi potuit David, uti hic legitur; ac multis quidem de caussis. I. Vivido illorum conversionis desiderio. Plecte illos, Deus, ut male agere, atque in te peccare cessent. II. Ut in hac vita suppliciis affecti, minoribus in altera crucientur. III. Ut eorum poena impios et illorum exemplo abutentes coerceat. IV. Ut molestia liberentur justi, qua ab impiis iniquissime vexantur. V. Ut Dei gloria vindicetur, quam impii, Deum justorum patronum esse negantes, violant. VI. Ne justi perverso impiorum exemplo corrumpantur. His animadversionibus frequenter opus erit, ne Prophetae verba, nimiam in hostes acrimoniam exhibentia, tanto Propheta indignissima videantur.*

Non abs re porro erit speciatim afferre explicationem quamdam Psalmi CVIII., quam exhibet Xav. Mattei, (*Salmi Tradotti; Salmo CVIII.*) quamque summa animi gratulatione refert acceptam CL. Mingarellio Abati Rhenano. Iuxta illam scilicet imprecationes, quae in hoc Psalmo leguntur, verba sunt hostium Davidis, et omnium deinde nominis Christi proditorum, qui maledicta haec in eum conferunt. Enimvero, relatis maledictionibus, ait David: *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi*, juxta Hieron. *haec retributio eorum*: nempe contorquebuntur gladii in eos, atque sic ipsi punientur. Hoc sensu explicandus est Petrus, dum in electione Apostoli loco Iudae, dixit implendam esse prophetiam, quae scripta est in libro Psalmorum: *Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet* etc. quatenus nempe puniendi erant inimici Christi iisdem gladiis, quibus ipsum jugulare conati sunt, ut David

de Babyloniorum regno dicunt Prophetae, plura diabolo, et regno ejusdem aptantur. Pariter quae de Iacob, de David, de Salomone dicuntur, in multis rebus valent etiam de Christo. Imo aliqua interserunt Prophetae, quae non possunt illis convenire, de quibus litteraliter loquebantur, quaeque propheticum tantummodo sensum habent, quatenus praedicunt aliquid futurum. Ita de captivitate babylonica loquentes, aliqua addunt, quae solum aptari possunt captivitati romanae; de adventu primo Christi loquentes, aliqua afferunt, quae solum convenire possunt secundo; de ejusdem regno militante loquentes adjungunt ea, quae solum convenire possunt triumphanti. Tunc ergo fit transitus de contextu litterali ad sensum propheticum.

Canon V. *Prophetae interdum sub uno sermonis contextu complura tradunt inter se disparata, et de uno in aliud transeunt.* Innumera sunt hujusmodi commixtionis exempla. Saepe namque Prophetae de regno Davidis et Salomonis vaticinantes, complura addunt, quae ad Christi regnum unice referri possunt. Isaias (capp. XXXV. LX. LXVI.) sermonem miscet de Ecclesia Christi militante ac de triumphante. Malachias (cap. III.) agit de primo adventu Christi usque ad vers. 5., deinde de secundo; Christus apud Matth. (cap. XXIV.) jungit quae de eversione Ierusalem, et de ultimo judicii die valent. Hoc autem ideo Deus voluit 1.° ut pateret Prophetas non scripsisse humano ingenio; 2.° quia Prophetae omnia simul ob oculos mentis habebant, et a figura et typo ad figuratum et antitypum facile transitum faciebant; 3.° ut una parte impleta, facilius quod adhuc futurum est homines crederent, sicque ex. gr. impletis iis, quae dicta sunt de primo Christi adventu, alia, quae circa secundum praenuntiantur, credimus fidentius. Hinc fit ut ordo et contextus in prophetiis saepe sit difficillimus: attamen adest semper, fere dixerim ut contigit in odis Pindari et Horatii.

Canon VI. *Prophetiae non semper eodem tempore complentur quod ad partes omnes, sed aliquando id accidit paulatim et secundum temporum successiones.* Nam, ut ex Canone praecedenti eruitur, multa interdum disparata in eodem contextu praedicuntur. Debent ergo omnia tempore suo adimpleri. Patet hoc de duobus Christi adventibus, de regnis ejusdem Christi, de diversis captivitatibus etc.

Notandum est canones istos omnes, valere etiam pro Ioannis Apocalysi, quae prophetica est. Descripsit enimvero, ommissis aliis, Pastorini, Apocalypsim interpretando, aetates omnes, ac historiam Christi Ecclesiae.

CAPUT II.

CANONES PRO LIBRIS NOVI TESTAMENTI.

ART. I.

Canones pro Evangeliis.

Canon I. *Ordo historiae interdum ab uno Evangelista reticetur, ab alio exprimitur, et tunc ab hoc est repetendus: interdum a nullo exprimitur, et res quidem certae erunt, at rerum series incerta.* Matthaeus et Marcus exempli caussa postquam narrarunt dixisse Christum: *Scitis quia post biduum pascha fiet*, paucis interpositis, nulla temporis differentia notata, subjungunt: *Cum esset Iesus in Bethania.* Colligitur vero ex Ioanne hoc contigisse *ante sex dies Paschae*. Alia Evangelium legenti occurrunt, quorum historiae ordo a nullo Evangelistarum colligi potest. Quo loco notandum est illa verba *in illo tempore*, *in illis diebus*, *tunc*, *postea*, aliaque similia indicare quidem ea, quae narrantur, consequenter gesta fuisse, sed sola ac per se non necessario indicare ea gesta esse continuo et immediate.

Canon II. *Non semper servatur in Evangeliis rerum gestarum ordo, sed interdum invertitur.* Ex. gr. Lucas ante sermonem Domini in monte narrat multa, ut Paralyticum sanatum, Matthaeum vocatum, discipulos spicas vellentes, sanatam aridam manum, leprosum mundatum, et quae tamen omnia Matthaeus post sermonem in monte recitavit. His alia multa similia. Animadvertit hoc Augustinus (*de consensu Evangeliorum lib. II. cap.* 21. et 39.; *lib. III. cap.* 13.) admonens Deum quidem inspirasse Evangelistas dum ipsi scribebant, sed permisisse eos sequi rerum recordationem prout memoriae eorum recurrebant; idque 1.° quia nihil intererat ordo earum rerum, in quibus apud Evangelistas notatur inversio; 2.° *ut per haec ipsa*, (iniquit) *quae in eis contraria videri possunt, multi excaecarentur digne traditi in concupiscentias cordis sui, et in reprobum sensum, et multi exercerentur ad elimandum pium intellectum secundum occultam omnipotentis justitiam.*

Canon III. *Evangelistarum quisque aliqua praetermittit, quae alius commemorat, sermonem tamen contexens, tamquam si nihil praetermitteret.* Passim occurrunt exempla in Evangeliis, ac praesertim ubi de passione Christi: multa etiam videri possunt apud August. (*de Consensu Evang.* praesertim *lib. II.*

capp. 5. *et* 12.); et apud alios, qui simile opus confecerunt (vid. infra Can. VII.). Hoc autem nec derogat rerum veritati, cum reticere aliquid non sit idem ac ipsum negare, (quod adversus incredulos maxime recentiores notetur), nec derogat scientiae ac scopo Evangelistarum, qui nunquam sibi proposuerunt omnia conscribere, imo id fassi sunt fieri omnino non posse.

Canon IV. *Evangelistae dum eadem facta narrant, aut eamdem rem vel sententiam referunt, non servant semper eumdem ordinem; neque semper adhibent eadem verba, eumdemque modum, et hoc absque contradictionis vel mendacii nota.* Sic Oratio dominicalis plene refertur a Matth. (VI. 9.), et compendiose a Luca (XI. 2.). Hoc idem notatur de VIII. Beatitudinibus Matth. (V. 3.); Luc. (VI. 2.). Sic etiam Matthaeus, Marcus, et Lucas diversis verbis recitant vocem factam de caelo dum Christus baptizaretur; similiter Lucas in multiplicatione piscium ait, *quinquagenos* jussos esse discumbere, Marcus vero *quinquagenos et centenos*: unus nempe partem, alter totum dicit. Matthaeus (XXVI. 31.) dicit scriptum *percutiam pastorem*: scriptum est autem Zachar. (XIII. 7.) *percute pastorem*. Hoc autem sine imperfectione contingere monet Augustinus (*lib. II. de consensu Evang. c.* 12.) ubi ait: *nos non debere arbitrari mentiri quemquam, si pluribus rem, quam audierunt vel viderunt, reminiscentibus non eodem modo atque iisdem verbis, eadem tamen res fuerit explicata: ut sive mutetur ordo verborum sive alia pro aliis, quae tamen idem valeant verba proferantur: sive aliquid vel quod recordanti non occurrit, vel quod ex aliis quae dicuntur possit intelligi, minus dicatur: sive aliorum quae magis dicere statuit narrandorum gratia, ut congruus tempori modus sufficiat, aliquid sibi non totum explicandum, sed ex parte tangendum quisque suscipiat, sive ad illuminandam declarandamque sententiam nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat, cui auctoritas narrandi concessa est; sive rem bene tenens non assequatur, quamvis id conetur memoriter etiam verba quae audivit ad integrum enunciare.* Hisce adde diversitatem hanc majorem Evangeliis auctoritatem conciliare: nam sic adsunt quatuor testes fide digni, qui sin verbis, saltem sensu easdem res narrant omnino. E contrario si res ipsas modo prorsus eodem narrarent, alter ab altero transcripsisse videretur, ac unicum putaretur esse Evangelium, uti Patres ac interpretes animadvertunt.

Canon V. *Si factum aliquod ab uno Evangelista narratum alteri Evangelistae repugnare omnino videatur, dicendum est non idem factum, sed aliud ab alio commemoratum.*

lib. II. de Consensu Evang. cap. 50.) miraculum de septem panibus, quod simile est miraculo de panibus quinque. Cum enim illi, qui unum narrant, narrent etiam alterum cogimur illa distinguere. At si unum ab uno Evangelista, alterum ab altero commemoraretur, antilogia procul dubio appareret, dum unus 12. cophinos, alter 7. sportas dicat; unus quinque, alter quatuor millia hominum computet; unus septem, alter quinque panes enuntiet.

Canon VI. *In parabolis evangelicis, aeque ac in similitudinibus non omnia sunt similia, nec applicanda rei significatae.* Multa enim in parabolis dicuntur ad complementum orationis. Haec non sunt necessario applicanda rei significatae. Quare investigandus est finis primus et scopus parabolae, et quae ad hunc pertinent, referantur ad rem significatam, caetera ut emblemata, et ornatus gratia addita habeantur. (Vide quae in altera Institutionum parte Diss. 3. docuimus, ubi *de sensibus Scripturae*). Fert hoc ipsum parabolae natura. Enimvero illae etiam personae Veteris Testamenti, quae Christi typum gerebant, ut Iob, Sampson, David, et Salomon non in omnibus, sed in aliquibus tantum gerebant Christi personam. Sic ex. gr. (Luc. XV.) tribus parabolis *de ove*, *de drachma*, *de filio prodigo* Christus ostendere volebat Scribis ac Pharisaeis murmurantibus, se bono ac laudabili fine cum peccatoribus versari, ad quem scopum nihil opus est investigare numerum ovium, drachmarum, aliaque his similia.

Canon VII. *In nullo ex quatuor Evangeliis requirenda est historica ac completa narratio omnium gestorum Iesu Christi.* Canon hic scitu necessarius confirmat plerosque canones antecedentes. Nemo enim Evangelistarum sibi proposuit vitam et acta conscribere Christi tamquam merus historiographus vel biographus, ac proinde recensere omnia, et omnium ordinem rerum fideliter sequi. Si quis opus hujusmodi cuperet, adeat Calmet initio Tom. VII. ante *comment. in quatuor Evangelia*, vel *Chronicon* Tirini, vel De la Haye, *Triumphus veritatis*, seu *Evangelicae Historiae disquisitio*; vel Bernardum Lamy, *Harmonia Evangelica*. Hujus quoque generis sunt lucubrationes, quae nuper in lucem prodierunt hisce titulis. *Dell' Istoria del Vecchio, e Nuovo Testamento, libri di D. Pellegrino Farini, Ravenna* 1829. *Istoria Evangelica con le parole dei Sacri Evangelisti, Opera del Conte Monaldo Leopardi, Pesaro* 1832. Singuli vero Evangelistae dum eo tempore scriberent, quo vita factaque Servatoris palam vulgata erant et nota omnibus, saltem in Iudaea ac vicinis regionibus, ea solum narrant, quae ad proprium cujusque scopum et occasionem scribendi juxta Spiritus Sancti impulsum conducere credebant.

Ita Matthaeus, qui Iudaeorum gratia scribebat, atque ea de caussa ut ostenderet Iesum esse Messiam a Prophetis praedictum, narrat adorationem Magorum, fugam in Aegyptum, infanticidium Herodis etc., et incipit ab humana Christi generatione, ut eum filium Davidis demonstraret et Abrahae, quod maxime Iudaeos delectabat, ut ait Chrysostomus. Marcus ea maxime collegit, quae ex ore praedicantis Petri, cujus fuit comes, ipse audierat. Lucas collegit pariter quae a Paullo audivit, et quia omnibus in communi loquebatur, generationes numerans ad ipsum usque Adam retrahit. Ioannes cum videret multa ab aliis tribus Evangelistis collecta (qui multo ante illum scripserant) circa humanam Christi naturam, ipse ut subórientes haereses Cerinthi ac Ebionis compesceret, multa disseruit de Christi divinitate ac festis Iudaeorum, in quibus Christus sermones varios habuerat de sua divinitate. Pauca vero Ioannes attigit ex iis, quae caeteri Evangelistae commemoraverunt. Idem etiam gesta conscripsit anni primi praedicationis Iesu Christi, cum caeteri incipiant fere omnia a Ioanne Baptista in carcerem conjecto.

Art. II.

Canones pro Epistolis Paulli.

Canon I. *Paullus in eo totus est ut Christum praedicet, doceatque eum unum esse hominum per Crucem redemptorem, et uti talem habendum ab omnibus, ab eoque unice salutem sperandam.* Hoc, quod evidens Paulli scopus apparet ejusdem epistolas legenti, facit 1.° ut ea, quae de Christo a Paullo dicuntur tamquam nostra *sapientia*, *justitia*, *sanctificatio* 1. Cor. (I. 30.), et de Christi justitia nobis imputata (ad Rom. IV.), aliaque his similia, ita explicentur ut Christus nos redimendo per mortem, nobis gratiam meruerit ac bona omnia; 2.° ut frequentes oppositiones, quas Paullus instituit loquens de sacrificiis, sacerdotibus, operibus, gratia, et natura, ita intelligantur ut Paullus has semper instituat inter legem novam et legem veterem; inter opera facta cum Christi gratia, ac alia facta sine eadem gratia; nempe ut ostendat utilitatem omnem nobis per Christum obvenire, caetera vana ac infirma esse per se elementa.

Canon II. *Fides Christi, quam non raro innuit Paullus justificare, tacite includit alia ad justificationem necessaria.* Ostendit hoc vel ipse Paullus pluribus in locis, ac praesertim 2. Thessalon. (II. 11.) ubi ait: *Impleat* (Deus) *omnem volun-*

tatem bonitatis, et opus fidei in virtute. Ideo autem loquitur de sola fide, quia haec est fundamentum, norma, ac magistra omnium virtutum ea fere ratione, qua aliquis diceret: *haec arbor me aluit*, quatenus edit fructus qui eum alunt; *hic medicus illum sanavit*, quatenus illi pharmaca praescripsit.

Canon III. *Subinde Paullus vocatos, praedestinatos, electos, dilectos appellat eos, qui ad fidem et gratiam Christianae religionis destinati et vocati sunt, in qua qui perseverant gloriam aeternam assequentur.* Haec enim prima et insignis est gratia et caeterarum fons, quam proinde omnibus epistolis admiratur, et extollit Apostolus, opponitque vanae fiduciae, quam Iudaei habebant in caeremoniis legis Moysis, Gentes in suis virtutibus, ut ait a Lapide. Patet hoc praecipue in Epist. ad Eph. I. ac speciatim illis verbis vers. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.*

Nota. Praedestinati, electi etc. *secundum propositum* sunt juxta phrasim Paulli secundum decretum sive beneplacitum Dei gratuitum.

Canon IV. *Dum Paullus caussas assignat justificationis vel indurationis, praedestinationis, vel reprobationis, ita semper est explicandus ut salvetur tum hominis libertas, tum Dei sanctitas, et justitia.* Libertatem enim fatetur ipse 1. Cor. (XV. 19.) *Non ego autem sed gratia Dei mecum*: et supponit etiam subinde adhortans homines ad Christum, et ubicumque vocans praemium aeternam salutem, et poenam supplicium impiorum. Ita etiam (VII. 37.) ait: *Nam qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis* etc. Sanctitatem porro Dei, justitiam, aliaque attributa ubique praedicat. Sic igitur ejus verba sunt intelligenda, ut ab iis attributis Dei non abhorreant. Hinc dum justificationem et salutem videtur soli gratiae tribuere, id non ideo facit ut nihil nos agere contendat, sed quia Christi gratia primas habeat partes, et quia nostra cooperatio a gratia pendeat. Hinc etiam dum indurationem, et perditionem hominum videtur Deo tribuere, id explicandum est juxta naturam justitiae vindicativae, quae supponit peccata dum eadem punit, non autem eorum est caussa; ita ut Deus indurationem permittat, ac perditionem, hanc servans providentiam, ut homini auxiliorum copia subtrahatur, tentatio daemonis, mundi, et carnis eidem objiciatur; se vero proprio ut ita dicam laqueo suspendat homo ipse, qui solus est caussa positiva, activa et directa indurationis et excaecationis. Hoc canone commode explicari poterunt illa (ad Rom. IX.): *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.... non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.... cujus vult miseretur et quem vult indurat.*

Canon V. *Frequentissima in Paullo est allusio ad dicta et facta Veteris Testamenti.* Ita dum 1. ad Tim. (III. 15.) vocat Ecclesiam *columnam* et *firmamentum veritatis*, alludit ad columnas Templi, quas Salomon posuit uti stabilitatis monumentum, quaeque appellatae sunt *Booz* (בֹּעַז *fortitudo*), et *Iachin* (יָכִין *directio*). Idem alibi saepissime, ac praesertim ad Hebraeos, ut evidens est. Ideo autem sic agit Paullus, ut ostendat Christum figuratum in Moyse, Ecclesiam in Synagoga, ac summam esse, velint nolint Neoterici, utriusque Testamenti consensionem, quod magnum est veritatis testimonium. Idipsum quoque fecerunt vel ipse Christus ac Apostoli passim Vetus Testamentum citantes, ac Paullus praesertim quippe qui *eruditus secus pedes Gamalielis juxta veritatem paternae legis* Act. (XXII. 3.).

Canon VI. *Paullus spiritu acri ac sublimi in partem, in quam inclinat, ita vehementer fertur, ut in extrema (specie tenus) declinare videatur, et alterum extremum negare.* Sic ut judaizantes oppugnet, dicit (ad Gal. IV.) circumcisionem nihil esse, et vetera sacramenta fuisse *egena* ac *infirma elementa;* ut charitatem extollat, dicit (1. Cor. XIII.) caetera dona sine charitate nihil esse et prodesse (vide can. IV.); ut hominis infirmitatem clarius ostendat, exaggerat Dei gratiam et praedestinationem. Oportet igitur (quod in aliis quoque servatur libris sacris) Paulli scopum diligenter investigare, ne praeter id quod Paullus intendit, ejus verba explicemus.

Canon VII. *Solet frequenter Paullus tacitis objectionibus occurrere quasi per subjectionem.* Exemplum habemus in Epist. ad Rom. I. ubi cum Paullus dixisset vers. 11. *Revelatur ira Dei de caelo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei injustitia detinent*, animadvertens tamen sibi objici posse; undenam Gentiles Dei veritatem cognoverint? subinfert: *quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit;* sed rursus tacite sibi objiciens, quomodo Deus manifestatus sit gentibus sine scriptura, addit: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, pes ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* Hac de caussa saepe occurrunt interrogationes, et apparent etiam digressiones, ut 1. Tim. III. multa de Diaconis disputans, sermonem interserit de eorum uxoribus.

Canon VIII. *Paullus stilum epistolarem, non vero concionatorium, aut scolasticum servat.* Hinc varia sine ordine interdum et connexione pertractat, ut amici ad amicos scribentes faciunt. Ex. gr. in Epist. I. ad Corinthios fere singulis capitulis materiam mutat, diversis Corinthiorum quaesitis satisfaciens; et

cap. VII. de virginitate ac matrimonio, VIII. de idolothitis, XI. de Eucharistia, XIV. de Prophetia, XV. de resurrectione disserit. Hinc etiam sequitur ut in eadem epistola nunc laudet nunc vituperet, ut ad Corinthios; nunc blandiatur nunc minetur, ut ad Galatas, quia ad multos diversi vel ingenii, vel moris homines scribebat.

Canon IX. *Idiotismi linguarum, ac personae Paulli adjuncta prae oculis habenda sunt; meliores quoque interpretes consulendi.* Cum enim Paullus ut plurimum graece scribat, frequenter graecizat; cum autem Hebraeus esset frequenter hebraizat. Multa tamen latina adhibet usu apud Graecos introducta ut *coloniam*, *semicinctium*, *penulam* et similia. Notanda est etiam patria Paulli, qui natus erat Tarsi, quae urbs est Ciliciae, a cujus usibus aliqua sumit, ut ex. gr. 1. Cor. (IV. 3.) *diem* pro judicio ponit; nam Cilices diem dicebant reis, quod et sermoni latino convenit. *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Notat Nyssenus in illud (1. Cor. XV. 28.): *Tunc et ipse filius subjectus erit*, libertatem phrasium in sapientissimo ac eloquentissimo hoc Viro, cujus libertatis exemplum praebet in verbis *exinanire*, *evacuare*, prout haec adhibentur a Paullo. Plurimorum vero, qui Paullum interpretati sunt, optimus facile habetur Ioannes Chrysostomus *in Epistolas Paulli.*

Canon X. *Epistolae Paulli duplex in genere objectum respiciunt, doctrinam fidei, et mores Christianos.* Prima enim pars cujuscumque fere Epistolae, ut notat a Lapide *Arg. in Epist. S. Paulli* dogmatica est, altera ethica. Porro inter fidei mysteria tria maxime urget: *oeconomiam gratiae et redemptionis Christi: legem veterem per novam fuisse abrogatam: cavendas haereses tunc pullulantes, uti Simonis Magi* etc. Ethicam vero docet per breves sententias, quas saepe sine ordine congerit, more scilicet Hebraeorum, ut videre est in Libris Sapientialibus; more quoque Graecorum uti Hesiodi, Theognidis etc.

Finis Partis Secundae.

SILLABUS

Auctorum, Bibliorumque etc. melioris notae, perutilis ad studium linguarum orientalium, ordine alphabetico digestus.

AB AQUILA (F. Ant.) Arabicae linguae Institutiones. Romae 1650.
ALTINGII (Iacob.) Grammatica octo linguarum orientalium. Francofurti 1701.
BEKLEY (Sim.) Introductio ad linguas Orientales. Cantabrigiae 1706.
BELLARMINI (Rob.) Institutiones linguae Hebraeae. Antuerpiae 1619. et Neapoli 1622.
BIANCONI (Io. Bapt.) De antiquis litteris Hebraeorum etc. Bononiae 1748.
BOUGET (Io.) Lexicon Hebraicum et Chaldaico-Biblicum. Romae 1737. 3. vol.
BUSMANNI (Io.) De antiquiis Hebraeorum litteris. Helmstadii 1675.
BUXTORFII (Io.) Thesaurus Grammaticus linguae Sanctae Hebraeae. Basileae 1609. et 1663.
— Lexicon Hebraicum et Chaldaicum. Ibid. 1663. et 1735.
— Grammaticae Chaldaicae et Syriacae Libri tres. Ibid. 1685.
— Epitome Grammaticae Hebraeae. Ibid. 1669.
— Manuale Hebraicum et Chaldaicum. Ibid. 1658.
— Lexicon Chaldaicum et Rabbinicum. Ibid. 1639.
— De abbreviaturis Hebraicis. Item Bibliotheca Rabbinica etc. Basileae 1613.
— De Punctorum, et accentuum Hebraicorum Antiquitate. Ibid. 1648.
— De linguae Hebraicae conservatione. Ibid. 1644.
— Synagoga Iudaica. Ibid. 1680. et 1712.
— Concordantiae Bibliorum Hebraicae etc. accesserunt novae concordantiae Chaldaicae. Ibid. 1632.
— Tractatus de Origine, Antiquitate, et Auctoritate Punctorum Vocalium, et Accentuum in libris Hebraicis V. Testamenti. Ibid. 1648.
— Catalecta Philologico-Theologica etc. Ibid. 1707.
— Commentarius Masoreticus. Ibid. 1620.
— Tiberias, seu Masoreticus triplex. Ibid. 1665.

Buxtorfii (Io.) Dissertationes Philologico-Theologicae. Ibid. 1660. et 1662.
— De Sponsalibus, et Divortiis. Ibid. 1652.
— Epistolae familiares Hebraico-Latinae. Ibid. 1610.
Castelli (Edmund.) Lexicon Heptaglotton, Hebraicum, Chaldaicum, Syriacum, Samaritanum, Æthiopicum, Arabicum et Persicum. . . cui accessit brevis et Harmonica Grammaticae omnium praecedentium linguarum delineatio. Londini 1669. 2. vol.
Danzii (Io. Andr.) Compendium Grammaticae Hebraeo-Chaldaicae. Francofurti ad Moenum 1751.
— Interpretis Hebraeo-Chaldaei Synopsis. Ibidem.
— Rabbinismus Enucleatus. Ibidem.
— Aditus Syriae etc. ducens ad plenam linguae Syriacae cognitionem. Ibidem.
De-Rossi (Io. Bern.) Synopsis Institutionum Hebraicarum. Parmae 1807.
— Anthologia Hebraica. Ibid. 1807.
— Lexicon Hebr. select. Ibid. 1805.
— Introduzione allo studio della lingua Ebraica. Idid. 1815.
— Introduzione alla Sacra Scrittura. Ibid. 1817.
— Dizionario storico degli autori Ebrei. Ibid. 1802. 2. vol.
— Dizionario storico degli autori Arabi. Ibid. 1806.
— Variae lectiones V. T. (hebraici) ex immensa Mss. editorumque Codd. congerie etc. vol. 4. Ibid. 1784-88.
— Della lingua propria di Cristo e degli Ebrei Nazionali della Palestina da' tempi dei Maccabei. Ibid. 1722.
— Della vana aspettazione degli Ebrei. Ibid. 1773.
D' Olonne. Lexicon Hebraico-Chaldaico-Lat-Biblicum. Avenione 1758. 2. vol.
Erpenii (Thom.) Rudimenta Arabicae linguae. Parisiis 1638. et Lugduni Batavorum 1770.
Hederici (Benj.) Graecum Lexicon Manuale castigatum a Samuele Patricio, et locupletatum a Io. Augusto Ernesto. Patavii 1774. Londini 1778. et Lipsiae 1788. 2. vol.
Hottingeri (Io. Henr.) Grammatica quatuor linguarum Hebraicae, Chaldaicae, Syriacae, Arabicae Harmonica. Tiguri 1659.
— Etymologicum Orientale, sive lexicon Heptaglotton, quo non matris tantum linguae Hebraeae radices Biblicae, sed et Chaldaicae, Syriacae, Arabicae etc. filiarum voces explicantur. Francofurti 1661.
— Thesaurus Philologicus, seu clavis Scripturae. Tiguri 1665.
Iahn (Io.) Lexicon Arabico-Latinum Chrestomathiae Arabicae accomodatum. Vindobonae 1802.
— Grammatica Hebraica. Viennae 1792.

Iahn (Io.) Grammatica Arabica etc. 1795.
— — — Chaldaica, Syriaca 1793.
Leusden (Io.) Quaedam praecepta linguae Hebraeae, et Chaldaeae. Ultrajecti 1656.
— Manuale Chaldaicum, in quo omnes voces Chaldaicae tam primitivae quam derivatae in Daniele et Ezra occurrentes, continentur. Ibid. 1656.
— Synopsis Hebraica et Chaldaica. Ibid. 1667.
— Specimen Grammaticae Hebraicae. Ibid. 1668.
— Philologus Hebraeus, continens quaestiones Hebraicas, quae circa V. Testamentum moveri solent. Ibid. 1672.
— Philologus Hebraeo-mixtus una cum spicilegio Philologico etc. Ibid. 1682.
— Philologus Hebraeo Graecus. Ibid. 1683.
— Clavis Hebraica etc. Ibid. 1683.
— Schola Syriaca etc. Ibid. 1683.
— Lexicon Hebraeo-Latinum. 1687.
— Compendium Biblicum Hebraeo-Latinum. Lugduni Batavorum 1680.
Ludovici (a S. Francisco) Globus Canonum linguae Sanctae. Romae 1586.
Ludovici (De Dieu) Grammatica linguarum orientalium Hebraeorum, Chaldaeorum, et Syrorum. Lugduni Batavorum 1628.
Mattiae (Aug.) Grammatica compita della lingua Greca etc. volgarizzata da Amadeo Peyron. Torino 1823. 2. vol.
Maii (Io. Henr.) Brevis institutio linguae Hebraicae, Chaldaicae, Syriacae, Arabicae, Samaritanae, atque Æthiopicae Harmonica. Francofurti 1707.
Marini (Marc.) Hortus Eden h. e. Grammatica linguae Sanctae. Venetiis 1585.
— Arca Noe, sive Thesaurus linguae Sanctae. Ibid. 1593.
Martinez (Martini) Institutiones linguarum Hebr. et Chald. Parisiis 1548. Salmanticae 1571.
Matthiae (Iacobi) Grammatica Hebraica. Basileae 1589.
Mayr (Georgi) Institutiones linguae Hebraicae. Augustae 1616. Lugd. 1622. Ingolst. 1624. et Tubingae 1693.
Meelfuhreri (Io.) Grammaticae Hebraicae compendiosa institutio. Ienae 1623. Leidae 1642.
Meninski (Francisci a Mesgnien) Thesaurus linguarum Orientalium Turcicae, Arabicae, Persicae continens Lexicon Turcico-Arabico-Persicum. Viennae Austriae 1680. 3. vol.
Michaelis (Io. Dav.) Grammatica Hebraica. Halae 1745.
— Chrestomatia Syriaca. Ibid. 1768.
— De Punctorum Hebr. Antiquitate. Ibid. 1739.

MICHAELIS (Io. Dav.) Supplementa ad Lexica Hebraica. Göttingae 1784. et 1792.
— Grammatica Syriaca. Ibid. 1784.
— Grammatica Chaldaica. Ibid. 1771.
— Castelli Lexicon Syriacum cum additamentis. Halae 1787-88.
— De Syrorum vocalibus ex Ephraemo, Ibid. 1758-1762.
— Grammatica Arabica etc. Ibid. 1771.
MONTALDI (Fr. Iosephus) Lexicon Hebraicum et Chaldeo-Biblicum. Romae 1789. 4. vol.
NICOLAI (Io. Frider.) Grammatica linguarum Hebraicae, Chaldaicae, Syriacae, Arabicae, Ætiopicae, et Persicae. Ienae 1670.
PAGNINI (Sanctis) Abbreviatio Institutionum Hebraicarum. Lutetiae 1546.
— Hebraicarum Institutionum libri IV. Ibid. 1549.
— Thesaurus linguae Sanctae, sive Lexicon Hebraicum auctum et recognitum a Io. Mercero. Lugduni 1577.
PASINI (Ioseph) Grammatica linguae Sanctae. Patavii 1739.
REUCHLINI (Ant.) Tabulae XX. Institutionum ad linguam Sanctam. Basileae 1554.
— De Rudimentis Hebraicis libri III. Phorcae 1506.
SCAPULAE (Io.) Lexicon Graeco-Lat. Lugduni Batavorum 1652. Londini 1789. et Glasguae 1816. 2. vol.
SCHLEUSNER (Io. Frid.) Lexicon Graeco Lat. in N. Testamentum etc. variisque observationibus Philologicis etc. Lipsiae 1808. 2. vol.
— Auctum a Smith Strauchon, et Dickinson. Edinburgi 1814. 4. vol.
SCHREVELII (Cornel.) Lexicon Manuale Graeco-Lat. et Lat-Graecum. Patavii 1687-1730.
STEPHANUS (Henr.) Thesaurus Graecae linguae. *Excudebat Henr. Stephanus anno* 1572. 5. tom. in 4. vol.
TYCHSEN (Olai Gerhardi) Elementale Arabicum. Rostochii 1792.
— Elementale Syriacum. Ibid. 1793.
TREMELLII (Io. Imman.) Rudimenta Hebraicae linguae ab Antonio Rodolpho Cevellerio recognita. Coloniae 1591.
— Gramatica Chaldaea, et Syra. Ibid. 1569.
ZANOLINI (Ant.) Lexicon Hebraicum. Patavii 1732.
— Grammatica linguae Syriacae. Ibid. 1742.
— Lexicon Syriacum. Ibidem.
ZANOLINI (Ant.) Ratio addiscendae linguae Chaldaicae-Rabbinicae-Talmudicae etc. Patavii 1750.
— Lexicon Chaldaico-Rabbinicum cum Rabbinorum Abbreviaturis. Ibid. 1742. vol. 2.

ZANOLINI (Ant.) Quaestiones e Sacra Scriptura ex linguarum Orientalium Interpretatione ortae. Ibidem 1725.

ZONARAE (Io.) Lexicon Graecum. Lipsiae 1808. 2. vol.

Vetus Testamentum Hebraicum, edidit Benj. Kennicott, cum variis lectionibus. Oxonii 1766. 80. 2. vol.

Biblia Hebraica cum punctis, secundum ultimam editionem Iosephi Athiae a Ioanne Leusden recognitam, variisq. notis illustrata ab Everardo Van Der Hooght. Amstelaed. 1705. et Londini 1825. 2. vol.

— — Cum versione latina Sebast. Schmidii. Lipsiae 1740. 2. vol.

— — Cum optimis impressis et Mss. collata et recensita studio Henr. Opitii. Kilonii-Holsator. 1709.

— — Eadem cum adnotationibus latinis, cura et studio D. Ios. Heinr. Michaelis. Halae-Magdeb. 1720.

— — Cum utraque Masora et Targum, item cum commentariis Rabbinorum, studio Io. Buxtorfii. Basileae 1618-19. et 1620. 4. vol.

Biblia Sacra Hebraica, cum interlineari interpretatione latina Sanctis Pagnini etc. Antuerpiae 1572.

— — Eadem, cura et studio Eliae Hutteri. Hamburgi 1587.

— — Eadem (sine punctis). Hanoviae, Hana. 1610. 2. vol.

Biblia Hebraica, olim a Chr. Reineccio edita, cum lectionibus variis, ex Codd. Hebr. a Kennicott et de Rossi collat. Lipsiae 1793.

Biblia Arabica additis e regione Bibliis latinis vulgatis (studio et labore Lergii Risii). Romae 1671. 3. vol.

Biblia Hebraice, Graece, et Latine cum scholiis Vatabli, aliorumque. Parisiis 1599. 2. vol.

Novum Testamentum Syriace, Graece, et Latine ex versione Tremellii apud Henricum Stephanum 1569.

— — Idem. Lugduni 1571.

— — Idem. Parisiis 1584.

Novum Testamentum Arabicum. Oxonii 1727.

— — Chaldaicum. Romae 1548.

— — Syriacum, et latinum. Lugduni Batavorum 1717. 2. vol.

— — Ægyptium. Oxonii 1716.

— — Graecum cum variis lectionibus, cura M. Chr. Reineccii. Lipsiae 1753. et P. Herm. Goldhageri. Moguntiae 1753. 2. vol.

Psalterium Syriace. Lugduni Batavorum 1625.

— — Hebr. Gr. Arab. et Chald. Genevae 1516.

— — Cophto-Arabicum. Romae 1744.

— — Æthiopico-Lat. Francofurti 1701.

Abrahami Trommii Concordantiae Graecae Versionis etc. LXX. Interpretum, Amstelodami, et Trajecti ad Rhenum 1718. 2. tom.

Concordantiae Graecae Novi Testamenti. Basileae 1546.

— — Graeco-latinae. Genevae 1624. et Witembergae 1638.

— — Graecae Rob. Stephani. 1555.

De *Polyglottis* videatur *Dissert. II. cap. IV. art. IV.* pag. 121.

SYNOPSIS

CHRONOLOGIAE AB ADAM VSQVE AD CHRISTVM

IVXTA

CORNELIVM A LAPIDE

IN PENTATEVCHVM

Edit. Antverpiae an. MDCLXXI.

	Ab Adam.	A Noe.	A Diluvio.	Ab Abraham.	A repromissione.	A ingressu Iacob in Aegyptum.	A morte Ioseph.	A servitute Aegypti sub Pharaone.	Ab exitu ex Aegypto.	A Iudicibus et Iosue.	A Regibus.	A Templo Salomonis.	Ab Olympiadibus.	A Roma condita.	A captivitate X. tribuum.	A transmigratione Iechoniae.	A captivitate babylonica.	A libertate sub Cyro.	Ab hebdomadibus Danielis.	Ab annis Graecorum.	A Machabaeis.	A subiecta Iudaea.	Ab annis Iulianis.	A Christo nato.	A primo anno Christi.	A Baptismo Christi.	A morte Christi.
Anni ab exordio Mundi.	1																										
Ad Noe.	1056																										
Ad Diluvii finem.	1657	601																									
Ad Abraham.	1949	893	292																								
Ad repromiss. Abrahae factam.	2024	968	367	75																							
Ad ingressum Iacob in Aegyptum.	2239	1183	582	290	215																						
Ad mortem Ioseph.	2310	1254	653	361	286	71																					
Ad servitutem Aegypti.	2366	1310	709	417	342	127	56																				
Ad egressum Hebraeorum ex Aegypto.	2454	1398	797	505	430	215	144	88																			
Ad ingress. in terr. Promiss. et Iudices.	2494	1438	837	545	470	255	184	128	40																		
Ad Reges.	2850	1794	1193	901	826	611	540	484	396	356																	
Ad Templum Salomonis.	2933	1877	1276	984	909	694	623	567	479	439	83																
Ad Olympiades.	3176	2120	1519	1227	1152	937	866	810	722	682	326	243															
Ad Romam conditam.	3199	2143	1542	1250	1175	960	889	833	745	705	349	266	23														
Ad captivit. X. tribuum sub Salmanasar.	3226	2170	1569	1277	1202	987	916	860	772	732	376	293	50	27													
Ad deportationem Iechoniae.	3349	2293	1692	1400	1325	1110	1039	983	895	855	499	416	173	150	123												
Ad captiv. babylon. et excid. Ierosolymae per Nabuchodon.	3359	2303	1702	1410	1335	1120	1049	993	905	865	509	426	183	160	133	10											
Ad liberat. sub Cyro, ab ejus monarchatu.	3419	2363	1762	1470	1395	1180	1109	1053	965	925	569	486	243	220	193	70	60										
Ad hebdomadas Danielis.	3497	2441	1840	1548	1473	1258	1187	1131	1043	1003	647	564	321	298	271	148	138	78									
Ad annos Graecor. vel Seleucidar.	3640	2584	1983	1691	1616	1401	1330	1274	1186	1146	790	707	464	441	414	291	281	221	143								
Ad Machabaeos.	3785	2729	2128	1836	1761	1546	1475	1419	1331	1291	935	852	609	586	559	436	426	366	288	145							
Ad subject. Iudaeae Romanis a Pompeio.	3888	2832	2231	1939	1864	1649	1578	1522	1434	1394	1038	955	712	689	662	539	529	469	391	248	103						
Ad annos Iuli. a reform. Kalendarii.	3907	2851	2250	1058	1883	1668	1597	1541	1453	1413	1057	974	731	708	681	558	548	488	410	267	122	19					
Ad Nativitatem Christi.	3950	2894	2293	2001	1926	1711	1640	1584	1496	1456	1100	1017	774	751	724	601	591	531	453	310	165	62	43				
Annus primus Christi.	3951	2895	2294	2002	1927	1712	1641	1585	1497	1457	1101	1018	775	752	725	602	592	532	454	311	166	63	44	1			
Ad Baptismum Servatoris.	3981	2925	2324	2032	1957	1742	1671	1615	1527	1487	1131	1048	805	782	755	632	622	562	484	341	196	93	74	31	30		
Ad passionem Redemptoris.	3984	2928	2327	2035	1960	1745	1674	1618	1530	1490	1134	1051	808	785	758	635	625	565	487	344	199	96	77	34	33	3	
Ad finem hebdomadarum Danielis.	3987	2931	2330	2038	1963	1748	1677	1621	1533	1493	1137	1054	811	788	761	638	628	568	490	347	202	99	80	37	36	6	3

APPENDIX

AD

INSTITVTIONES BIBLICAS

SIVE

SPECIMEN

EXERCITATIONVM BIBLICARVM

IN VSVM TIRONVM.

LECTORI.

Dum *Institutionibus Biblicis* appendicem veluti quamdam tertio hoc volumine *Exercitationes*, uti pollitici fuimus, adnectimus, faciendum in antecessum putavimus, ut consilii methodique nostrae tibi, Lector, ratio paucis pateficret. Non id jam contendimus, ut quae de Scriptura Sacra quaestiones institui possunt, eae omnes per nos tractentur, vel quae sunt a nobis propositae, easdem plena eruditionis copia exornatas exhibeamus, atque evolutas. Id scilicet libri molem in immensum propemodum augeret, ac Tironum mentes obrueret potius quam juvaret. Iisdem namque non tam rerum diversitas ac multitudo utilitatem afferre solet, quam id genus studii atque institutionis, ex quibus modum inquirendae, inveniendae, caeterisque exponendae veritatis addiscant. Praeterea experientia doctus in eam deveni sententiam, non unam esse omnibus aptam methodum, qua vel ejusdem disciplinae auditores institui utiliter queant; quorum nempe alii humi, ut ita dicam, serpentes, nonnisi ea, quae fere in promptu sunt, atque cuivis intellectui obvia assequi valent; alii vero celeriores mentis motus sortiti difficiliora avidius petunt, ac felicius apprehendunt; omnes vero interea rerum varietate (quod adolescentiae ingenium est) summopere delectantur. Hac de caussa *Exercitationes* hasce ita digessimus, ut aliae in longiori, ac profundiori quaestionis analysi, in breviori aliae faciliorique versarentur. Habes itaque, Lector, non ejusmodi Quaestionum de Sacra Scriptura plenam collectionem, qualem apud Heronymum (1), Eusebium (2), Wouters (3), Veith (4), Zanolini (5), aliosque bene multos reperies, sed *Spe-*

(1) *Quaest. Hebr. in Genesim.*
(2) *Quaest. in Evang. ed. ab Angelo Maj.*
(3) *Dilucidationes Selectarum Sacrae Scripturae Quaestionum.*
(4) *Scriptura Sacra contra Incredulos propugnata.*
(5) *Disputationes ad Sacram Scripturam spectantes etc.*

cimen Exercitationum, in quibus singuli auditores, quocumque sint praediti ingenio, quo tempore praelectionibus nostris dant operam, materiem rationemque uniuscujusque viribus satis idoneam, atque utilem inveniant, et Doctores loca in promptu habeant, ubi doctrinam a nobis traditam (ut res tempusque feret) amplificent augeantque.

Tirones vero, quorum profectui lucubrationibus hisce nostris, quaecumque eae sint, prospicere conati sumus, dum in hoc concertationum genere versabuntur, a vitiis illis maxime caveant, quae praecavenda monuerunt sapientes, qui studiis suis Dei gloriam, et verae sapientiae lucrum (quod unum in votis esse debet) etiam atque etiam spectabant. *Nonnulli enim*, ait Clemens (1), *in disputationum certamine, ubi errorem suum senserint confutari, causa perfugii conturbare continuo incipiunt, et movere lites ne palam fiat omnibus quod superantur: et propterea ego frequenter exoro, ut cum omni patientia et quiete indago disputationibus habeatur, ut si forte aliquid minus recte dictum videatur, repetere id, et apertius liceat explanare; solet enim interdum aliter dici quid et aliter audiri: dum aut minus vigilantur advertitur: et ob hoc patienter cupio haberi sermonem, ut neque subripiat alter alteri: neque sermonem dicentis intempestivus sermo contradicentis interrumpat: neque reprehendendi studium geramus: sed liceat, ut dixi, minus plane dicta repetere: ut examinatione justissima clarescat veritatis agnitio. Scire enim debemus quia si quis a veritate vincatur, non ipse vincitur, sed ignorantia, quae in ipso est, quae est daemon pessimus, quam qui potuerit effugare, salutis accipit palmam.* In deligendis vero opinionibus, pro quibus certare quisque velit, vetus illud effatum, tamquam lex sapientissima, justissimaque prae oculis habeatur: *in necessariis unitas: in dubiis libertas: in omnibus caritas.*

(1) *Recognitionum Clementis lib.* 2. (In Maxima Bibliotheca Vet. Patr. Lugdun. T. II.).

SECTIO I.

DE PENTATEUCHO.

EXERCITATIO I.

De praecipuis objectionibus, quae fiunt contra Moysis Cosmogoniam.

Ut Pentateuchi auctoritatem Increduli evertant, plura praesertim ex annalibus Nationum, ex Astronomicis observationibus, et Naturali Historia adducunt, atque ex iis, quae duplicem hominum originem postulare videntur, ut inde Moysis narrationem de mundi creatione rerumque omnium formatione falsam esse evincant. Contenti nos erimus, quod et in aliis Exercitationibus servabimus, quaestionum statum indicare, praecipuas indigitare animadversiones, et fontes e quibus tirones uberiorem eruditionem percipere possint. Totidem in hac Exercitatione Paragraphis superius indicata capita percurremus.

§ 1.

Annales Aegyptiorum, (ajunt increduli increduli) Chaldaeorum, Sinensium et Indorum de origine sua et antiquitate ita loquuntur, ut epocham longe superiorem illa requirant, qua juxta Moysen Mundus creatus est.

Sed hic animadvertendum est 1.º eruditorum omnium sententia profanas historias nil certi ex una parte, ex alia fabulosa multa afferre ubi agitur de statuenda populorum origine. Diversitas non solum, sed et oppositio earumdem historiarum de hac re, id aperte evincit. Contra vero Historia Moysis auctoritate summa gaudet divina, et humana, ut in nostris *Institutionibus* (*part. I. cap.* 11. *art.* 1. *et* 11.) ostendimus. Ergo, arguit Augustinus (*de Civ. Dei l. XVIII. c.* 40.) *Nos in nostrae Religionis historia, fulti auctoritate divina* (cui et humanam accensere contra Incredulos possumus) *quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum quomodolibet se habeant caetera in saecularibus litteris.*

2.º Animadvertimus (quod in eorum, quae paulo ante dicebamus confirmationem cedit) Moysem omnibus Legislatoribus, et Scriptoribus gentilibus antiquiorem fuisse. Hoc quod

fuse prosequuntur Augustinus (*de Civ. Dei l. XVIII. c. 37. etc.*) Eusebius Pamphil. (*Praep. Ev. l. X. c. 5.*) Huetius (*Dem. Ev. Pr. IV. c. 2.*) Berti (*Th. Disc. T. II. l. XI.*) aliique sic breviter et clarissime exponit Veith (*De Pent. Quaest. II.*) *Primus in Attica Rex tempore Moysis fuit Cecrops, qui condidit Athenas, post quem fere omnia contigerunt, quaecumque Graeci aut historiis tradita, aut fabulis permixta narrant de suis Heroibus, Diis, Sapientibus, Legislatoribus, aliisque memorabilibus. Post Cecropem enim fuit partus Apollinis, Cadmus Thebas condidit, Dionysius seu Liber Pater Indos subegit, Orientemque domuit, Minos leges Cretensibus dedit, Aesculapius medicinae gloria excelluit. Post Cecropem Persei victoriae*, Herculisque *labores celebrantur, et Poetae a quibus profluxit graecorum Theologia*, Amphion, Linus, Orpheus et Musaeus *floruerunt.* Post Cecropem *quadringentis minimum annis bellum Trojanum gestum est, quo bello minimum centum annis posterior est* Homerus. *Igitur* Moyses *non solum tempore longe praecessit* Homerum *antiquissimum Graeciae scriptorem (Vid. Ioseph. contr. App.* 1.), *sed etiam alios omnes Graeciae et Gentilium Sapientes et Legislatores, puta* Hesiodum, Thaletem, Pytagoram, Socratem, Solonem, Lycurgum, *et his seniores* Orpheum, Linum, Musaeum, Herculem, Aesculapium, Apollinem, *quia et ipsum* Mercurium Trismegistum, *qui omnium fuit antiquissimus et Philosophiae apud Aegyptios princeps et inventor.* Nam, *ut* Augustinus *refert*, Mercurius Trismegistus *nepos fuit* Mercurii majoris, *cujus maternus avus* Atlas *Astrologus et aequalis* Promethei *eo tempore floruit, quo* Moyses *vixit. Similiter* Sanchoniathon (*si tamen aliquis hujus nominis Historiographus apud Phaenices unquam extitit*) *teste ipso* Porphyrio *infensissimo Hebraeorum et Christianorum hoste, tempore posterior Moyse extitit. Ex his palam est* Moysem, *qui* Cecropi *coaevus fuit, omnium, quorum nunc extant scripta, vel quorum nomen in gentilium scriptis proditum est, primum fuisse Theologum, Philosophum Historicum, et nomine Dei Legislatorem.*

3.° Ex aemulatione et studio exaggerandi vetustatem gentis suae, annales populorum generatim loquendo fabulis quod ad hoc referti sunt.

Ad Aegyptios quod attinet *Manetho* quidem de rebus Aegyptiorum scriptor recenset plurimas dynastias Deorum, Semideorum, et Mortalium per multa annorum millia in Aegypto regnantium. Sed *Manethoni* fidem auferunt *Petavius* et *Capellus*, aliique. Contra Aegyptiorum jactatam antiquitatem scribunt etiam *Herodotus* l. 2. et *Diodorus Siculus* l. 1. Notandum tamen hic est eruditos multos hac nostra aetate in ea

opinione versari ut Aegyptiorum historia Mosaica conciliari possit. Scripsit de hoc Richerus (apud Trivultienses ad ann. 1744. Sept. art. 31.). Erudite etiam Cl. Caelestinus Cavedoni, qui Mutinae Sacram Hermeneuticam multa cum laude docet de hisce disseruit (*Continuazione delle Memorie di Religione. Modena T. 1. Fasc. terzo. Cenni sul vantaggio, che dal riscontro de' monumenti egiziani si ritrae per lo studio della Sacra Scrittura*). Idem affert quaedam utilissima, quae quod ad hoc scripserunt Champollion et Rosellini.

De Chaldaeis monemus universam eorum historiam fragmentis inniti Ctesiae et Berosi. Sed Ctesiam fidem non mereri pluribus Critici ostendunt, inter quos Bern. de Montfaucon (*de verit. histor. Iudith. pag.* 120. *etc.*); Berosus, qui tamen etsi fabulas veritati immiscuerit, in statuenda Chaldaeorum origine nobis probabiliter non adversatur. Ait enim eos originem ducere a Saturno Babylonico, quem Huetius ostendit (*Demonstr. Ev. Pr. IV. c.* 10. *n.* 6.) esse *Nembrod filium Chus.* Concludimus interim verbis Lactantii (l. VII. c. 14.): *Chaldaei, ut Cicero tradidit l. I. de divinitate, quadraginta septuaginta millia annorum monumentis comprehensa se habere delirant, in quo quia se non posse argui putabant, liberum sibi crediderunt mentiri.*

Neque ex Sinensium annalibus solidum quidquam haberi potest cum monumenta desint satis firma, quae pro historia Sinensium se extendant ultra 200. aut 300. annos ante aeram christianam. Demonstravit hoc *Episcopus Eleuteropolitanus de Chronologia Sinensium* Rom. 1729. Is porro vigintiquinque annos iam degerat in Sinis, et Sinensium linguam et historiam optime callebat. Confucius enimvero 600. ann. pl. min. ante Christum (vide Bayerum Regiomontanum in *Musaeo Sinico*) ita loquebatur: *Libri et Sapientes, qui existunt hoc tempore haud sufficiunt.... a quibus aetas nostra testimonium satis luculentum petat .... alioquin si sufficerent, tunc et ego possem testificari.... nunc autem cum mihi desint praesidia tam necessaria, quorsum frustra laborem, et proloquar ea, quae posteri non credant?* Ridicula et falsa, quibus conspersa est Sinensium historia vide apud Natal. Alex. (*in* 1.ª *Mundi aet. Diss.* 8.) Bergier, (*La certitude des preuves du Christ. T. II. c.* 11.) Nonnotte (*Dict. art. Chinoi*). De populorum annalibus scripsit Gerdil (*T. II. Saggio d' Istruz. Teolog.* = *Accord de l' Ecriture avec l' histoire*) *L' histoire incertaine des peuples les plus anciens ne remonte pas à plus de 3000 ans avant notre ère.* (*Annales de Philosophie chretienne. Recueil Périodique. Troisième année T.* 4. *N.* 20. 29. *Fevrier*). *Chronologie de la Biblie justifiée* (Annal. cit. Premier. Ann.

T. 2. Num. 7. 31. Janvier). Immo Indorum libri, qui fidem merentur, si recte considerentur, chronologiae Mosaicae non adversantur, sed ipsam confirmant (*vid. Memorie di Relig.* T. XIII p. 46. *etc.*).

§ 2.

Ex Astronomicis etiam observationibus deducunt Increduli argumenta contra Mosaicam Chronologiam. Ex eclipsium enim ex. gr. observationibus Sinenes periodos statuebant, quarum initium omnem epocham transcendit, quae ex Moyse deduci possit.

De his praeter auctores citatos in fine Paragraphi superioris Cassinus videndus est (*Mem. de l' accad. des Sciences T.* 8. *p.* 30.). Nos interim haec generatim notamus:

1.° Cum ex apparitione eclipsis conjicitur periodus, quam illa postulat, atque retrogrado gradu statuitur illam alias apparuisse, hoc revera statui poterit dummodo certo constet eo tempore reapse mundum creatum fuisse, createque coelestia corpora, quorum revolutionibus illa contingunt. Ostendant igitur oportet apparitiones, quas fingunt reales non imaginarias fuisse, quod usque dum evincant, nos Chronologiae Mosaicae adhaerebimus. Enimvero

2.° Quod Astronomi interdum calculi et fictionis chronologicae commodo effingunt, non est confundendum cum iis, quae revera extiterunt. Sic ex. gr. Petavius statuit anno 730 Periodi Iulianae Mundum fuisse conditum: at negavit ne Petavius Mosaicam chronologiam?

Objiciunt Zodiacos Aegyptios Tentyrensem et Esnensem, ex quibus argumentantur Mundum antiquitate Moysis epocham longe praeire. Sed ex astronomicis scrutationibus patet Esnensem vix ad octavum ante Christum saeculum pertingere posse. Immo doctissimi archaeologi Visconti, Letronne, Champollion, aliique demonstrantur Zodiacum utrumque aetate demum Romanorum Imperatorum exsculptum fuisse. Vide Dissert. cl. *Testa* (*memorie di Religione T.* 2. *fasc.* 5.) *l' amico dell' Italia* (*An.* 2. *Vol.* 5. *fasc.* 4.) et Zach, nec non *Cont. delle Mem. di Relig. T.* 1. *p.* 343.)

De argumentis contra Scripturam ex Astronomia petitis praeter auctores citatos utiliter legi potest: *Chronologie de la Bible justifiée* (*Annales de Philosophie Chrétienne. Recueil Périodique. Deuxième Année T.* 2. *Numer.* 15. 30. *Septembre; item Num.* 16. 31. *Oct.*) Confer Cuvier, *Discours sur les Révolutions de la surface du Globe, p.* 242. *etc.*

§ 3.

Ex Naturali Historia multa quoque congerunt, quae contraria esse autumant narrationi Moysis, de ortu Mundi, deque prima rerum formatione. De hac re notamus:

« 1.° Cum Maltebrun (Précis de Géographie universelle; « liv. XL. tom. 2. pag. 475.) Rien n' arréte l' esser de la « curiosité humaine; en vain la terre, les eaux et les airs, « en nous offrant mille difficultés insolubles, nous ont-ils rap- « pelé l' impuissance de notre esprit: nous ne connaissons qui « imparfaitement ce qui existe autour, et nous ossons recher- « cher comment tout a commencé à exister? Nous prétendons « remonter de l' état présent de la terre à l' état qui l' a « précédé, et ainsi de suite en suite jusqu' à l' origine du glo- « be; nous voulons tracer l' histoire de la terre, d' aprés des « inductions et des analogies: quelle témérité! . . . . Les sy- « stêmes géologiques ont pour but avoué d' expliquer la marche « des revolutions inconnues, d' aprés de monumens souvent « équivoques; ils se permettent de suppléer au silence des faits « par des analogies; et ainsi, d' hypothése en hypothèse, ils « décomposent le globe, et le recomposent, comme si ce vaste « corps était un petit morceau de métal, quae le chimiste pût « fondre dans son creuset. Nous allons prouver que cette pré- « tendue science, ou la géologie spéculative, ne promet aucun « résultat certain, dés qu' elle abandonne les faits....

« D' abord la partie du globe qui nous est connue, n' est « qu' une millième partie tout au plus de son volume entier. « Nos fouilles ä peine effleurent-elles la terre; nos géologues « n' ont guère vu avec attention qu' une moitié de l' Europe, « et la dixiéme partie de l' Amérique et de l' Asie; la masse « des observations est infiniment petite, et cependant on ac- « corde à la spéculation une sphére immense. Comment, vous « ne savez pes si l' intérieur du globe est composé de météores « analogues à ceux de sa surface, ou s' il ne contient qu' un « amas de sable et de poussière? s' il brûle dans ses flancs un « feu central, ou s' il s' y trouve des vastes cavernes, un grand « abîme, un reservoir d' eaux primitives, ou si peut etre tout « le globe n' est qu' une sphère creuse, remplie d' air, et de « vapeurs? Vous ne savez rien de tout cela; vous avouez qu' on « ne peut, par aucun raisonnement, soit astronomique. soit « physique, ni preuver, ni réfuter aucune de ces opinions? « Mais de forces inconcevablement puissantes et actives peuvent « être recélées dans ce vaste espace inconnu, des forces telles « que toutes les révolutions du globe ne seraient, peut-être « pour elles, qu' un jeu passager.

« Tant que l' intérieur du globe nous restera inconnu, les « conclusions qu' on pourra tirer des faits observés à la sur- « face, n' auront qu' une probabilité relative à ces faits, mais « dès qu' on voudra les combiner, pour en former un systême « général, leur incertitude paraîtra au grand jour; car à coté « d' une somme finie de probabilités, telles fortes qu' on les « suppose, on verra s' élever une somme infinie de termes « inconnus, dont peut-être un seul suffirait pour balancer toutes « nos probabilitês, ou pour les rendre superflues. »

Audiatur etiam Cuvier (*Discours sur les Rèvolutions de la surface du Globe p.* 282.) *Je pense donc, avec MM. Déluc et Dolomieu, que, s' il y à quelque chose de constaté en géologie, c' est, que la surface de notre globe à été victime d' une grande et subite révolution, dont la date ne peut remonter beaucoup au dela de cinq ou six mille ans.* Vid. Mem. di Religione (*T. XIII. p.* 43.)

2.° In systematibus geologicis statuendis, licet miracula non sint sine necessitate multiplicanda, ac licet rationi humanae id omne quod concedi possit, concedendum reipsa sit, non est tamen a Scripturae literali sensu sine necessitate recedendum. Metaphoras namque aliasque figuras liberius fingendo quam par est, sensim totius Scripturae eludi posset auctoritas, ut fusius in nostris Institutionibus probavimus, ubi *de sensibus Scripturae* loquuti sumus.

3.° Cum agitur de rerum creatione, per quam Deus e nihilo universa condidit, et in qua *dixit, et facta sunt*, deque operibus sex dierum consecutivis, quaecumque fingatur hypothesis, aliqua tamen extraordinaria omnino necessario sunt admittenda. Quod homo ex. gr. vivere repente incaeperit ea corporis conformatione, quae homini naturaliter corresponderat, qui antea triginta annos vixisset, atque ab infantia ad adolescentiam, ab hac in virilem statutum processisset, res fuit procul dubio extraordinaria. Quinimo in operibus sex dierum praescindi omnino non potest a prodigiis, ac miraculis ut patet.

Hisce praenotatis generatim lucubrationes quasdam recensebimus, quae nuper hac de re prodierunt.

« Duncan (Discorsi apologetici. Firenze 1820.) Discorso « secondo. Argomento. Sono vani gli sforzi degl' Increduli per « dare al Mondo un' antichità maggiore di quella assegnata- « gli da Mosè.

« Annalyse des différens systémes géologiques. Les systé- « mes géologiques, qui combattent le recit de la Genése, sont « hypothétiques, et denoués de fondement. Tous les faits par- « ticuliers, dont cette science s' est enrichie dans ces derniers « temps, attestent la verité du récit de Moïse. (Annales de

« Philosophie chrêtienne Recueil périodique. Deuxième Année
« num. 9. 31. Mars. T. 2.)

« Travaux de Deluc. Preuves géologiques de la mission
« divine de Moïse (Ann. cit. T. 3. num. 18. 30. Sept.) Expli-
« cation géologique de l' oeuvre des six jours, et réponses a
« quelques objections contre la Genése. (Ann. citat. T. 3.
« num. 16. 31. Octobr.) Accord de la Géologie et de la Ge-
« nése, relativement à la création. L' Antiquité de la terre,
« que tendent à prouver les recherches gèologiques, peut se
« concilier naturellement avec l' èpoque assez récente de la
« création, indiquée par Moïse. (ibid.)

« Examen de l' oeuvres des six jours. Par M. le Baron de
« Ferussac (Ann. cit. T. 2. num. 10. 30. Avril.)

§ 4.

Non unam esse omnium communem originem, Adamum nempe protoparentem, ut Moyses narrat, nituntur Increduli ostendere praecipue ex duplici capite, ex eo nimirum quod alii homines albi sint, nigri alii, et ex America seculis abhinc vix quatuor demum detecta.

Quod ad nigros spectat, eos ut albos potuisse ab unico stipite derivari generatim probatur; 1.° quia discrimen inter eos non in iis consistit, ut patet, quae homini essentialia sint. Idque eo potiori jure asserendum est quo *Nigrorum* intellectuales facultates nihilo inferiores iis sint, quibus *Albi* gaudent; de qua re legendus est *Grégoire* (*De la littérature des Nègres. Paris. an.* 1808). 2. Exemplum brutorum ad hoc inservire potest. Quanta enim colorum differentia in eodem felis aut canis partu? Canes omnes juxta plures, ab unica specie proveniunt, licet admodum varii illi sint. 3.° Caussae existunt sufficientes Physicorum judicio, quae tempore saltem procedente efficere potuerunt ut inter homines aliqui nigri sint, quin a diverso stipite proveniant: clima nempe, cibi, nuditas, mores ipsi, aliaque similia. Quo loco cum Clarissimis Naturalis Historiae Doctoribus monemus quod licet hujusmodi caussae nunc temporis aut non existant, aut sufficientes non agnoscantur, extitere tamen olim sufficientes extraordinario productae a revolutionibus, quibus globus noster subjectus fuit, cujusmodi fuere ex. gr. extraordinariae inundationes, vulcani, atque alia. Vide Lacepéde (*Les Ages de la Nature T. I.*). Et sane non aliter explicari possunt vel ab ipsis adversariis coloris diversi gradus, qui apud diversas nationes gradatione quadam apparent; immo major inter album et fuscum, quam inter fuscum et nigrum conspicitur.

Quod si quaeras quomodo niger in regionem nostram advectus, niger remaneat, et nigros procreet filios, respondemus coloris mutationem longum temporis tractum requirere, pluresque generationes. Praeterea defectum causarum, quae extraordinariae sunt, de quibus supra, adducere possumus.

De nigris Nicolai (*Lez. 1. sulla Genesi*) *Unité de l'espèce humaine. Toutes les recherches d'histoire naturelle prouvent l'unité de l'espèce humaine, et refutent l'opinion des philosophies impies qui font des vègres une race à part.* (*Annales de Philosophie Chrêtienne. Recueil Pèriodique. Deuxième Année T. 3. num. 14. 31 Août.*)

Prichard (*Recherches sur l'histoire physique de l'homme. Bibliotèque Britannique num. 479.*)

Quod autem Americae populi et ipsi a Protoparente nostro proveniant, ex illo ostenditur quod variae assignari possint viae, per quas homines ab Adamo descendentes, Americam potuerint permeare, ac praecipue per fretum Behring, sive Cook, detectum anno 1779. Vide *Inst. Part. II.* ubi de Geographia.

Si autem quaeras cur non remanserit neque apud nos, neque apud Americanos transmigrationis hujusmodi memoria, respondemus: 1.° in I. 4. Esdrae (apocrypho) mentionem fieri fratrum, qui in longinqua transierunt; 2.° non fuisse transmigrationem illam factum unicum ac famosum, cujus memoria necessario permanserit; 3.° in conterminis populis fortasse aliqua memoria remansit, licet nobis incognita, attentis praecipue locorum distantia, et linguarum obscuritate. Vide de hoc *Gemelli Carreri.*

Si quaeras rursus, cur nam in divisione Mundi, inter filios Noe facta, atque descripta Genes. XI., nullius loci appareat mentio, qui ad Americam spectaverit, quod confirmari potest ex eo quod communis fuerit veterum sententia Asiam contigisse Sem, Cham Africam, Iaphet Europam, ex quibus idcirco partibus tantummodo mundum tunc notum constare videatur, respondetur: vel nullam reipsa Americae mentionem a Moyse factam fuisse, quia de divisione agebat inter primos filios Noe; aut quia de locis ad Hebraeos pertinentibus peculiariter loquebatur; aut quia Americanae partes iis inter Noe nepotes contigerint, quibus nulla eo capite assignata portio describitur. Vel dicendum est Americam fuisse indicatam sub aliquo ex nominibus eo capite expressis, nobisque incognitis; aut tamquam partem sive appendicem locorum, qui ibidem indigitantur. Caeterum neque omnes Asiae partes, Africae, vel Europae ibidem indicantur. Divisio tandem globi terraquei in tres, quatuor, vel plures partes arbitraria est, et juxta geographorum cogni-

tiones variata fuit. Vide: *Unitè d' origine de l' espèce humaine. Fausseté de l' opinion des philosophes qui donnent aux Americains une origine spèciale, distincte de celle de peuples de l' ancien continent. --- Preuves qui établissent que les indigènes de l' Amerique descendet des abitans du nord et du sud de l' Asie.* (*Annales de Philosophie Chrétienne.* Recueil Périodique. Deuxième Année. T. 2. Num. 11. 31. Mai).

Pro coronide eorum, quae hactenus dicta sunt, generatim notamus:

1.° Scripti cujusdam monumenti recentem inventionem in ea parte, quae *Nova Zembla* dicitur. Scriptum illud est litteris *Runicis*, quibus utuntur Scandinavi, quosque ibidem fuisse inde ostenditur. Putant eruditi monumentum hocce assignandum anno p. m. 330.

2.° Mosaicam narrationem de filiorum Noe per universum propagatione, ex studio comparativo linguarum a quibusdam eruditis confirmari, de qua re scripsit Balbi *Atlas Ethnographique du Globe. Paris.* 1827. (conf. *Journal des Savans* 1829. *p.* 612.).

3.° In Ephemeridibus, quae periodice publicantur, ac praesertim *Memorie di Religione: Modena: Annales de Philosophie Chrétienne*, *Paris*, nec non in quaestionibus Veith *Scriptura Sacra contra Incredulos propugnata*, utilissima reperiuntur pro iis, quae ad Exercitationem hanc pertinent.

EXERCITATIO II.

An Pentateuchi authenticitati obstet epocha inventionis artis scribendi.

Solent recentes increduli Pentateuchum fabulis adscribere eo etiam nomine quod aevo Moysis, cui ille tribuitur, scribendi ars fuerit ignota, ut proinde Pentateuchus opus Moysis genuinum, et authenticum esse nullo pacto possit. Inter hos Voltaire (*Phil. de l' hist. art. Moyse*). Iam vero de characterum inventione, et primis scribendi modis disseruerunt plurimi, ac prae aliis Calmet (*Diss. in Pentat.*) Nicolai (*T.* 1. *Diss.* 5. --- *T.* 2. *Lez.* 19.) Goguet (*L' origine des loix*, *des arts*, *et des sciences*) Du-Clot (*Osservaz. prelim.* § 6.). Nos interim ut responsioni viam sternamus, haec, quae indicati superius Scriptores ex antiquis monumentis probabiliter conjectant, subjicimus.

Scribendi ars, sive modus verba pingendi, loquendique oculis hominum, sensim, ac veluti per gradus perfecta est. Ut enim ommittamus morem vetustissimum consignandi posteris ge-

storum memoriam, petram, altare, arbores in terra figendo, aut cantica componendo, quibus rerum historia contineretur, sciendum est homines ut longinquos et posteros alloquerentur signa adhibuisse primo idearum, deinde sonorum. Primum enim pingebantur res ipsae. quae vel sensibiles erant, vel non. Sensibiles exprimebantur per objecta ipsa naturalia oculis depicta, ac ita imago equi per figuram equi significabatur. Quae non erant sensibilia repraesentabantur per signa plus minus analoga, ac ita ex. gr. vis significata erat per leonem. Ad classem signorum hujusmodi revocari possunt Aegyptiorum hieroglyphica symbolica, nec non posteriores Sinensium cifrae. Notandum porro hic est Peruvianos relicto systemate repraesentandi objecta, eadem indicasse ex conventione; funiculos nempe adhibebant, quos appellabant *quipos*, pluribus chordulis constantes, in quibus colorum varietas, et nodorum numerus certa quaedam significabant. Hujusmodi etiam est quod habebant Sinenses *Kuà*. Tandem homines cum magis culti esse caeperint, arctiorique societatis vinculo colligati de meliori scribendi modo cogitarunt, et post alia tentamina invenerunt signa, quae sonos litterarum, ex quibus Alphabetum componitur exprimerent. At quandonam praecise et ubinam alphabetum inventum sit, per incertas solummodo vias investigare possumus, cum in hanc rem tum nimis varia, tum parum firma sint historica monumenta.

Nihilominus id respondere possumus incredulis, quod catholici viri interest, nempe cuivis aetati hujus artis initia attribuantur, tempore Moysis illa satis cognita, atque in usu extitisse. Probatur id in primis ex Scripturarum testimonio, quae omnibus authenticitatis characteribus gaudent, simulque omnes libros vetustate antecellunt. Illis propterea fides erit adhibenda. Iob enimvero, qui juxta probabiliorem sententiam coaevus Moysi est, ita loquitur (1), ut suo loco ac tempore artem scribendi communem fuisse innuat. Moyses id ipsum praestat in Exodo (2) Numeris (3) Deuteronomio (4). Ita quoque Iosue (5) cujus etiam tempore urbs quaedam terrae Canaan dicebatur *Cariath Sepher*, idest librorum civitas. Deinde communior est

(1) *Scribis enim contra me amaritudines:* (Iob. XIII. 26.). *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina etc.* (Iob XIX. 23.).... *audiat Omnipotens, et librum scribat ipse, qui judicat* (Iob. XXXI 35.)

(2) *Scribe hoc ob monumentum in libro* (Exod. XVII. 14.)

(3) *Et locutus est Dominus dicens .... nomen superscribes virgae suae* (Num. XVII. 1.) ... *quas descripsit Moyses* (Num. XXXIII. 2.).

(4) *Ut possit in eis scribere etc.* (Deut. XXVII. 3.). *Et scribens super lapides etc.* (Deut. XXVII. 8.).

(5) *Scripsit quoque omnia verba haec in volumine legis Domini.*

historicorum tam inter graecos, quam latinos opinio. Chronici Parensis marmorei auctoritate confirmata, quae et Iosephi est, Cadmum e Phoenicia litteras in Graeciam invexisse (1); idque juxta Chronologum Freret anno 1590 ante Christum natum, nempe p. m. anno Mundi 2410. Porro juxta probatissimam Usserii chronologiam anno Mundi 2513. Moyses dux populi fuit renunciatus. Ejus igitur aetate ars scribendi cognita jamdiu erat. Tandem semotis argumentis, quae auctoritate nituntur, quis credat temporibus Moysis nondum hujusmodi media fuisse detecta, quibus rerum memoria tam commode conservaretur? Enimvero a creatione Mundi jam fluxerant anni 2500: artes plurimae, eaeque optimae, ut Hebraeorum ostendit historia, ab Orientalibus excolebantur: agebatur insuper de re summopere necessaria. Quid autem proferunt adversarii, ut rationibus suis argumenta nostra couvellant?

Opponit Voltaire, Moysi, attentis praesertim loco, et angustiis Deserti, suppetere non potuisse materiam, in qua scriberet, aptam. Sed nonne praesto erant ligna, arborum cortices, et his alia similia? Et si tunc non ea, qua apud nos facilitate scribebatur, scribi tamen aliquo pacto poterat. Demum potuerat etiam Moyses ex Aegypto materiam, in qua scriberet, transferre. De materiis variis, quibus veteres utebantur ad scribendum, multa congessit Cl. Trombelli (*Arte di conoscere l' età de' Codici*). Instat — Cognita licet fuerit Moysis tempore aliqua scribendi ars, haec ad summum erit ars hieroglyphicorum Aegypti, quae ad plenam circumstantiarum historiam sunt insufficientia, solumque factum quoddam, quod ad rei substantiam, repraesentare valent. Reponimus Mexicanos olim, Sinenses etiam hodie rerum suarum integras conservare historias mediis haud multum ab Aegyptiorum hieroglyphicis dissimilibus. Insuper regerimus Moysis aetate in usu quoque fuisse alphabeticum scribendi modum, ut ex argumentis nostris evincitur. Nec desunt qui existiment cum Champollion in ipsis hieroglyphicis inesse etiam ipsum alphabetum. Idem Champollion complures papyros *charactere hieratico* exaratos interpretatur, quos aetati incolatus Hebraeorum in Aegypto adsignat (v. *Cont. delle Memor. di Relig. T. I. p.* 369.). Videatur Angelus Maj. (*Dei Papiri Egiziani della Biblioteca Vaticana. Roma* 1825) nec non apud *Annales* in fine prioris Exercitationis citatos, legantur sequentes articuli: *De la découverte de l' Alphabet hiéroglyphique et des résultats par les preuves de la Religion. Hi-*

(1) Confer Zannoni (*R. Galleria di Firenze, Serie V. Vol. II. pag.* 115. *etc*), qui hanc veritatem a recentioribus impugnatam, adserit atque vindicat.

stoire de cette découverte. Essais tentés par différens Savans. Heureux efforts de M. Champollion jeune. Alphabets démotique, et hiéroglyphique (Tom. 2. num. 12. 30. Juin). Ibidem conspicitur Lithographia alphabeti ejusdem. Tandem Grammatica Hieroglyphica juxta principia Champollionis, Parisiorum typis expectatur, ut refert Cl. Rosellini in prooemio operis *I Monumenti dell' Egitto, e della Nubia Part. I. Pisa* 1832.

Solent etiam increduli contra veritatem hanc objicere historias varias, quibus modo uni, modo alteri artis hujus inventio tribuitur. Ut autem argumento huic, aliisque ejusmodi, occurramus, sufficiat generatim animadvertere nonnulla: ac 1.° monumentorum, quae offeruntur, vis ac pondus comprobandum erit, aliter gratis dicta, gratis etiam negantur, praesertim cum nos finissimis innitamur fundamentis: 2.° cuilibet inventionis gloria tribuatur, dummodo ille posterior non sit Moyse, nostra nihil interest: 3.° cum ars haec rudis omnino incaeperit, ac per plurimos gradus ad perfectionem accesserit, ut initio declaravimus, facile plures ejusdem artis inventores traduci possunt, prout hic, vel alter inventis addiderit, ac artem perfecerit. Si quis vero a nobis peteret unde hanc Moyses scribendi artem didicerit, respondemus illum hanc addiscere potuisse vel a majoribus suis, vel ab Aegyptiis, quorum *sapientia omni eruditus est* (*Act. Apost. VII.* 22.), aut in iis regionibus ubi plures annos degit, neque deesse qui Moysi scribendi inventionem attribuat, de quo consulendus Huetius.

EXERCITATIO III.

Quaenam fuerit prima hominum lingua.

Sciendum est in primis a Mundi exordio usque ad turrim Babelis unam fuisse communem linguam (1). Hanc fuisse *hebraicam* valde probabile censent multi: nam 1.° plurimi ex Rabbinis, Patribus, et Interpretibus in hac fuere sententia. Legatur Augustinus (*De Civ. Dei lib. XVI. c.* 11.) et Hieronymus (*in Cap. III. Soph.*). Solum aliqui recentiores, inter quos Grotius et Huetius, aliter opinantur. 2.° Moyses ut homines, gentes, et loca in historia rerum ante Diluvium referat, ea hebraicae etymologiae nominibus refert. Ita *Adam*, *Heva*, *Cain* etc. Vide Opus geographicum Bocharti inscriptum: *Phaleg, et Canaan.* Nos porro nominibus extraneis semper utimur, quando res vel homines extraneos propriis nominibus

(1) *Erat autem terra labii unius, ac sermonum eorundem.* (Gen. XI. 1.).

appellare volumus: secus vero interpretes non historicos ageremus. 3.º Sunt qui ita arguunt. Congruentissimum erat ut lingua, quam Deus ipse hominibus dederat, quae Dei laudes primitus expresserat, quaque aeternas veritates sunt homines edocti, tamquam depositum pretiosissimum conservaretur. Conservari porro debebat in ea stirpe, quae fidelis Deo remanserat, et in qua Dei Ecclesia continebatur. Haec autem stirps fuit Sem, et Heber (secus fidelis nemo, nulla mansisset Dei Ecclesia). Iam vero Heber ea lingua fuit, quam propterea quidam appellant *hebraicam* cum Augustino loco citato. 4.º Sunt etiam qui notant nullam esse linguam, quae plures voces non habeat hebraicae etymologiae; *hebraicam* vero nullam habere, quae sit aliarum propria, et cujus radix in ea non possit reperiri. Demum *hebraicam* linguam simplicissimam esse: unde characteres evincunt prioritatis, atque divinae originis.

Haec omnia simul perpensa nobis satis sunt, ut probabiliorem putemus eorum sententiam, qui *hebraicam* fuisse credunt primam hominum linguam. Quod si quis circa haec plura desideret, adeat Calmet (*in Pent. Dissert. de lingua primitiva*): Tilladet cum notis Griselli (*Dissertations sur deférens sujets*) Ioann. Bapt. Bianconi (*De antiquis litteris Hebraeorum. Bononiae* 1763.). Tandem adnotamus etymon hebraicae linguae non aeque ab omnibus desumi, ut autumant illi, quibus argumentum tertium supra expositum probatur, nempe ab Heber: nam plures vocis significationem deducunt ex quo sermo iste manserit apud filios Abrahae, qui Euphratem transierunt, scilicet a radice hebraica עָבַר *transivit*.

EXERCITATIO IV.

An tentatio Hevae litterali sensu sit intelligenda.

Recentes increduli historiam hanc totam tentationis Hevae, uti alia multa, fabulosis commentis adscribunt. Nos interim divinam, humanamque auctoritatem Scripturae supponentes, ab his confutandis supersedemus. Sunt vero alii, qui historiam hanc uti allegoriam, ac parabolam explicant, atque per serpentem internam Hevae carnis illecebram; per lapsum vero consensum in delectationem intelligendum esse arbitrantur. Inter hos fuit primo Ecclesiae saeculo Philo (*De Opificio Mundi*: prope finem; et *De Agricultura*: ultra medium). Ab hac sententia non omnino alienum se satis ostendit Cajetanus, illamque acriter defendit auctor libri germanice vulgati, ac gallice pri-

mum scripti saeculo proxime elapso, cui titulus: *L' état de l' homme dans le péché originel.*

Contra hos statuimus tentationis serpentis historiam litteraliter esse intelligendam, idque 1.° quia animadvertendo ex Genesi (1) concupiscentiae stimulum subsecutum esse protoparentum lapsum, non vero praecessisse, adversae sententiae corruit fundamentum. 2.° Sensus fidelium, Patrum Theologorumque communis sententia historiam hanc haud aliter explicant: quinimo Ecclesia ipsa id sentit, cum, ommissis aliis, *Praefat.* in Missa de Cruce canit: *qui salutem humani generis in ligno* etc. *et qui in ligno vincebat* etc. 3.° Regula sanctissima, quam tradimus, ubi de *Scripturarum Interpretatione*, haec est, ut, nisi urgeat necessitas, Scripturae verba (in historicis praesertim narrationibus) litteraliter sumantur. Causam ergo afferant, quae nos ad aliter explicandum necessario compellat.

At vero opponunt: 1.° Heva debuisset horrere Serpentis aspectum; multo minus familiare cum ipso colloquium miscere potuisset. Respondemus. In statu innocentiae (2) omnia vel fera animantia subdita, ac familiaria erant hominibus.

2.° Admirari debuisset Heva Serpentem loqui. Respond. Illam ommittendo opinionem, qua bruta omnia tunc temporis loquendi facultate donantur, animadvertimus Hevam facile suspicatam, Angelum vel bonum, vel malum per serpentem loqui.

3.° Quomodo Serpens incapax demeriti punitus fuit? Resp. Verba maledictionis, ac punitionis, quibus usus est Deus, paenam stricte talem importasse pro daemone; quasi vero paenam, et probrum pro serpente tamquam daemonis instrumento. *Sicut*, ait Chrysost. (*Hom.* 17. *N.* 6. *in Gen.*) *amantissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit, et gladium et ensem, per quae filius suus occisus, destruit* etc.

4.° At gradi super pectus relate ad Serpentem, uti parere cum dolore, et terram colere sunt naturalia. Resp. Accedente culpa, et judicis sententia etiam naturales conditiones evadunt paenae, vel quasi paenae. Ita vel ligna caedere Gabaonitis cessit in probrum Ios. IX. quia id eis impositum fuit ob eorum fraudem. Duo praeterea adjungimus, ac primo homines in statu innocentiae fuisse immunes a conditionibus naturalibus, quae molestae fuissent. Secundo etiam supposita historiae allegoria,

(1) . . . . *Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti?* (Gen. III. 11.)

(2) *Dominamini piscibus maris, et volatilibus Caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.* (Gen. I. 28.)

eadem verba pro recto, ac verisimili sensu difficultatem ingerunt.

5.° Undenam Serpenti loquendi facultas? quonam idiomate ipse locutus fuit? Resp. Daemon per serpentem aut verum, aut efformatum operabatur, uti alias per energumenos operatus est. Anima quoque nostra licet spiritualis per corpus operatur. Loquutus est autem idiomate ipso Hevae, quae et intellexit, et respondit.

Plura vide apud Du-clot (*Nota* in haec loca Genesis) et Veith (*Quaest* 12. *et* 13. *in libr. Pentateuchi speciatim*) praeter Commentatores passim. Concludimus interim non ea nobis argumenta suppetere, quibus ducti a litterali sensu in hac historia recedamus.

EXERCITATIO V.

Quinam cibus, potusque Antidiluvianorum.

Circa cibum, dubium cadit praecipue in usum carnis. Lyranus, Tostatus, Dionysius Carthusianus putant carnem ante Diluvium prohibitam, ex eo quod solum olera, segetes et fructus memorentur (Gen. I. 29.). *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terrae* etc., solumque post Diluvium carnes pro cibo permissae dicantur hominibus: (Gen. IX. 3.) *omne, quod movetur, et vivit, erit vobis in cibum.*

Natalis Alexander (*Aetate I. Diss.* 6.), Cajetanus, Soto, aliique plures putant carnem non fuisse prohibitam, quia prohibitio nulla legitur comedendi, praeter fructum arboris scientiae, sed solum prioribus verbis ajunt declaratum esse, quinam esset cibus salubris, et sufficiens non hominibus solum, sed et brutis, quae sane praecepto subjici non possunt, quorum tamen aliqua, dicta idcirco carnivora, carnem naturaliter appetunt. Alia porro verba, dicunt, cibum homini convenientem post Diluvium indigitare. Snnt etiam qui permissionem, implicitam saltem, agnoscunt in illis verbis (Gen. I. 28.) *Dominamini piscibus maris, et volatilibus Coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.*

Inter secundae hujus sententiae patronos aliqui addunt tunc homines carnes comedisse eo quod usi tunc fuerint tunicis pelliceis (1), ac gregum cultui valde incumberent (2) et animalia

(1) *Fecit quoque Dominus Deus Adae, et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos.* (Gen. III. 21.)

(2) . . . *Fuit autem Abel pastor ovium.* (Gen. IV. 2.)

munda distinguerent, quae omnia illud satis videntur innuere. Ab ipsa etiam longaeva, ac robustiori hominum vita, et ab incommodis, quae, multiplicatis nimium animalibus praesertim ferocibus, adfuissent, sententiam suam confirmant.

Sed Pereira, aliique arbitrantur carnem quidem non fuisse prohibitam eo quod nullibi saltem legatur prohibitio; fuisse tamen inusitatam quia non expresse permissam, et ob vitae veteris frugalitatem, a profanis quoque laudatam in descriptione aureae aetatis ut Ovidius (lib. 1. fab. 3. *Metam.*). In eadem sententia esse videtur Boetius (*l.* 2. *de Consol. metr.* 5.) Chrysost. (*Homil.* 27. *in Gen.*) Hieron. (*l.* 1. *advers. Iovin.*) Angelic. (1. 2. *quest.* 10. 2. *art.* 6.) quos omnes adducit Natal. Alex. loco citato. A frugalilate autem, a corporis bona constitutione, a virtute fructuum, a naturali scientia longaevam vitam isti deducunt: gregum porro usus in lana, et lacte ponunt, et Religionis sacrificiis. At post Diluvium (Gen. IX. 3.), juxta omnes, usus expresse permissus est citatis illis verbis *quod movetur, et vivit,* idque ob naturae infirmitatem.

Ad vinum quod attinet, in usu fuisse ante Diluvium existimant aliqui ex quo incredibile fere videatur tam longo tempore aut homines vitis naturam ignorasse, aut vitiis licet repletos liquorem hunc non adamasse. Suam confirmant opinionem verbis Ecclesiastici (XXXI. 35.): *Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem, ab initio*: et Matt. (XX IV. I 38.) *Sicut in diebus ante Diluvium erant comedentes, et bibentes, nubentes* etc. Communior vero est opposita sententia, quae probatur: 1.° ex Hen. (IX. 20.) *coepitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam.* 2.° Si vinum in usu fuisset, libassent illud homines in sacrificiis, ac Abel praesertim, de quo tamen est altum in Scriptura silentium. 3.° Varii Patres (vide Interpretes in loc. cit.) Noe ebrietatem a culpa excusant eo quod vinum novam tunc rem fuisse credant, cujus proinde virtutem ignorabant homines, quodque, ut ait Tursellinius, neque suo pepercit auctori.

Satis porro adversariis respondetur notando: 1.° in robusta adeo hominum vita, facile illos terrae fructibus fuisse contentos: 2.° Ecclesiasticum loqui de virtute producendi vinum: 3.° Matthaeum velle, phrasi suo tempore usitata, vitiorum colluviem indicare, quae orbem antidiluvianorum tempore inundaverat.

EXERCITATIO VI.

Quid de Henoch, et Elia.

Certum est 1.° Henoch et Eliam non esse mortuos. Nam de Henoch dicitur (Gen. V. 24.) . . . . *non apparuit, quia tulit eum Deus*, dum de aliis (ibidem) dicitur: *et mortuus est*: (Eccli. XLIV. 16.) *Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum*: (ad Hebr. XI. 5.) *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem*. De Elia (IV. Reg. II. 11.) *ascendit Elias per turbinem in Caelum*: neque posita etiam discipulorum cura, Elias potuit inveniri. Addatur his Patrum consensus, et communis traditio, quibus perspectis non dubitat Suarez, quin hoc sit fidei dogma (*De Incarnat. T.* 2·). Nos certum saltem id esse statuimus. Contrarium aliqui tantum sunt opinati distortas explicationes adducentes, et a sensu Patrum alienas, quorum magisterio Scriptura Sacra est interpretanda. Quod si Eliam post raptum litteras impio regi Ioram misisse scriptum est, ut ex Paralip. (1), id vel de alio Elia intelligendum est, vel de Eliseo, in quo spiritus fuit Eliae, ut Cajetanus, Vatablus; vel eas ante raptum ab Elia scriptas, et Eliseo datas, vel post raptum scriptas, et per Angelum, aut alium missas fuisse.

2.° Circa loca, in quae translati fuerunt, res est incerta. Ex Ecclesiastico deducunt aliqui Henoch fuisse in terrestri Paradiso usque ad Diluvium. Coelum, in quod ascendit Elias juxta communiorem sententiam aereum erat, ut inde translatus sit in locum Henoch. At cum Scriptura obscure loquatur, cum variae sint Patrum sententiae, melius est rei incertitudinem fateri. Ex meritis porro Henoch et Eliae, ex fine cui reservati sunt, ex communi Patrum opinione dicendum ipsos in loco esse beato, beatamque vitam traducere.

3.° Iisdem rationibus addendum incertum esse an vivant sine cibo, an non.

4.° Putarunt aliqui, quos citat Suarez, Henoch et Eliam visione frui intuitiva. Communiter tamen ea opinio rejicitur 1.° quia Henoch, et Elias in fine Mundi morientur: 2.° quia (Exod. XXXIII. 20.) dicitur: *non videbit me homo, et vivet*; solusque Christus ex communi Theologorum sententia fuit simul viator, et comprehensor. Quod si Ecclesia die 20. Julii Eliae festum celebrat, et Graeci in honorem ejusdem habent templa, Ecclesia non celebrat festum *Eliae ut Beati, sed ut*

(1) *Allatae sunt autem ei litterae ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat etc.* (2. Paralip. XXI. 12.).

rapti . . . . Bene potuit Ecclesia cultum admittere in honorem Eliae, qui constitutus in altissimo sanctitatis gradu, perseverantiae et confirmationis in gratia dono praeditus est: verba sunt Benedicti XIV. (*de Canonizat. SS. l.* 1. *c.* 14. *num.* 13.).

5.° Opinati sunt alii Henoch, et Eliam esse in statu merendi, cum nihil illis ad meritum sibi comparandum desit. Sed negant Pererius, Suarez, aliique tum quia tot merita cumularent, ut Sanctorum omnium, immo Deiparae ipsius merita superarent, tum quia raptus ille morti aequivaleat eo quod alio in statu hominem collocet. Dicendum tamen eos in translatione ipsa confirmatos esse in gratia et bono, ita ut nullum peccatum committere possint, nam cum justi sint et mereri non possint, aequum est ut neque possint demereri.

6.° In fine Mundi apud nos revertentur, prophetabunt contra Antichristum, ab ipso occidentur, post tres dies gloriosi resurgent. Hoc enim dicitur de duobus prophetis futurum Apoc. XI. Iam vero quod unus eorum Elias esse debeat, colligitur ex Malach. (1) et Matth. (2). Quod alter Henoch futurus sit, eruitur ex citato Eccles. loco, ubi is dicitur translatus in Paradisum *ut det gentibus poenitentiam.* Ita praeterea passim opinantur Patres, et Traditio ipsa suffragatur. Ratio insuper congruentiae reperitur in hoc quod unus e Lege Naturae, nempe Henoch, alter e Lege Scripta nempe Elias, testes ea occasione adhibeantur.

7.° Ex fine etiam, cui reservati sunt, caussa satis conveniens elucet, cur adhuc in vivis utrique a Deo conserventur. Ita enim immortalitatis exemplum exhibent, Deique omnipotentiam commendant. At nostrum non est consiliorum Dei arcana facili investigatione perquirere, et rationes sine nulla erroris suspicione assequi. De his Commentatores passim. Egit etiam de Henoch Natal. Alex. (Act. 1. Diss. V.). De ambobus vero plura quoque habet Zaccaria (notis ad Aquilam *Dizionario della Bibbia.*

(1) *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* (Malach. IV. 5.)

(2) *Et interrogaverunt eum discipuli dicentes: quid ergo Scribae dicunt, quod Eliam oporteat primum venire ?* (Matth. XVII. 10.)

EXERCITATIO VII.

Quaenam fuerint ante Diluvium anni tempestates.

Autumant nonnulli homines ante Diluvium, constanti usos fuisse, eademque Coeli temperie, quod nulli tempestatum subjiceretur vicissitudini, ac diem et noctem pari intervallo divideret. Ajunt namque terram in prima sui formatione axem habuisse ad axem mundi parallelum, et directo semper motu sub aequatore gyrum suum confecisse. Iteratis autem concussionibus putant Diluvium fuisse efformatum, terram e loco suo dimotam, et inclinatam uti nunc est. Opinionem hanc tuetur prae aliis Burnetus Anglus (libro = *Archaeologiae philosophicae* Londini impresso anno 1572:). Eadem indicat Ignatius Molina (*Osservazioni sull' analogia dei tre regni*).

Probari vero potest aliquo pacto opinio hujusmodi ex Scriptura: 1.° Genesis (Cap. II. 5. 6.) *Et* (fecit) *omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terra. Sed fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae*, ubi Moyses describit homini innocenti paratam fuisse terram agricultura facilem, et imbres, ac pluvias prohibitas, unde deducitur verna tranquillitas, et serenitas perpetua. Scripturae verba perspicua magis fient, si, uti in hebraeo sunt legantur: *Quando creavit Deus coelum et terram, nondum omne virgultum agri erat in terra, necdum omnis herba oriebatur: quia non pluebat Dominus super terram, et homo non erat ad colendam terram. Sed vapor ascendebat de terra, et irrigabat universam faciem terrae.* 2.° Promittitur a Deo (1) Iris tamquam pignus promissionis illius non mittendi amplius diluvium. Iam vero pignus illud res nova esse debebat. Ergo prius aquae non manabant, ex quo perpetuum tempestatum aequilibrium consequebatur. 3.° Moyses agit de temporibus post diluvium, tamquam de re nova; dicit enim: *Cunctis diebus terrae, sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et*

(1) *Statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis Diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram.*

Dixitque Deus : hoc est signum foederis quod do inter me, et vos, et ad omnem animam viventem, quae est vobiscum in generationes sempiternas.

Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me, et inter terram. (Gen. IX. 11. 12. 13.).

dies non requiescent. (Gen. VIII. 22.). In opinionis hujus confirmationem adducuntur, quae profani Scriptores, Poetae praesertim de aurea narrant aetate, quaeque ab his de laeto coelo, de aeris temperie, ac tandem de pingui telluris ubertate referuntur. Communissima tamen, ac mente nostra solidior est opposita sententia, juxta quam asserimus, tempestates, earumque adjuncta, ut pluvias, imbres etc. ante diluvium prout nunc, saltem quod ad substantiam fuisse; non enim ambigimus diluvii, ac terraemotuum ruinas aliquantulum ad caeli temperiem, terraeque statum perturbandum valuisse.

Haec sententia 1.° probatur, ut ajunt, positive, argumentis scilicet, quae illam directe evincunt; negative postea, rationum nempe adversariorum confutatione. Genesi enim (I. 14.) verba haec leguntur a Deo prolata: *fiant luminaria in firmamento Coeli, et dividant diem ac noctem et sint in signa et tempora et dies et annos.* Ergo vel a Mundi exordio illa esse et distingui debebant. Deinde Moyses primis Genesis capitibus creatione rerum depingens, ipse maria, flumina, vapores describit. Cur ergo existere non debebant pluvia, iris, imbres, et alia, quae ex illis naturaliter consequuntur, quaeque in tempestatum varietatem quam maxime influunt? Parva haec quidem prima fronte videntur esse argumenta, sed majora fient, si notetur nulli satis firmo fundamento contrariam sententiam inniti, quod in rebus praesertim facti plurimum valet, quodque adversariorum rationes exponendo ostenditur.

Primus namque Scripturae locus, quem proferunt, hoc unum evincit, primos terrae fructus non fuisse agriculturae, et pluviarum effectum, sed Dei tantum ope et prodiisse et crevisse. Secundus indicat iridem, quae antea solum imbrem referebat, datam fuisse a Deo pro pignore promissionis suae, eo fere modo, quo inertes antea lapides, ut ait Calmet, statuti sunt in monumentum foederis Iacobum inter et Labanum. Tertius probat tempestatum vicissitudines non amplius perturbandas uti diluvii tempore contigit. Caeterum probaret etiam neque diem primo fuisse a nocte distinctam contra ac illud: *factum est vespere et mane dies* etc. (Gen. I.). Remanent ergo solum pro opinionis hujus fulcimento, quae sunt Poetarum somnia.

Obiter noto incertum esse an Hebraei quatuor anni tempora, ut nunc fit, distinguerent, an solum tria, uti Aegyptii et Graeci, qui admittebant tantummodo, ver, aestatem, et hiemem; an potius duo juxta Psalm. LXXIII. 18. *Aestatem et ver tu plasmasti ea.* Vide de hoc Calmet (*in Gen. VIII.* 22.) Aliqui existimant Gen. VIII. 22. indicari sex varietates anni sub caelo orientali, quae in lingua adhucdum Arabica celebres

sunt nempe 1. *Messis*, 2. *Tempus fructuum* sive *Aestus*, 3. *Aestas*, 4. *Sementis*, 5. *Hyems*, 6. *Frigus*. Prima a dimidio Aprilis usque ad dimidium Iunii protenditur; et reliquae binos pariter menses complectuntur, atque annum explent.

EXERCITATIO VIII.

An Antidiluvianorum anni fuerint menstrui.

Mos hujusmodi supputandi annos per mensium cursum, sive accipiendi mensem pro integro anno, viguisse olim apud Aegyptios aliqui conjectando opinati sunt, ut immensum scilicet annorum numerum, quem Aegyptii, aliique populi jactabant, explicarent (*Diodorus Siculus I.* 26, *Plutarchus in Numa pag.* 72, *Plinius H. N. VII.* 48.). Ita autem a nonnullis anni, quos Scriptura Patriarchis assignat sumpti sunt; de qua re legendus est Augustinus (*de Civ. Dei l.* 15. *c.* 12.). At vero cum Augustino ipso, aliisque Patribus conveniunt plerique communissime, falsum id esse omnino, annosque veterum, ut nostros, in Genesi esse sumendos.

Id autem 1.° quia in illa hypotesi Cainan, qui genuit, annos natus 70.; Malalael et Henos, qui genuerunt annorum 65, genuissent annum agentes circiter 5. 2.° Moyses in narratione diluvii (Capp. VII. VIII.) describens annum sexcentesimum Noe, distinguit in eo menses, primum, secundum, usque ad decimum inclusive, et in mense septimo mentionem facit dierum 27. Imo calculo omnium inito, quae eo anno juxta intervalla a Moyse assignata contigerunt, pervenitur ad summam dierum p. m. 360., idest anni solaris, vel lunaris saltem. 3.° Moyses genealogiam describens filiorum Sem (*c.* 11.) illorum aetatem enumerat nunc 600, nunc 400, nunc 300 annorum. Hic procul dubio sumit annos uti sumpserat superius; sed si anni hic pro mensibus computarentur, brevissima fuisset eorum vita. Ita ex. gr. Abraham, cui 175 anni assignantur, fuisset revera annorum 15 circiter, et tamen eum dicit Scriptura *deficientem in senectute*, *provectae aetatis*, *plenum dierum*.

Sed quaeri possunt obiter nonnulla, ac 1.° Iudaei annis ne solaribus, an lunaribus utebantur? Resp. cum Petavio (*de doctr. temp. T.* 1. *lib.* 2. *c.* 27.) *aliquot ante Christum saeculis saltem lunarem observatum esse annum extra controversiam habetur: ante illud vero tempus, atque ex Moysis instituto, crediderim id esse factitatum, tametsi nihil ex Scripturis evinci posse videatur.* Ac notat ante haec verba Petavius, a-

pud Moysem occurrere quidem mentionem mensis, Paschae et similium, nusquam tamen Lunae, lunarisque mensis.

Ad tempus antediluvianum ascendendo putat a Lapide (*in Gen. VIII.* 14.) annos solares in usu fuisse apud omnes gentes. Hoc ut nimis incertum, et vix ullius utilitatis, ulterius inquirere ommittemus. Notamus solum, etiam tempore Legis Scriptae habitam fuisse semper rationem anni solaris, atque per intercalationem coaequatum fuisse lunarem annum cum solari, nam secus non potuissent Hebraei rite celebrare Pascha, scilicet mense novarum frugum. Lex nempe Mosaica Hebraeis annum et menses lunares reliquit; sacerdotes verò adstringens ut secunda die Paschatis maturum manipulum ad altare offerrent, normam eis praebuit lunares annos ad solares redigendi; si enim ultimo anni mense viderent segetem statuto tempore non fore maturam, coacti erant mensem intercalare, quod fere omni tertio anno accidebat.

Quaerunt 2.° undenam tam longa erat hominum vita? En variae caussae. Primaeva corporis hominum constitutio robustior, frugalitas, major terrae fructuum vigor, scientia Adae circa res physicas, et naturales posteris communicata; Caeli melior temperies; voluntas Dei ut citius homines multiplicarentur.

Quaerunt 3.° cur caelibes tamdiu vivebant Patriarchae, nam Seth ex. gr. genuit annor. 105., Mathusalem annor. 187., sicque de aliis? Respondent aliqui eo tempore ex proportione longaevissimae aetatis, pubertatis annos tardiores fuisse. Sed verius dicitur non esse ibi descriptas genealogias per primogenitos, qui antea nati erant, sed per eos dumtaxat, per quos generationum series ducitur ad Noe; uti Matthaeus in Evang. generationes referens a David ad Christum, aliquas silet.

Prosequitur haec omnia Augustinus *de Civ. Dei lib.* 15. De his quoque Natal. Alex. *act. I. Diss.* 9.

EXERCITATIO IX.

Quaenam sit verior computatio annorum praecedentium Diluvium?

In numerandis hisce annis variant inter se se codices Hebraeorum praesertim, et τῶν Septuaginta. Nam ab Adamo ad diluvium videmus juxta textum hebraicum annorum summam esse 1656., secundum LXX. interpretes 2262. Circa quod discrimen non parvum, ut patet, quaestio instituitur quaenam computatio sit aliis praeferenda, an Hebraeorum, an potius alia Versionis τῶν LXX. utpote illa, quae peculiarem sibi vindicat auctoritatem.

Baronius (*Apparatu ad Ann. Eccl. num.* 118.) Morinus (*Exercit.* 7. *c.* 1.) aliique, quos Natal. Alex. citat, anteponunt omnibus calculum τῶν LXX. pluribus de caussis, ac praecipue quia 1.º antiquitus Ecclesia ex Augustino (*de Civ. Dei lib.* 15. *c.* 11.) annos supputare consuevit juxta LXX. 2.º Quia hunc calculum retinuerunt quoque acta Conciliorum ut in Sexta Synodo videre est, retinetque adhuc etiam Ecclesia in tabulis ecclesiasticis, uti ex. gr. in Martyrologio Romano 8. Kal. Ianuar. annum nativitatis Christi indicando sub anno 5199. 3.º Quia pluribus Patribus et Scriptoribus ecclesiasticis hujusmodi calculus probatur, ut citati auctores fuse ostendunt. His addi possunt quae pro Versionis τῶν LXX. auctoritate in *Institutionibus* dicta, atque exposita sunt.

Sed nos oppositam sequimur sententiam, hisce momentis permoti. 1.º Auctoritas et ratio Augustini, qui de hac quaestione loquens ait (*de Civ. Dei l.* 15. *c.* 13.) *cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrinque esse non potest verum, ei linguae potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* 2.º Nullus est prudens suspicandi locus codicem hebraicum quod ad hoc fuisse corruptum neque ante, neque post Versionem τῶν LXX. Non ante, nam neque LXX. tunc potuissent veritatem detegere, quod est contra adversarios; non post, nam fraudem, vel casum supponi vetant tot exemplaria in hebraeos multiplicata, ac dispersa, tantaque erga illa veneratio. 3.º Nullum discrimen inter hebraeos codices notatur; bene multa vero inter editiones τῶν LXX. juxta quas Mathusalem cum gigneret, nunc habet 187, nunc 167, nunc 165 ut alia ommittamus. 4.º Cum hebraicis Codicibus consentiunt Textus Samaritanus ex parte saltem, teste Hieronymo (*Quaest. in Genes.*), Paraphrases Onkelosi, et Syriaca, nec non Vulgata, unde eo minus metuimus Ecclesiae auctoritati quidquam detrahere, si hanc amplectamur sententiam. Ommittimus brevitatis gratia referre loca Hieronymi, Augustini, Bedae, ex quibus opinioni huic accedere pondus ostendit Natalis Alex. (conf. *L' Art de vérifier les dates, avant l' ère Chrét. p.* 77.)

Sed quaeres 1.º unde discrimen hoc inter hebraicum et LXX. sit ortum? Resp. varias caussas, ob quas chronologici veterum calculi incerti sint, ac varii, recenset Vallemont (*Elem. di Storia*). Fuerunt enim qui annos computando, mensium et dierum fractiones neglexerunt, ac numeris rotundis semper utebantur. Fuerunt quoque qui annos, Lunae cursu potius quam Solis enumerabant. Sed his, similibusque ommissis, quae valde difficulter ad rem nostram applicarentur, hypothesim afferemus Natalis Alex., et a Lapide, qui Augustinum citat; videlicet

corruptam fuisse in his Versionem τῶν LXX. hoc pacto. Cum Aegyptii, aliique tantam annorum hominum longinquitatem in Genesi descriptam deprehenderent, ne monstrum contra communem fidem viderentur admittere, aliquis fortasse, et inter Iudaeos quoque, illos annos ut menses accepit, qui olim in usu fuerunt apud Aegyptios, ut ex Plutarcho in Numa, Diodoro Siculo, et Plinio l. 7. Sed cum in hoc systemate aliqui genuissent ante pubertatem, ex industria his singulis additum esse spatium annorum 100. Et en augmentum, quod in calculo τῶν LXX. habetur. Revera solum in generationibus 1.ª, 2.ª, 3.ª, 4.ª, 5.ª, 6.ª, 7.ª, in quibus nempe annos pro mensibus recensendo nondum gignendi apparet facultas, notatur additio annorum in Versione τῶν LXX.

Quaeres 2.º cur Ecclesia utatur potius calculo τῶν LXX.? Respondet Malvenda (*de Antichri. l.* 5. *c.* 16.) illud tantum esse in causa, ut nempe vetus aliquod venerandae vetustatis servaretur monumentum, et ne in re non necessaria turbaretur communis fidelium consuetudo. Sciendum enim est primis Ecclesiae saeculis maximo apud eam fuisse usui Versionem τῶν LXX., ac proinde nil mirum si annorum computatio apud fideles coeperit juxta illam. Ergo Ecclesia hoc in errore connivit, non secus ac Kalendarium mutare noluit, nisi cum ursit necessitas, tempore scilicet Gregorii XIII. Non incongrue etiam notare possumus in primos Martyrologios praecipuam, ni unicam dicamus, Graecos operam contulisse, unde nil mirum si graeca chronologia introducta sit: quod quidem aptari potest etiam Graecis Synodis, quae eamdem supputandi rationem sequutae sunt.

Qui plura desiderat, adeat Natal. Alex. (*aetate* 1.ª *Diss.* 8.) Graveson (*de annis et mysteriis Christ. T.* 1. *Diss. V.*).

EXERCITATIO X.

An Arca Noe species omnes animalium, et eorum alimenta continere potuerit.

Veteres haeretici ab Origene confutati, quibus ultro subscribunt recentes increduli, ut fabulosam traducerent diluvii historiam, quae habetur Gen. VI. et VII., absurdum esse autumarunt, arcam longam 300 cubitis, latam 50, altam 30, singulas omnium animalium species continere potuisse, et eorum alimenta. Sed ut incredulis satisfaciamus, notamus in primis eam nobis esse Pentateuchi authenticitatem, ut si hac in re necesse foret miraculum asserere, id affirmare non dubitaremus; praesertim cum inter philosophos recentes haec vigeat

opinio posse corpora ad exiguum redigi spatium, ut ommissis aliis, in systemate Boscovichiano. Sed ne miraculum ultra necessitatem asseramus, animadvertimus quae sequuntur.

Origenes (*hom. 2. in Gen.*) quem alii secuti sunt, ait Scripturam non sumere hoc loco cubitum communem, et vulgarem, sed eum, qui cubitis sex communibus constaret, quod cubitorum genus geometricum appellat, quodque in usu fuisse affirmat apud Aegyptios, inter quos erat Moyses versatus; id autem se didicisse fatetur Origenes a viris hebraicarum traditionum peritis. In hac porro hypothesi arca quidem esset satis apta omnibus animalium speciebus continendis; sed immanis tunc esset illius vastitas, et ea inutilis. Deinde ex una parte probari non potest satis solide hujusmodi cubitorum genus in usu fuisse apud Aegyptios et Hebraeos; ex alia cum Moyses juxta vulgares mensuras communiter loquatur, hoc loco debuisset aliquam notare differentiam, cujus ne minimum apparet indicium. Iisdem ferme rationibus communiter rejicitur etiam illorum opinio, qui cubitos hic sumunt non vulgares, qui quinque constant palmis, sed sacros uno palmo longiores ut ex Ezechiele XL., et XLIII. 13., ubi dicitur: *in cubito verissimo, qui habebat cubitum, et palmum.*

Communior, planior ac sufficiens respondendi via haec est, ut ostendatur scilicet Arcam mensuris illis fabrefactam, quae a Scriptura indicantur, satis capacem fuisse earum rerum omnium, quae opus fuerant. Ut hoc ostendatur, haec adnotentur. 1.° Non omnium omnino animantium species collocandae erant in Arca: nam pisces in aqua servabantur; pleraque reptilia, uti et amphibia, saltem multa, satis diu in aquis vivere possunt; hibrides servari non indigebant, atque multa alia locum in sentina, vel carina navis habere potuissent. Deinde locus erat tantummodo dandus speciebus primariis, non subalternis, quae varietates potius ejusdem speciei, quam species diversae habendae sunt: ex. g. licet canes adeo inter se dissimiles sint, unicam tamen speciem habent primariam, ex qua aliae subalternae seu potius varietates derivant. Licet porro valde difficile sit certo numero definire primarias animalium species praesertim ob novas historicorum naturalium observationes, attamen juxta peritos ad numerum haud valde magnum eae reduci possunt.

2.° Verba illa, quae in Scriptura leguntur *tolle septena et septena* de animalibus mundis, *duo et duo* de immundis non ita esse cum Origene, aliisque explicanda ut 14. ex illis essent, 4. ex his; sed ita, ut de primis septem, de secundis duo sumenda essent: eo fere modo, quo bini et bini missi dicuntur in Evangelio discipuli Domini. Id autem voluit Deus,

ut non solum species conservarentur, sed e mundis animalia tum ad sacrificia, tum etiam ad usum hominis statim post diluvium suppeterent.

3.° Mensuris inhaerendo a Scriptura indigitatis, habuisset Arca cubitorum cubicorum spatium 450,000. Porro ex illis verbis *deorsum caenacula et tristega facies* colligitur Arcam fuisse divisam in tria tabulata, quorum inferius terrestria bruta probabiliter capiebat: medium pabula; superius volatilia, et familiam Noe. Singula autem erant alta 10. cubitos sive 15. pedes, cum quilibet cubitus constet uno pede cum dimidio.

4.° Relate ad escas ait Augustinus (*l.* 15. *de Civ. Dei c.* 27.) *quid mirum, si vir ille sapiens, et justus etiam divinitus admonitus quid cuique congrueret sine carnibus aptam cuique generi alimoniam praeparavit, et recondidit? quid est autem quo vesci non cogeret fames? aut quid non suave, aut salubre facere posset Deus?* Caeterum datis etiam pro cibo ipsis carnibus, facta omnium supputatione concludunt suffecisse in escam unius anni oves 3650.

5.° Haec omnia bene perpensa difficultatem imminuunt; perfecte vero eadem auferetur, si accurate supputatis speciebus magnitudine tum animalium, tum alimentorum, tum arcae amplitudinis observetur locum fuisse satis aptum speciebus omnibus animalium, nec non eorum escis continendis. Calculum hunc satis implicatum habes apud Calmet (*comm. in haec loca*). Legi quoque poterit dissertatio de hac re Natal. Alex. (*aetate* 1.ª *diss.* 10.), Nicolai (*Lez. XLI.*).

EXERCITATIO XI.

An Diluvium universale rationi adversetur.

Neminem latet diluvium universale, quod Scriptura narrat temporibus Noe contigisse, incredulorum sophismatibus appeti, nullumque ipsos non movere lapidem, ut factum illud fabulis amandent, tamquam rem naturae repugnantem, ut inde veritas Geneseos, ac totius Scripturae corruat. Eorum argumenta, ac solutionem breviter recensebimus, quod antequam fiat

Notandum est 1.° universale extitisse diluvium, veritatem esse certissimam, quod in primis ex litterali, ac simplici narratione Moysis (*Gen. VII.*) constat, et etiam (*cap. VII.*) ubi idem Moyses omnes Mundi populos e Noe prognatos ostendit. Petrus etiam (*Epistola III.*) comparat universale diluvium postremae Mundi conflagrationi, quae quidem erit universalis. Deinde mirus est Iudaeorum, ac Chistianorum consensus in cre-

dendo diluvio, imo vox est penes omnes nationes diffusa, ac pervulgatissima. Legantur Ioseph (*Antiquit. l. I. c.* 5.) Nat. Alex. (*Hist. V. T. aet. I. Art.* 4.) et Du-Clot (*Osservazioni preliminari, et Nota* 32 *in VI. et VII. Genesis*): adeo ut immensa congeri posset series in hac re testimoniorum ex historiis, poetis, ac Accademiis, quas citat Calmet (*comm. in VII. Gen.*). Legatur etiam apud *Annales de Philos. Chrét.* (T. 5. num. 28. 20. Octobr.) articulus: *Traditions Orientales sur la création, le deluge etc.* nec non ibidem (num. 25. 31. Juillet) articulus alter: *Les déluges d' Ogygès et de Deucalion sont-ils des événemens réels, et particuliers ou des traditions alterées du deluge universel? Par M. G. Cuvier.* Conf. *Memorie di Religione T. XVIII. p.* 146. *seq.* et *Mabillon Ouvrages posthumes T. II. p.* 59 64.).

Notandum est 2.° ex eo quod nullum supersit nobis monumentum diluvii tempore antiquius; ex eo etiam quod varia ac inordinata montium plurimorum sit conformatio, et terrae strata appareant, et animalia multa aquas incolentia, nec non multa alia corpora marina in visceribus terrae, ac montium identidem reperiantur, ex eo, inquam, quod haec omnia nullo fere modo explicari possint juxta eorum systemata, qui diluvium negant, commodissime vere id praestetur posita universali illa inundatione, validissimum sane argumentum pro hujusce rei veritate colligere est, quam et Scriptura testatur, et omnis traditio confirmat. Conf. *Cuvier, Discours sur les révol. de la surf. du globe p.* 282.).

Notandum est 3.° diluvium universale vel ex ipsa Moysis narratione tamquam miraculum habendum, unde immerito contra illud objicitur quidquid solum juxta physicas leges vim habet. Deus enim, qui hominibus delendis diluvium immisit, leges physicas subditas habet. Miracula porro etsi adstruere non debeamus absque necessitate, eadem tamen negare sine temeritate non possumus. Opportune itaque monet Chrysostomus (*homil. in Gen.* 26. *num.* 4.) *ne igitur nos curiosius exploremus quomodo, sed tantum credamus: nempe jussit, et exaltata est abyssus: praecepit, et iterum suum continuit impetum, et ad proprium concessit locum, quem solus ipse Dominus scit, qui condidit.*

Hisce tamquam fundamentis praejactis ad adversariorum argumenta, ne dicteria dicas, deveniamus. Ita enim arguunt.

1.° Arca non satis erat omnibus animantium speciebus servandis. Huic autem pro viribus satisfecimus superiori de *Arca Noe exercitatione.*

2.° Calculo inito aquarum, quae in Mundo sunt, non apparet unde illarum tanta copia conflata sit, quanta necessaria

foret, ut aquae montium altissimorum cacumina 15. cubitis excederent juxta Moysem, nec quonam post diluvium se se receperint. Resp. non deesse magni nominis mathematicos, ac physicos, qui calculum et ipsi ineuntes sat copiae aquarum reperiunt in abysso maris, glacierum solutione, antris subterraneis, nubibus aliisque condensatis vaporibus. Lege Du-Clot (*citata nota*) ac Nicolai (*Gen. Lez. 46. et 47.*), qui plura referunt probabilia systemata. Sed licet aquae creatae non suffecissent omnino, Deus omnipotens, cui praesto sunt omnia, vel novas creare, vel creata multiplicare, et ad nihilum redigere potuisset. Insuper aquae ab initio creationis mundi universam terram operiebant (Gen. I. 9.). Obiter hic notamus montes, quos ait Scriptura 15. cubitis fuisse ab aquis superatos, dici quidem *excelsos*, at non dici omnium altissimos.

3.º Illud est, dicunt, aquae, ut cujuslibet rei materialis ingenium, ut proprio infra trahatur pondere, eademque e mare, aut aliis receptaculis erumpere non possit. At praeter alias, quae Deo suppetunt, rationes, quaeque nos latent, cur ipse non potuerit tunc temporis aquas praeter consuetudinem movere eo fere modo, quo maris accessus, et recessus nunc quotidie fiunt? Sunt etiam, qui aquas e sinu suo tunc dimotas fuisse arbitrentur extraordinariis concussionibus, quibus adscribunt inclinationem axis terrae ad lineam eclipticam, quam opinionem pluribus probat Burnetus (*Archaeologiae philosophicae*) et Molina laudat (*Opuscolo = Osservazioni sull' analogia de' tre regni*). Procul dubio cum primo conditus est mundus, aquae dispersae erant per universam terram, et postea sunt in mare collectae. Quid prohibet Deum, ut diluvium immitteret, ad pristinum Chaos statum aquas revocasse?

4.º Regerunt illas Sacrorum Bibliorum phrases *abyssi ruptae*, et *cataractarum*, quae sunt *apertae*, quae omnia, ajunt, quid sint, intelligi nequeunt. At non longe a veritate aberrant interpretes intelligentes pro *abysso* mare, aut interiora alia receptacula; et *cataractas apertas* pro quodam loquendi modo, ac si dicerentur nubes omnes solutae, et caelum, quod etiam apud nos obtinuit, apertum (v. *Hieronymum in Epist. ad Ephes. V.* 12.). Nec desunt, qui velint Moysen vulgaribus quibusdam oponionibus in hoc indulsisse, atque ex. gr. ut diluvium vividius exprimeret, abyssum nominavisse, quam Hebraei immensum quoddam pelagus credebant, in quo mundus veluti nataret, juxta Platonem *in Phaedro*.

5.º Quomodo, ajunt, columba invenire potuit ramum olivae, quomodo semina in tanta aquarum colluvie terram tot menses circumeuntium, conservari potuerunt? Resp. non ubique terrarum aquas per numerum mensium aequalem solo superfuis-

se; deinde maris salsedinem a multarum aquarum dulcedine fuisse temperatam; praeterea docere ipsum Buffon (*Teor. della terra*) in profundo maris vel integras sylvas enasci, ac vegetari: Plinium tandem asserere plantas sub aquis marinis bene conservari. De hujusmodi phaenomenis multa quoque invenies utilissima apud De Luc. (*Lettres Physiq. T. V. p.* 655. *ect.*

6.° Ajunt, omnibus tum phenomenis physicis, tum monumentis historicis satisfacit diluvii particularis admissio. Sed reponimus Scripturam diserte adstruere diluvium universale. Deinde si diluvium particulare tantum fuisset, cur arcam construere? Nonne potuisset Noe cum familia ita salvari, ut Loth cum suis, in aliam nempe regionem migrando ab excidio incolumem? Praeterea quomodo aquae ita contineri potuerunt, ut in aliqua solum parte, veluti in transitu maris rubri, tam multae conglomeratae sint, quin tamen per naturales gravitatis, et aequilibrii leges in alia excurrerint loca? Hinc patet, incredulis aut miraculum universalis diluvii admittendum, aut alia prodigia astruenda sine caussa.

7.° Petunt increduli cur hactenus inventum non sit cadaver, vel pars saltem humani corporis, quae diluvio testimonium praebeat? Resp. 1.° argumentum negativum vim eorum non infirmare, quae adduximus, quaeque positiva sunt, ac luculentissima. Ossa quaedam fuisse e montium visceribus effossa, ac humana habita, licet grandiora viderentur. Aliqua citat Ranzanius noster Cl. (*Elem di Zoologia T.* 1. *Dei Mammiferi*) detecta Kostriz in Saxonia, et in Guadalupa ann. 1821. Recentius etiam in antris quibusdam Galliae meridionalis a Tournal filio, aliisque inventa sunt ossa hominum, ossibus Elephantium commixta, aliorumque animalium. Quae Cl. Marcelle de Serres fossilia (1) vere judicavit. De hujusmodi fossilibus pluribus locis fit sermo apud Ephemerides: *Annales de Philosophie Chré-*

(1) Quaerenti mihi a Cl. Ranzanio nostro quid intelligendum nomine *fossilium*, respondit: *Fossili diconsi quei corpi organici, i quali rimasero sepolti all' occasione di una catastrofe, che cangiasse generalmente lo stato del globo. E siccome non si può muover dubbio che le ossa di elefanti, rinoceronti ecc. siano fossili, e queste nelle caverne della Francia meridionale sono frammiste a quelle dell' uomo; dunque anche le ossa umane ivi esistenti sono fossili, e cioè depositate ivi in quella medesima circostanza ed epoca, in cui ebbe luogo il sotterramento delle ossa degli anzidetti bruti. Se poi si rifletta, che oltre le ossa umane sono stati trovati in quelle grotte medesime lavori fatti senza dubbio per mano dell' uomo, come sono pezzi di majolica ecc. è manifesto che in quell' epoca l' uomo era civilizzato, ed avea già messo a profitto la sua ragione pel ritrovamento di quelle arti, ond' egli provede ai bisogni, ed ai comodi della vita.*

tienne, *Récueil Périodique*, *Paris*; scilicet *T.* 2. *num.* 9. 31. *Mars; T.* 3. *num.* 18. 31. *Décembre.*

EXERCITATIO XII.

Quid de Turri Babelica?

Recentes increduli cum Celso et Iuliano inter veteres uti fabulosum traducunt quidquid de turri illa Gen. XI. narratur, idque levissimis rationibus, quas, quaesitis aliquot propositis, solvemus. Itaque

Quaeritur 1.º Quisnam auctor fuerit turris condendae? Communior opinio fert auctorem fuisse Nembrot. Quod adduci solet pro Belo, Semiramide, et Nabuchodonosor, explicari potest de auctoribus, qui turrim, aut verius urbem Babylonis amplificaverunt, vel ornarunt. Constat enim, ait Calmet, solemne fuisse apud orientales conditae urbis vel molis honorem ejus reparatori, vel qui ornandum illud, augendumque suscepissent, tribuere. Et revera ait Nabuchodonosor: *Nonne est haec Babylon magna*, *quam ego aedificavi* etc. et tamen urbs Babylonis jam antea florebat.

2.º Quodnam Caelum, petit Voltaire, contingere contendebant, qui turrim aedificarunt? Resp. Hyperbolica locutio est ad ingentem altitudinem indicandam, uti fere Tullius ait (*Orat. pro Dom.*) *ad caelum extruxit villam.*

3.º Quonam praecise tempore turris aedificata fuit? Resp. Creditur anno mundi p. m. 1770. Et revera post diluvium spatium notabile intercessisse arbitrandum est, ut tot homines, qui tempore turris aderant, multiplicari potuissent.

4.º Quanto tempore stetit? Resp. destructam eam a Persis fuisse autumant eo intervallo, quod fluxit Herodotum inter et Alexandrum magnum (v. *Herodot. I.* 181., *Diodor. II.* 9. etc.). Nam stabat turris Herodoti aetate, quod ex Plinio etiam deducitur. Post vero Alexandrum nihil satis certe de ea constat.

5.º Quibusnam argumentis hactenus allata probari possint? Ut ommittamus viatorum relationes, confirmantur illa veterum probatissimorum auctorum testimoniis, validisque conjecturis, quae omnia docet Calmet eruditissima *Dissert. in Pent. De turri Babelica.*

EXERCITATIO XIII.

Quid de Uxore Loth in salem conversa?

De statua salis uxoris Loth, cujus historia describitur Gen. XIX. 26. (1) opportune quaeri potest: 1.° an historia illa litteraliter sit explicanda? Resp. Fuerunt qui metaphorice id sumpserunt, nempe pro monumento quodam posito in perpetuum mansuro, uti in Scriptura pactum inviolabile dicitur: *pactum salis* (*N. XVIII.* 19.). Sed nulla ratio sufficiens apparet recedendi a litterali sensu, cui etiam adhaeserunt communissime et Patres et Interpretes.

2.° An anima simul cum corpore conversa fuerit in salem? Resp. Licet per synecdochen dicatur conversa uxor Loth, tamen anima utpote spiritualis nullam passa est conversionem.

3.° Cujusnam speciei fuerit sal ille? Resp. Vocem hebraicam מֶלַח *mèlach* juxta quosdam significare nedum communem salem, sed quidquid ad comburendum aptum est, uti sulphur, et bitumen; verum in quamnam praecise materiam sit conversa disputatur. Quid, ait Veith, *si in lapidis morem indurata* illa sit, id est in salem lapideum, cujus mentionem faciunt Plinius, Aulus Gellius, Olaus, aliique?

4.° Quid de salute aeterna uxoris Loth sperandum? Resp. Anima quidem incredula appellatur uxor Loth Sap. X. 7. (2); at non improbabiliter ob levitatem, et curiositatem, culpa ejus venialis tantum a multis censetur, atque ipsa idcirco in hac vita satis punita.

5.° Quanto tempore stetit? Resp. Hoc, ut alia sexcenta, tum propter argumentorum defectum, tum etiam ob conjecturarum, ac relationum, quas viatores exhibent, varietatem, inter incerta est collocandum.

EXERCITATIO XIV.

Quid de gregibus Iacob?

Cum multos annos Iacob Labano in Mesopotamia serviisset, petiit ab eo operis sui mercedem, hancque sive pro praeterita, ut plures existimant, sive pro servitute futuri temporis juxta illa Iacobi verba (Gen. XXX. 31.): *Iterum pascam et*

(1) *Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.*

(2) *Quibus in testimonium nequitiae fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores: et incredibilis animae memoria stans figmentum salis.*

custodiam pecora tua, ut vult Menochius. Haec merces, utroque annuente, in hoc est constituta, ut quae ex ovibus, et capris diversi coloris nascerentur cederent Iacob. Hic porro virgas variegatas ovibus et capris in canalibus bibituris objiciens, ultra modum fecit crescere gregem item variegatum; sicque invidente Labano, Iacob praeter spem est ditatus. Narrantur omnia fuse Gen. XXX. XXXI.

Quaeritur 1.° an juste Iacob arte illa usus sit: 2.° an medium illud ad diversitatem coloris producendam fuerit naturale?

Quod ad primum vulgo conceditur industriam illam per se injustam esse, utpote fraudem contra fidem contractus, qui de faetibus naturaliter, et casu nascituris intelligendus erat. Sed Iacob multa, eaque gravissima excusant. Ac primum injuriam Iacob intulit Laban, dum oves unius coloris separaverit (XXX. 35.) ut plures ex hisce, quae sibi debebantur nascerentur. Praeterea alias injurias, et damna a Labano passus est Iacob, cum pro Rachele coactus est sumere Liam uxorem; cum viginti annos dure pro mercede adlaboraverit, cum Laban decies mutaverit conditiones contractus de pecoribus, quod aliqui numerice sumunt pro totidem mutationibus; alii pro *saepe*, alii pro 10 minis, ita damnum indicando illatum. Qui postremi Versione τῶν LXX. legendum putant μνῶν. Hebr. מֹנִים *Monim*, radix esse potest etiam *minae*. Vid. Calmet *in Gen. XXXI.* Haec omnia simul sumpta videntur titulus sufficiens Iacobo ad compensationem, quam inutiliter expetiisset vel a duro Labano, vel a judicibus extraneis.

Sed omnem dubitationem auferre videtur quod Iacobo est revelatum per Angelum (XXXI. 12. 13.) his verbis: *Leva oculos tuos, et vide universos masculos ascendentes super faeminas varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia, quae fecit tibi Laban. Ego sum Deus etc.*; quapropter de gregibus Laban relate ad Iacob illud dicendum est, quod de vasibus Aegyptiorum relate ad Hebraeos colligitur Exod. XII. Hac postrema ratione tantum putat Calmet Iacob excusandum: nam ait nihil promisisse Laban Iacobo praeter uxores, nihil debuisse nisi ad summum post obitum titulo haereditatis, neque privatis licere injurias vindicare.

Quod ad secundum quaesitum multi, quos citant et ex parte sequuntur Calmet, et a Lapide, nedum philosophi e veteribus, sed et Theologi, et Patres vim quamdam naturalem in illis Iacobi virgis agnoscunt, quam alii ita explicant, ut nempe virgae illae tribuerent aquae, quam pecora bibebant, vim gignendi maculas; alii plures ut vim in concipientium phantasias facerent, ut ea, quae tunc oculis viderent in factis exprimerent,

quod de multis tum brutorum, tum hominum quoque maculis creditur. Hanc vim naturae denegare nefas ducit Bened. XIV. (*de Beatif. Serv. Dei lib. 4. p. 1. cap. ult. paragr. 17.*). Haec tamen phantasiae vis ad efformandas in foetibus maculas a philosophis multis e recentioribus rejicitur, qui illas incertis casibus attribuunt, potiusquam vi inexplicabili, quae, ajunt, solum est ad naturales defectus quodammodo tegendos, ornandosque excogitata. Nicolai (*Lez. Genes. 83.*) animadvertit praeterea nullibi hanc artem adhiberi, ut lana, ac foetus ita uti homines optarent nascantur: deide etsi aliqui foetus hoc artificiali modo enasci possent, tamen incredibile fere est tot posse, quot de gregibus Iacobi narratur.

Nos, quaestione philosophis relicta, animadvertimus quod Cap. XXXI. legimus de visione, quam habuit Iacobus per Angelum, in qua, promisso Dei auxilio, videtur saltem hujusmodi industria indicata fuisse: id quod clarius exprimitur in textu Samaritano. Animadvertimus etiam Iacobum ipsum ibidem omnia referre Deo accepta, cui ille cordi erat. Unde concludimus satis nobis suppetere argumenta ad miraculum asserendum si opus est. Sed si sermo cum illis esset, qui naturalem illam vim in imaginatione concipientium concedere non renuunt, dicemus Deum gratia sua novae illi sed naturali pecoribus multiplicandis rationi benedixisse ullo sine miraculo, quod non est praeter necessitatem asserendum.

EXERCITATIO XV.

An credibile sit Balaam asinam locutam esse? Num. XXII. 28.

Vaha! inquiunt multi increduli cum Voltaire, tales eventus apud poetas solum reperies, et in divinis libris. Verum quidem est aliquos e veteribus, uti Maimonides apud Grotium, colloquium Balaam cum asina per mentalem immaginationem explicasse, quod idem ostendimus Exercitatione alia, nunnullos autumasse de colloquio Hevae cum serpente. Verum praeterea est Gregorium Nyssenum in vita Moysis retulisse colloquium idem tamquam vaticinum, quod Balaam ex naturali asinae ruditu desumpsit. Vide Calmet. At indubium est communissime a Patribus et Interpretibus historiam illam litteraliter accipi, idque jure ac merito: nam 1.° nihil hic obstat regulae illi generali, qua jubemur sensum litteralem sumere, in historicis praesertim Sacrae Scripturae narrationibus.

2.° Petrus (2. Epist. II. 16.) litteralem sensum adstruit,

et diserte ait: *subjugale mutum animal hominis voce loquens, prohibuit Prophetae insipientiam.*

Sed locutio, ajunt, in brutis repugnat. Locutio, reponimus, propria et rationalis, non inficiamur: locutio vero materialis edita per vocis sonum ex aere efformatum, virtutis alicujus potentioris ope, id negamus. Equidem plura suppetunt vocum exempla, quas daemon edit in idolis, et ventriloquis, quaeque insuper per aera exauditae sunt. Hujusmodi exemplum pariter habemus in psittacis, picis, aliisque, quae Calmet praesertim cit. loco exponit.

Obstupescere debuisset Balaam, urgent, si asinam vere loquentem audivisset. Respondemus Balaam vel non obstupuisse utpote ariolum et necromantiam edoctum; vel si hoc malunt, obstupuisse quidem, quin tamen Scriptura hoc expresse testetur. Vide Veith. et Du-Clot in haec loca.

EXERCITATIO XVI.

An Balaam fuerit Propheta Dei?

In sententiarum discrimine referimus, quae hinc inde proponi solent, historiam Balaam praetermittentes, quae legitur Numer. XXII. et seqq.

Sunt aliqui, inter quos Tostatus, qui Balaam verum Dei prophetam opinantur, licet moribus et vita nequissimum: nam 1.° Dei afflatu eximia oracula pronunciavit: 2.° consuluit Deum, eumque suum Dominum appellavit (1). 3.° Dominus apparuit illi primo vetans, inde permittens ut ad Balac pergeret, et Angelus Domini se se illi offert, alloquitur et mandata imponit: 4.° nomen arioli, juxta Hebraeorum opinionem, teste Hieronymo, Deus tantum dedit Balaam, cum is avaritia captus est. Hebraei quoque putant Balaam fuisse illum Ieu, qui cum Sancto Iob familiaritate devinctus erat. Nec desunt exempla prophetarum veri Dei inter Gentiles, uti de Sibyllis constat ex August., et inter malos homines, uti de Saule.

Communius tamen est inter Patres, et Commentatores opposita de Balaamo sententia, quam ex his colligunt. 1.° Scri-

(1) *Veni igitur, et maledic populo huic, quia fortior me est: si quo modo possum percutere et ejicere eum de terra mea, novi enim quod benedictus sit cui benedixeris, et maledictus in quem maledicta congesseris* (Num. XXII. 6.). *Ille respondit: manete hic nocte, et respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, et ait ad eum etc.* (Ibid. 8.). *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, et auri non potero immutare verbum Domini Dei mei etc.* (Ibid. 18.).

ptura eum vocat *ariolum* (1). 2.° Ascendit loca excelsa Idolis addicta, captans auguria diaboli (2). 3.° De eo ita loquitur semper Scriptura tamquam de homine scelestissimo, quod etiam testatur Petrus (3) et Iudas (4). 4.° Ex scandalo fornicationis et idololatria Beelphegor (5).

Hinc cum Theodoreto (*Quaestionibus in Numeros*) notant ipsum non consuluisse verum Deum, qui licet inconsultus voluit tamen per Balaam loqui, per illum, inquam, invitum et repugnantem, et Israeli potius maledicere cupientem; idque fecit Deus ut major sibi cederet gloria, majorque idololatris confusio, nec non Haebraeis salus. Notant etiam Ieu amicum Iob (6), ex Iob. et LXX. fuisse Idumaeum; Balaam ex Mesopotamia (7).

Vide Nat. Alex. *aetate 4. Diss. 7. prop. 2.*

EXERCITATIO XVII.

Quid de animalibus mundis, immundisve?

Inter praecepta Mosaicae legis illud reperitur, quod abstinerent Iudaei a quibusdam animalibus, quae aut comedi, aut ne tangi quidem possent absque legali macula. Immunda haec, caetera munda sunt dicta. Omnia, quae huc spectant narrantur Lev. XI. ex quibus generatim adnotamus.

1.° Ex animalibus terrestribus solum ea sunt munda, quae ungulam habent divisam, et etiam ruminant. 2.° Ex piscibus, qui pinnulas habent et squamas. 3.° Ex avibus viginti species, quae ibidem designantur. 4.° Reptilia omnia immunda, iis exceptis, quae, ut locustae, praeter alas et quatuor pedes, simul habent duo longiora crura, quibus saliunt.

Quaeritur 1.° an discrimen inter munda, immundaque animalia simul cum mosaica lege inceperit? Resp. juxta nonnullorum sententiam cum mundo ipso coeptum. Evincitur hoc

(1) *Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filii Israel gladio etc.* (Ios. XIII. 22.).

(2) *Mane autem facto duxit eum ad excelsa Baal, et intuitus est extremam partem populi* (Num. XXII. 41.).

(3) *Derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit.* (2. Petr. II. 15.).

(4) *Vae illis, quia in via Cain abierunt et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt* (Iudas 11.).

(5) *Initiatusque est Israel Beelphegor, et iratus est Dominus.* (Num. XXV. 3.)

(6) *Respondensque Eliu filius Barachel Buzites etc.* (Iob. XXXII. 6.).

(7) . . . *conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriae etc.* (Deut. XXIII. 4.).

ex eo quod Deus ipse (1) discrimen aliquod induxit inter cibos, praecipiens ne arbor scientiae tangeretur: et ex eo quod Deus Noemo mandaverit (2) ut certum numerum animalium mundorum in arca collocaret. Confirmatur etiam ex consuetudine Aegyptiorum, cum et ipsi ab aliquibus cibis abstinerent, ut testatur Herodotus (*lib.* 2.) et colligi videtur etiam ex Genesi (3), ubi illicitum Aegyptiis fuisse dicitur simul cum Hebraeis comedere. Quod explicant multi animadvertentes, oves, vitulos, boves, quibus tamquam mundis vescebantur Hebraei, numina Aegyptiorum fuisse, et proinde pro cibo inservire iis non potuisse. Iuxta hos Moyses solum explicavit, et fortassis legem Dei veterem amplificavit.

Quaeritur 2.° qua de caussa haec lex inducta sit? Resp. Caussa indigitari videtur a Deo ipso (Lev. XI. 4. 5.)... *Sancti eritis, quia ego sanctus sum:* (XX. 24. etc.) *Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a ceteris populis: separate ergo et vos jumentum mundum ab immundo, et avem mundam ab immunda, ne polluatis animas vestras . . . eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a ceteris populis ut essetis mei.* Hisce tamquam fundamentis praejactis, solent interpretes tamquam caussas hujus discriminis a Deo statuti has assignare. 1.ª Ut populus jugiter occasionem exercendi actus temperantiae, obedientiae et religionis haberet· 2.ª Immundorum naturam, quae, Physica duce, vel est venosa, ut de plurimis reptilibus docent, vel saltem noxia hominum valetudini, ut pisces hic vetiti, ut caro suilla etc., aut impura vulgari hominum sensu, et opinione, cui aliquid divinum legislatorem indulsisse in illo ciborum delectu censent aliqui. Hinc nonnulla vetantur, quae naturaliter omnes respuimus, ut mustela, mus etc. 3.° Nonnulli Patres mysticam assignant caussam, ut nempe homines a vitiis caverent, quae per eadem immunda animalia designantur: ex. gr. gula per suem, incontinentia per leporem etc. 4.ª Dant quoque nonnulli aliam rationem ex eo deductam quod Deus vellet populum suum ab idololatria, et idololatris remotum, cum hi quaedam animalia, quae juxta Scripturam immunda sunt, idolis immolarent; alia

(1) *De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.* (Gen. II. 17.)

(2) *Ex omnibus animantibus mundi tolle septena, masculum et foeminam; de animantibus vero immundis duo et duo, masculum et foeminam.* (Gen. VII. 2.).

(3) *Quibus appositis, scorsum Ioseph, et scorsum fratribus, Aegyptiis quoque, qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Aegyptiis comedere cum Hebraeis, et profanum putant hujuscemodi convivium).* (Gen. XLIII. 32.).

ex iis, quae sunt munda, non comederent, eadem colentes ut Deos. Qui plura de his desiderat, adeat Natalem Alex. *hist. V. T. aet. 4. Diss. III. Art. V. § 2.*

Quaeritur 3. quid praecise prohibebatur, inducebatque legalem immunditiam in his animalibus? Resp. 1.º Prohibitum fuisse illa edere. 2.º Tangere eorum cadavera; viva tamen haudquaquam, imo apud Hebraeos familiaris erat camelorum, equorum, asinorumque usus. 3.º Reptilia vero ne viva quidem tangere, quia peculiarem iis inesse immunditiam arbitrabantur. Ita Levit. XI.

EXERCITATIO XVIII.

An Polygamia et Repudium licuerint?

Nomine *polygamiae* antonomastice intelligitur pluralitas simultanea uxorum. Successiva enim semper licuit. Pluralitas vero virorum unius foeminae, sive *polyandria* numquam licere potest, ut videbimus. Dictum est autem *antonomastice*, nam Polygamia vox graeca est e πολὺς *multus*, *numerosus*, et γάμος *nuptiae*, *connubium*: quare aeque significare potest connubium unius viri cum multis simul uxoribus, et unius uxoris cum multis simul viris. Nomine vero repudii non intelligimus thori divortium, sed vinculi matrimonialis solutionem.

Sunt qui accusant Legem veterem eo quod ipsa res malas, uti polygamiam, ac repudium, approbaverit. Sunt qui ex adverso argumentum inde sumunt, ut indissolubilitatem matrimonii in Lege nova oppugnent. Praestat igitur ostendere quomodo illa tunc licuerint absque detrimento Dogmatum Christianae Religionis, quod evincere nitimur sequentibus propositi quaesitis.

Quaeres 1.º an polygamia et repudium repugnent naturae? Resp. Ut aequivocationes vitentur, quibus aliqui illud concesserunt, negarunt alii, notandum est 1.º juxta naturam fines matrimonii plures esse, videlicet propagationem prolis, prolis educationem, mutuum conjugum amorem, obsequium, utilitatemque. Polygamia et repudium non repugnant prolis propagationi; at repugnat quidem, ut consideranti patebit, aliis recensitis finibus. Et revera aequitas naturalis postulat, ut contractus aequalis sit penes ambas contrahentium partes. Iam vero polygamia importat, ut vir pluribus uxoribus utatur; unaquaeque vero uxor unico tantum viro; numquam enim liceret polyandria, utpote procreationi prolis, quae est finis potissimus, repugnans. Repudium, saltem ut olim permissum fuit, dat viro facultatem ab uxore recedendi, non e contrario. Quod si aetate ultima potentiores feminae, exemplo matronarum Romanarum,

libellum repudii viris mittebant, contra legem Mosaicam faciebant (*Ioseph. Antiquit. XV. 7. 10. Marci X. 12.*).

Notandum est 2.° Deum non potuisse quidem illud permittere, quod repugnat prolis propagationi: hoc enim ita est intrinsece malum, ut a malitia depurari nequeat; non ita vero illud nequit, quod aliis matrimonii finibus repugnat, in quibus vel immutando, vel transferendo conjugum jura, et obligationes perinde ac fecit cum permisit Hebraeis ut Aegyptios spoliarent, aufert quod malum est; siquidem Deus est summus omnium dominus. Potest praeterea aliunde supplere quod deest. Tandem multa per se injusta inter homines quoque evadunt justa, annuente parte, quae reclamare posset. Hinc concludimus polygamiam, et repudium repugnare juri naturali *de secundario*, ut ajunt, sive in materia a malitia depurabili; in qua Deus juxta Theologorum sententiam dispensare potest; secus ac in iis, quae sunt contra jus naturale *de primario*, sive ubi malitia ab objecto, ac rei materia auferri nequit.

Quaeres 2.° an polygamia, et repudium in primaeva Matrimonii institutione fuerint a Deo permissa? Resp. minime gentium: idque clare colligitur 1.° ex capp. I. et II. Genesis, in quibus unicum, ac singulare institutum legitur conjugium inter masculum et foeminam, et praecipue ex illo: *erunt duo in carne una*: unde S. Hieronymus *Epist* 85., *etiam de Paradiso expulsus Adam unam habuit uxorem*. 2.° ex verbis Christi apud Matt. XIX. ubi respondens Scribis de matrimonii vinculo loquentibus illis verbis: *ab initio non fuit sic*: satis ostendit matrimonium initio non aliter fuisse ac in Christi lege decernitur, ita ut plures ejusdem viri uxores, et vinculi divortium prohibeantur. Hinc Lamech, qui legitur (1) plures habuisse uxores, a Patribus reprehenditur (2), et a Nicolao Pont. (*Epist. ad Lotharium*) vocatur *adulter*.

Quaeres 3.° quando licita esse coeperit polygamia? Resp. post diluvium, idque colligitur 1.° ex Sanctis Patriarchis, qui plures simul habuerunt uxores, quod non fecissent, nisi fuisset a Deo concessum. Ita Abraham habuit Saram et Agar. Iacob Liam et Rachelem. Elcana (3), David (4), aliique plures, ut narrat Scriptura: 2.° quia lex mosaica nullibi damnat, imo permittere videtur polygamiam: (Deut. XXI. 16.) *non poterit*

(1) *Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, et nomen alteri Sella.* (Gen. IV. 19.).

(2) *Primus Lamech maledictus, et sanguinarius, et de Cain stirpe descendens unam costam divisit in duas, et plantarium bigamiae protinus diluvii poena subvertit.* S. Hieron. loc. cit.

(3) *Elcana habuit duas uxores* (1. Reg. I. 2.).

(4) *Fuerunt duae uxores Archinoa et Abigail* (2. Reg. II. 2.).

filium dilectae facere primogenitum. Quod si aliquando concubinae dicantur, quae plures erant eidem viro uxores, uti Agar, et Cethura Abrahamo, hinc non est veras uxores non fuisse, sed solum non primarias ac cum tabulis solemniter ductas, bonorum socias et dominas familiae: sed secundarias, idest ad procreationem prolis dumtaxat. Et revera Gen. XVI. Agar dicitur uxor Abraham, uti Cethura cap. XXV.

Notandum tamen hic obiter est, Moysem ut polygamiam minueret attulisse primaevam Matrimonii institutionem (Gen. I. 27., II. 23. etc.); primam ejus transgressionem (Gen. IV. 19.), atque opportune narrasse incommoda, quae marito e pluralitate uxorum enascuntur (Gen. XV. 4. etc. XXX. 1. 3., 15.). Praecipue vero immundities per concubitum contracta, quae ad integrum diem extenditur (Levit. XV. 18.) polygynaeciam progressu temporis imminuisse videtur.

Quaeres 4.° quando licuerit repudium? Resp. saltem in lege Moysis. Dicitur enim Deut. XXIV. 1. *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam* (idest *cohabitaverit ei*, ut LXX. vertunt), *et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua.* Hic notetur ex Deut. XXIV. colligi repudiatam potuisse juxta legem alteri marito copulari: imo nequisse post alteras nuptias ad priorem redire. Ostendit hoc aperte solutum fuisse per repudium antecedens matrimonium; secus mulier alteri nubens juxta Leviticum adultera fuisset. Et revera durum nimis esset dare libertatem viro et repudiandi, et alteram ducendi (obtinebat enim polygamia) mulierem vero cogere ut perpetuam servaret continentiam. Ergo per repudium scindebatur matrimonii vinculum, quod bene per hebraeum exprimitur: וְכָתַב לָהּ סֵפֶר בְּרִיתֻת: *et scribet ei libellum excisionis.* Quare cum Bellarmino (*de Matrim.*) aliisque conjicimus contra opinionem Magistri et Bonaventurae repudium non fuisse utcumque toleratum in lege veteri, sed positive a Deo permissum, cui soli competit in rebus hujusmodi dispensare, praecipue post primam matrimonii institutionem. Quod si mulier repudiata vocatur in Scriptura *polluta* et *abominabilis*, solum id dicitur quatenus quadam publica infamia notata erat.

Quaeres 5.° an alia sint circa repudium consideranda? Resp. 1.° repudii jus, sive vinculi solutionis solum maritis competebat, non uxoribus: de viris enim solum loquitur lex. Legatur Iosephus (*Antiq. lib. IV. c. 6.*). 2.° Non ex qualibet caussa repudium fiebat, de quo arguuntur Iudaei a Malachia (1), sed

(1) *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel*: o-

licite solum propter notabilem aliquem defectum animi, vel corporis, ut leprae, sterilitatis, rixae perpetuae et similia. Ita passim Patres, ac Interpretes explicantes illud: *propter aliquam foeditatem.* Aetate Chisti Iudaei de caussa repudii invicem contendebant: Schola enim Hillelis contendebat quamlibet minimam caussam marito ad repudium sufficere; schola vero Schammai statuebat adulterium (v. *Matth. XIX. I.* 10.). 3.º Ad praecipitationem vitandam majoremque cautelam tradunt Hebraei, et ex iis Vatabl., et indicat August. (*contra Faust. l. XIX. c.* 26.) repudium fuisse factum quibusdam legum solemnitatibus, puta testium, praesentis Rabbini, tabularum scriptarum, ac similium; ita ex jure civili *tit. de divortiis* scimus repudium apud Romanos factum esse coram Iudice, atque illa formula: *res tuas curato: res tuas tibi habeto.* 4.º Repudii jus non habebat maritus in uxorem, quam duxisset ob stuprum eidem illatum (1), neque maritus, qui ut uxorem repudiaret, eam diffamasset (2).

Quaeres 6.º cur Deus permiserit polygamiam, et repudium, quae repugnant tum naturae, saltem aliqua ex parte, tum primaevae matrimonii institutioni? Resp. Polygamiae caussas reperiunt communiter Patres 1.º in eo ut facilius proles post diluvium multiplicaretur, praesertim deperditis viribus robustioribus et longioris aetatis; 2.º ut quemadmodum ante diluvium matrimonium significabat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ita post diluvium significaret conjunctionem Christi cum gentibus. Insinuat hoc prae aliis August. (*de Bon. conjug. c.* 18.). Repudii vero rationem indicavit ispse Christus (Matth. 19.) illis verbis: *Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras;* nempe ut majora evitarentur mala, quae uxoribus a duris viris imminebant.

Quaeres 7.º an ex eo quod in veteri lege licita fuerint polygamia et repudium, inferri aliquid possit contra indissolubilitatem matrimonii in lege Christi? Resp. nequaquam; nam Christus, qui utpote Deus solus dispensare potest in naturali lege, atque supremus est legislator, matrimonium revocavit ad primam institutionem, addito insuper Sacramenti vinculo, ita

periet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum: custodite spiritum vestrum et nolite despicere (Malach. II. 16.).

(1) *Si invenerit vir puellam virginem, quae non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad judicium venerit: dabit qui dormivit cum ea patri puellae quinquaginta siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitae suae.* (Deut. XXII. 28. 29.).

(2) *Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam etc.* (ibidem. 13. et seqq.).

ut *duo sint* solum *in carne una*, atque ita, ut *quod Deus conjunxerit, homo non separet.* Patet hoc aperte ex Evangelio et Tridentino.

Qui de Polygamia plura desiderat, adeat Nat. Alex. (*aet.* 1. *Diss.* 4. *prop. unica*); de eadem et de ripudio adeat Becan. (*Manuale* et *Analogia inter V. et N. T.*) atque cl. Brunati (*Difesa della Legislazione Mosaica pag.* 47. *seq.*).

EXERCITATIO XIX.

Quid de usuris?

Usura, quae proprie in eo consistit ut exigatur aliquid praeter restitutionem rei mutuo datae, videtur in quibusdam locis S. Scripturae permissa, in aliis vero generatim prohibita. Permissam eam esse aliquo modo collogi videtur: Exod. XXII. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, nec usuris opprimes*: Deut. XXIII. 19. *Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo.* Ita putant Iudaei licitas per has leges eorum usuras, quas sine modo cum extraneis quibusvis sive Christianis, sive Gentilibus exerunt. Ex alia vero parte videntur sequentia loca usuram generatim damnare Psal. XIV. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo....... qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Psal. LIV. inter res iniquas illud adnumeratur quod *non defecit de plateis....... usura.* Ezech. XVIII. 8. vir justus commendatur, ex eo quod *ad usuram non commodaverit et amplius non acceperit.* Hoc ipsum confirmari potest ex verbis Christi apud Luc. VI. 35. *mutuum date nihil inde sperantes.*

Nunc autem videndum quomodo haec conciliari inter se possint. En varia systemata.

1.um Usura cum fratribus Iudaeis fuit illicita, et a lege sub poenis prohibita. Usura cum extraneis fuit illicita, non tamen a lege sub poena prohibita, idque ob eorum duritiem, eo fere modo quo aliqui judicant de libello repudii, nempe ad majora mala, ac praesertim oppressionem fratrum vitandam. Ita Thomas (22. *qu.* 78. *art.* 1. *ad* 2.).

3.um Usura semper fuit illicita Iudaeis et a Lege prohibita, sed expresse permissa cum Chananaeis, Amorrhaeis, Amalecitis, contra quos cum dederit Deus populo suo jus belli, et occisionis, a fortiori usurae jus; et quia omnes gentes, maxime

vero vicinae, hostes erant Iudaeorum; hinc Deuter. generatim dicit *sed alieno*. Ita multi cum Ambrosio (*lib. de Tob. c.* 15.)

3.um En alius respondendi modus, nostra quidem sententia, satis probabilis. Usuram justam permisit Deus Hebraeis; usuram vero nedum injustam, sed et justam vetuit Hebraeis erga fratres. Hoc ut declaretur, nonnulla animadvertimus, ac 1.° concedere theologos omnes quod si pecuniam mutuando interveniant quidam tituli uti societatis commercii, ut vocant, damni quod mutuans patitur, jacturae lucri, quod non mutuando fieri potuisset, sortis amittendae periculi et similia, concedunt inquam juste tunc id exigi posse ultra sortem, quod attentis circumstantiis aequum fuerit. 2.° Legibus Principum, qui prospicientes bono societatis noverunt eidem valde utile fore pecuniam facile mutuam dari, statutum quiddam esse, quod juste ultra sortem exigi possit, idque ut aliqui docent, etiam aliis deficientibus titulis, de qua opinione tamen legendus est Thom. (2. 2. *Quaest* 78. *art.* 1. *ad* 3.). 3.° Usura ajunt alii tunc est intrinsece mala, quando pecunia data est titulo puri mutui, sive gratuitae concessionis, atque hoc modo prohibet usuram Bened. XIV. (*Constit VIX. PERVENIT*; *et de Synod Dioec. l. X. c.* 4.). Hoc modo etiam, ut alia interim, Christus illis verbis: *mutuum date nihil inde sperantes*, vetat lucrum ex puro mutuo, quod veluti eleemosynam insinuat exercendam. Caeterum falsum est addunt, quod pecunia praecipue in praesenti rerum civilium statu, infrugifera sit, quod variis modis ingeniose probant. Legantur Maffei (*Dell' impiego del danaro*); Bolgeni (*de Usura*: *Dissertatio mss.*); Marcus Mastrofini (*Le Usure libri tre. Roma* 1831. *Milano* 1832.). Nostrum quidem non est de opinionibus hujusmodi judicium ferre, ac solum monemus *Decretis Supremae S. Congr. S. Officii* 3. Iul. 1822., 18. Aug. 1830. prohiberi ne Christi fidelium conscientiae quod ad hoc turbentur. Omnibus interim perpensis putamus hoc pacto rem nostram concludi posse.

Concessit Deus dare mutuum cum mercede, sive cum usura alienigenis et dummodo quod aequum esset solum exigeretur, et quando juste id fieri potuerit. Prohuibuit autem ne hoc ipsum, caeteroquin licitum, cum fratribus fieret, caritatis, liberalitatis et privilegii caussa: eo fere modo quo per alia temporalia privilegia Hebraeis providit, uti per absolutionem aeris alieni, et regressum earumdem possessionum anno sabbatico, vel jubilari. Et sane locus Deut. superius citatus eodem modo loquitur de pecunia mutuo data ac *de qualibet alia re*. Certum est autem licite posse repeti aliquid ultra sortem in rebus commodatis. Id ipsum magis, ut puto, manifestum fit verbis sequentibus: *Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget commodabis.*

Eligat quisque, ex allatis sententiis, quae ipsi magis arrideat, cum omnes sufficere possunt.

EXERCITATIO XX.

An miraculum adfuerit in transitu maris rubri?

Quod ad elevationem manus, et virgae Moysis maris aquae dividantur, consistant veluti muri in transitu Hebraeorum, rursusque deprimantur, ut Aegyptios operiant, res est tam miraculosa, quam quae unquam hujusmodi fuerit. Hoc eo magis asserendum, quod historico, ac simplicissimo modo narratur illud Exod. XIV., ac confirmatur rursus capite XV. 8. (1), Psalm. LXXVII. 13. (2), Habacuc III. 10. His accedit testimonium Scriptorum profanorum de hac re tamquam de prodigio quodam evulgato. Hoc enim clarissime indicavit Rahab exploratoribus hebraeis (4), Achior Holopherni (5), Artapanus apud Eusebium (*Praep. Evang. lib. IX. cap. ult.*) et Diodorus Siculus (*Biblioth. l. 3. cap. 40. sub fin.*) ut alios silentio praeteream. Quonam igitur pacto prodigium eludere pertentant?

Confugiunt adversarii ad accessum et recessum (vulgo *flusso e riflusso*), cui validissimum ventum adjungunt, ut transitum pro Hebraeis felicem explicent. At primo altum de utroque silentium in Scriptura, quae nil praemittit, nisi manus et virgae elevationem; 2.° tanta temporis mora necessaria erat, ut incolumes transirent vicies, aut tricies centena millia Hebraeorum cum jumentis et curribus, ut non sufficiens ad hoc habeatur tempus recessus, quod ad summum est sex horarum. Deinde Aegyptii quoque maris aestum, ac ejus vicissitudines noverant. Tandem loquuntur ne adversarii de aquarum secessione, et vento naturali? Sed tunc nil aliud expectandum erit praeter aquarum in aliqua tantum parte decrementum, aut maris con-

(1) *Et in spiritu furoris tui congregatae sunt aquae: stetit unda fluens, congregatae sunt abyssi in medio maris.*

(2) *Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre.*

(3) *Fluvios scindes terrae: viderunt te, et doluerunt montes · gurges aquarum transiit: dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas levavit.*

(4) *Audivimus, quod siccaverit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Aegypto etc.* (Ios. II. 10.).

(5) *Fugientibus his Deus Caeli mare aperuit, ita ut hinc inde aquae quasi murus solidarentur, et isti pede sicco fundum maris perambulando transirent.* (Iudit. V. 12.).

fusam tempestatem; an de supernaturali? Fateantur ergo quod asserimus prodigium.

Qui plura de hoc desiderat adeat Calmet (*Diss. in Exod. de Transfretatione Erythraei*), Veith (*Quaest. XXIII. de lib. Exod.*).

EXERCITATIO XXI.

Quid de Talionis lege?

Carpunt nonnulli Mosaicam Legem, eo quod legem *Talionis* contineat, talis nempe praecise poenae infligendae, quale delictum fuit, quod et dicunt scandalosum cum rixarum, et vindictae caussa sit, et injustum cum propterea, si quis rixando alium percutiat, et amputet illi brachium, privari ipse debeat eadem corporis parte, eodem modo, et cum similibus circumstantiis quod insuper fere impossibile esse videatur. Alia quoque congerunt his similia. Sed *Talionis* lex habetur expressa in primis Exod. XXI. 23. ubi his verbis de eo fit sermo, qui alium percusserit: *reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Haec eadem inculcatur rursus in Levit. XXIV. 20. (1) et Deut. XIX. 21. (2).

Haec porro lex ut claro lumine collocetur, notanda haec sunt: 1.° Non est per illam legem privatis concessa auctoritas ulciscendi injurias acceptas, sed tantum quaedam data est norma judicibus. De *Talione* ait August. (*contra Faust. l. XIX. c.* 25.) *non fomes sed limes furoris est*: *non ut id, quod sopitum erat, hinc accenderetur, sed ne id quod ardebat, ultra extenderetur.* Caeterum privatam vindictam prohibuit Deus generatim: *Mea est ultio, et ego retribuam* (Deut. XXXII. 35.), et judices constituit, qui in omni tempore, et in omni caussa pro omnibus jus dicerent. 2.° Si lex ista ut norma data est judicibus, sic erat adhibenda, ut consideratis omnibus circumstantiis minuentibus, aut aggravantibus delictum, poena reposceretur. Hoc enim postulat naturalis ratio, haec est normae natura. Probabiliter pretio quoque redimi poena poterat penes Iudaeos, ut apud alias gentes, quae *Talionis* legem adoptarunt, ut videbimus. 3.° Ita lex declarata consentit apprime

(1) *Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet, qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogatur.*

(2) *Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.*

cum naturali aequitate. Hinc Rhadamanthus (*apud Arist. Ethicor. lib.* 5. *c.* 13.) *Si quis quod fecit patiatur, jus erit aequum.* Hinc etiam ex Diogene Laertio in Solone discimus Graecos *Talionem* pro lege habuisse; hinc tandem ex Gellio, qui plura de *Talione* habet (*lib.* 20.) scimus quoque apud Romanos inter leges XII. tabularum *Talionem* viguisse. 4.º In hebraica legislatione propter theocratiam delicta omnia in Deum peculiari modo commissa erant, et a divina ejusdem ac suprema auctoritate puniebantur. Ita in codice mosaico, etiamsi in aliis hominum codicibus non posset *Talio* permitti, justus esse potuit. Vide Renazzium (*Elem. Iur. Crim. lib.* 2. *c.* 4. *part.* 16.) et Malanima (*Sopra i delitti e le pene secondo il gius divino cap.* 16. *et seqq.*). 5.º Si nihilominus increduli a *Talionis* lege abhorreant, praesertim obscurata pravis Scribarum interpretationibus, atque perfectius, dulcius, humaniusque aliud existiment, et velint, Christum audiant et sequantur: *Audistis quia dictum est: oculum pro oculo, et dentem pro dente: Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram* (Matth. V. 38. 39.). Lege plura apud Commentatores in loca citata.

EXERCITATIO XXII.

Quomodo vitulus aureus conflari potuerit, ac in pulverem reduci, dum Moyses in montem ascendit? Exod. XXXII.

Nihil non moliuntur increduli, ut quae de vitulo hoc narrantur, incredibilia ostendant, praesertim Zapata in suis *Quaestionibus* et Voltaire *Lexic. Philosoph.*, et *Tract. de Tolerantia.* Nos more nostro necessaria subnectimus quaesitis respondentes.

1.º Ubinam suppetere Hebraeis possent tam excellentes sculptores, ut vitulum statim conflarent? Resp. Inter Hebraeos bonarum artium peritos fuisse conjicitur ex illorum mora inter Aegyptios, et clarius evincitur ex Tabernaculi constructione. Ad rem porro adnotamus nil haberi in narratione de operis pulchritudine, de tempore in effingendo vitulo insumpto (quod gratis Voltaire ad unam redigit noctem); neque de integri vituli figura, quam aliqui putant solum ejus caput expressisse, quod refert Calmet ex multorum Patrum sententia.

2.º Quid revera vitulus ille repraesentabat? Resp. Putant plures bovem *Apim* qui Memphi, seu *Mnevim*, qui Heliopoli colebatur ab Aegyptiis, quibuscum Hebraei versati sunt.

3.º Quanam arte aurum resolvi potest in pulverem potabilem? Resp. Chimicam id efficiendi rationem describunt cele-

bres nostrae aetatis Chimici Senac, Macquer, Ruelle, Baro, Stahl. Iam vero ex Diodoro Siculo, et Weissenbach (*T. I. Theol. Bibl. p.* 177.) colligimus artem fundendi metalla Aegyptiis fuisse cognitam, ex quibus Hebraei, ac praecipue Moyses, qui *eruditus* erat *omni sapientia Aegyptiorum* (*Act. VII.*), addiscere eamdem potuerunt. Ita Veith. Sed, et ommissa chimica, respondemus per combustionem, vel malleos, limasque in subsidium vocatas rem confici potuisse, ac probabilius sic factum cum Moyses (Deut. IX. 21.) fateatur: *vitulum arripiens igne combussi, et in frusta comminuens omninoque in pulverem redigens projeci in torrentem, qui de monte descendit.*

4.° At quo fine id Moyses voluit? Resp. Voluit et ut penitus idolum destrueretur, et ut contemnere Hebraei discerent idolum potabile tandem, et ventri expositum.

5.° Quomodo uti narrat Scriptura Moyses potuit caedere 23,000 Hebraeos? Resp. Moyses et Levitarum auxilium habebat, et (quod rei caput est) divina ope fulciebatur. Sed ut verum fateamur ex Textu tum Hebraico tum Samaritano, ex Versione τῶν LXX., optimisque ex veteribus editionibus conjicitur, errorem irrepsisse in vulgatae codicibus, ubi pro *TRIA millia* amanuensis *XXIII millia* legisse videtur.

Plura apud Commentatores, nec non apud Veith (*Quaest. XXIV. de lib. Exod.*) Du-Clot. (*Not.* 42. *T.* 2.) Guénee (*P. I. Letter. V. e VI.*).

EXERCITATIO XXIII.

Quid de Lepra?

Cum et in V. et in N. Testamento, in Patribus etiam frequentissime de lepra fiat mentio, ejusque sit varia significatio, de ea loqui utile ducimus: atque, ut alias in hujusmodi egimus materiis, nonnullis propositis quaestionibus.

Quaeres 1.° quot fuerint leprae species? Resp. ex Lev. XIII. apparet septem fuisse leprae species in lege consideratas: 1.ª erat alba, et lucens; 2.ª recurrens, seu reddiens; 3.ª inolita, sive in carne viva (primae nempe erant cutis et capillorum); 4.ª mundissima, idest minima contagiosa; 5.ª lepra capitis, vel barbae; 6.ª in calvitio; 7.ª vestis, vel domus. Unde constat species leprae recensitas ad tria genera reduci, nempe hominum, vestium, et domorum. Eodem capite exponuntur signa, seu indicia cujuslibet leprae speciei.

Quaeres 2.º quanam in re lepra constiterit? Resp. (1) morbum fuisse consistentem in corrosione quadam, corruptione et putrescentia, quod et dolorem, et probrum, et contagionis periculum habebat. Calmet *Dissertatione in Leviticum* totus est in ostendendo vermes per corpus hominis, per vestes, per domos dispersos lepram constituisse; atque hoc sensu vult Calmet Iob. XIII. dixisse: *vestimentum quod comeditur a tinea.* Non admodum juvat immorari in leprae naturam scrutando, cum et difficile valde sit praesertim ob locorum differentiam, id tuto definire, et medicorum potius quam interpretum id esse videatur. Notamus communius explicari lepram vestium et domorum *analogice*, idest; quatenus in his caussae, vel effectus leprae inveniantur, ut in morbis pestilentibus accidit. Aliis *Lepra domorum* vix aliud esse videtur, quam introrsus acor, qui lateres solvit, incrustationem muri corrumpit, atque aerem inficit.

Quaeres 3.º an lepra fuerit aliquid naturale? Resp. fuisse morbum naturalem. Animadvertimus autem saepe etiam fuisse poenam a speciali Dei providentia ob peccata inflictam. Ita contigit ob sacrilegium Ozias (2. Paralip. VI.), ob simoniam Giezi (4. Reg. V.) ob rebellionem Mariae (Num. XII.).

Quaeres 4.º quaenam pro leprosis in lege praecipiebatur? Resp. In primis erat praeceptum, ut soli Sacerdotes judicium de hoc morbo ferrent, et postea de liberatione, cui ritus quidam lustrationis, et sacrificii annexus erat, qui fuse describitur Levit. XIV. Quaedam insuper servanda erant leproso in statu morbi tum propter se, tum propter alios. Haec autem quinque erant: habere vestimenta dissuta: caput nudum: os veste contectum: clamare se sordidum: extra castra habitare. Vid. Lev. XIII. 44. etc.

Quaeres 5.º cur Sacerdotibus judicium, et expiatio leprae servata erant? Resp. prima caussa fuit quia lepra peculiaris erat punitio superbiae, et contumaciae contra Sacerdotes: sicque habetur Deut. XXIV. 8. *observa diligenter ne incurras plagam leprae, sed facies quaecumque docuerint te Sacerdotes*

(1) Ex eruditissimo Akerman hanc Leprae habe descriptionem: *Lepra se in cute quidem exteriori exerit, sed etiam telam cellulosam, immo ossa quoque et medullam, atque articulos quoque ossium inficit, ut extremi membrorum articuli sensim emoriantur, dissolvantur, decidant, et corpus horrendum in modum mutiletur. Qui a nativitate leprosus est,* 50, *et qui deinceps infectus fuit, adhuc* 20 *annos tristissimos vivere potest. Lepra scilicet gravior omnem medicorum artem fallit; levior in principio sanari, sed si latius serpserit, insanabilis pariter evadit. Mors denique aegrotum plerumque inopinato obrepit: atque morbus in tertiam et quartam generationem transire solet.*

Levitici generis . . . mementote quae fecerit Dominus Deus vester Mariae. Altera caussa fuit quia leprosi nedum naturaliter, sed et legaliter erant immundi, adeoque veluti a sacris interdicti, et irregulares. Tertiam alii addunt, quod nempe Sacerdotes, quibus ars medica commissa fuit, indicia noverant, quibus leprosas maculas et contagiosas ab innocuis discernere possent.

Quaeres 6.° cujusnam rei lepra typus fuerit? Resp. Praecipue lepra expressit peccatum, ac leprae expiatio Sacramentum Poenitentiae: ita Patres. Imo Scriptura ipsa (Isa. LIII.) de Christo pro nobis *peccatum facto* ait: *putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.*

Plura de lepra habebis apud Commentatores, et Calmet (*Diss.* cit. *in Lev. de Lepra* nec non alia *in Iob. de morbo Iobi*).

EXERCITATIO XXIV.

An incredibilis tanta praeda a Madianitis?

Nolunt increduli cum Voltaire (*in Evangelio rationis, et in Tractatu de tolerantia*) iis fidem habere, quae de magnitudine praedae per Hebraeos de Madianitis relatae, narrantur in Scripturis (Num. XXXI. 32.) hisce verbis: *fuit autem praeda, quam exercitus coeperat ovium sexcenta septuaginta quinque millia: boum septuaginta duo millia; asinorum sexaginta millia, et mille; animae hominum sexus foeminei, quae non cognoverunt viros triginta duo millia.*

Audiamus in quonam Voltaire collocet repugnantiam. 1.° Fieri non potuit, ait, ut in castris reperiretur tanta rerum, et foeminarum copia. At animadvertat textum loqui de praeda ex universa Madianitarum provincia, ac praesertim vers. 10. nominari et urbes, et viculos, et castella.

2.° Nimia est hujusmodi copia pro amplitudine terrae Madian, quae non extenditur ultra octo, vel novem leucas. Resp. 1.° Iosephum, Eusebium, et Hieronymum ausos non fuisse dimensionem definire Madian, attentis fortasse multis, quae obtigerunt, vicissitudinibus. Audet tamen Voltaire. 2.° Nationem eam fuisse admodum copiosam, ac potentem supponit Scriptura dum enumerat vers. 7. quinque in ea principes; et dum Iudic. VI. narrat Hebraeos per 7. annos dura servitute fuisse a Madianitis oppressos. 3.° Concedamus, quod statuit Voltaire; nihilominus omnia possunt cum dimensione illa cohaerere. Nam in primis quod spectat ad numerum hominum notamus foeminas innuptas numerari 32,000. Numerus porro foeminarum ad

masculos in Mundo generatim statuitur plus minus ut 4 : 3. Ergo si foeminae in Madian innuptae erant 32,000 ; 24,000 erant masculi innupti. Simul ergo innupti erant 56,000. Rursus constat numerum innuptorum ad universum populum esse plus minus uti 1 : 3. Ergo si in Madian innupti erant 56,000; 168,000 erit summa omnium incolarum. Populus hic non incredibiliter erat illius terrae incola, cum longe plures in aliis urbibus nobis notissimis reperiantur. Iosephus Flavius testatur in Galilaea fuisse 204 urbes et oppida, et majores quidem urbes 150,000, minima vero oppida 15,000 incolarum habuisse. Quare et ipse Iosephus in hac exigua provincia, quae vix 40 vel 45 millia passuum longa, et 30 millia passuum lata est, exercitum fere 100,000, virorum coegit (*Bell. Iud. II.* 20. 6.).

Quod ad fructus ad populum alendum necessarios, notamus terram Madian frugiferam fuisse quam maxime, testibus Hieronymo (in Ezech. LV.) Adrichomio (*Theatrum Terrae Sanctae: de tribu Ruben num.* 45.). Deinde quid impedit, quominus commercio adhibito e vicinis populis, Amalecitarum praesertim, comparare sibi potuerint Madianitae, quod ad victum requirebatur?

Quod ad pastum pecoribus, aliisque alendis, leucarum spatium 8. sufficiens est ad quadratam figuram redactum. Computata leuca juxta passum geometricum, oriuntur jugera 2,075,000; juxta porro mensuram gallicam, jugera 360,000. Spatium hoc sufficientissimum est et pecoribus, et bobus, et asinis a Textu relatis cibo praebendo. Calculi recensiti a Veith sunt excerpti. Aliquantulum diversi, sed idem probantes inveniuntur apud Du-Clot.

3.° Qui fieri potest, addunt, ut Moyses tam dire vexaret provinciam, in qua suus reperiebatur socer Iethro? Respondetur provinciam Madianitarum a Moyse vastatam non comprehendisse habitationem Iethro, qui erat prope mare rubrum; secus non octo, ut vult Voltaire, sed longe plurium, idest 50. leucarum terra illa fuisset. Deinde, ut ex vers. 12. patet, Deus ipse id jussit, atque ob Beelphegor fornicationem, et cultum, vindictam illam de Madianitis sumere Moysem voluit.

Haec praecipue ex Veith (*Quaest. XXXII. de libro Numeror.*) et Du-Clot (*Numeri Nota XVI.*) conf. Guénée (*P. III. Lettera I.*).

EXERCITATIO XXV.

An credibilis ubertas tanta Palaestinae, quanta in Scripturis narratur?

De mira Palaestinae fertilitate variis Scripturae locis fit sermo, ac prae aliis Exod. III. 8. *fluit lacte et melle.* Deut. VIII. 7. etc. *Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam. . . . . . terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, et malogranata, et oliveta nascuntur: terram olei, ac mellis. Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, et rerum omnium abundantia perfrueris: cujus lapides ferrum sunt, et de montibus ejus aeris metalla funduntur.* At ridet more suo Voltaire cum aliis incredulis tantam soli ubertatem, quod, si eos audias, sterile omnino est, atque infoecundum. Verum si auctoritas Scripturae, etiam humanitus tantum spectatae, pro nihilo illis est, movere eos deberet historicorum profanorum auctoritas, nec non viatorum relationes, et ipse terrae situs, ex quibus omnibus Palaestinae foecunditas, quam Scriptura describit, clarissime confirmatur.

Auctoritas, inquam, in primis profanorum historicorum, qui de illa terra loquentes, fertilissimam eam dicunt praesertim quod ad oleum, vinum, fruges, arbores, armenta. Catalogum aliquorum hic subjicimus. Hecataeus Alexandro coaevus apud Iosephum contra Appionem; Plinius lib. V. cap. 14. 15.; Tacitus lib. XV. cap. 6.; Plutarchus, Diodorus Siculus, Iosephus, Philo, Laertius, Ammianus Marcellinus lib. 14. c. 8., aliique, quos Veith et Du-Clot citant. His adjungi praecipue potest illorum auctoritas, qui Iudaeorum hostes fuere, ac nihilominus judaici soli fertilitatem testati sunt, ut Iulianus Apostata frequenter in suis epistolis; Rabsaces Assyriorum princeps apud 4. Reg. XVIII.

Relationes dein viatorum suffragantur, ex quibus paucos tantum recensere sat est, imo recentiores solum, qui majoris esse debent apud incredulos auctoritatis, consideramus. Niebhur viator annis 1762, 1763.; De Pages ann. 1776; Baro Tott eodem ferme tempore; Volney annis 1783, 1785.

Situs vero terrae nonne et ipse fovere debet ejus fertilitatem? Ibidem enim temperata aestas, ac hyems; anni tempora, ac pluviae aequabiles, ordinataeque; maris, Jordanisque influxus; regio praeterea suapte natura pinguis; quibus de rebus peculiare testimonium ferunt Dionysius Alicarnass. *Antiq. Rom. lib. I. p.* 28. Bochart *Descript. Terrae Sanctae Cap. II.* Hoc insuper confirmant 20,000 mensurae olei, ac totidem tritici, quas Salomon quotannis ad regem Tiri mittebat. Hoc tandem,

ut a Prophetis describitur, cum Chananaeorum, et Hebraeorum luxu cohaeret.

Quibus omnibus addi debet specialis Dei providentia, ut prae aliis arguit promissio, ob quam terra anno quoque sexto fructum offerebat annorum trium (1). Promissio itidem et pluviae opportunae, et aliarum rerum omnium, quae terrae frugiferae opus essent, dummodo Hebraei divinis praeceptis obedirent (2). Audiamus nunc quid opponant adversarii.

Dicunt 1.° viatores testari hodiernum Palestinae solum aridum esse, et infructuosum. Ergo fabula est, ait Voltaire quidquid de antiqua ejusdem fertilitate traditur. Nos vero, ut respondeamus, ommittimus in primis viatorum auctoritatem, qui cum illis pugnant, quos paullo ante nos adduximus. Neglectus culturae, eluviones, bella, aliaque naturalem terrae statum mutare potuerunt. Quod si illud etiam perpenderis peculiare jam divinae protectionis munus cessavisse, nil mirum erit, si pristinae feracitatis bene multum desideretur.

2.° Opponunt Hieronymi auctoritatem, quippe qui *Epist. ad Dardanum* videatur tantam Palestinae fertilitatem negare. At si res bene attendatur, ait solum Hieronymus eo loco terram sanctam et ampliorem et uberiorem futuram fuisse Hebraeis, nisi eorumdem peccata obstitissent; simulque bona illa umbram fuisse spiritualium bonorum, quae per ipsa promittebat Deus. Caeterum cognovisse Hieronymum Palestinae fertilitatem, aperte constat ex *Commentario* ejus *in Isa. V.* ubi expresse ait: *nihil illa terra promissionis pinguius esse.*

3.° Improbabile dicunt esse duobus opus fuisse hominibus, et vecte ut palmes cum uva asportaretur (3). At primo notamus fuisse eo modo delatam uvam fortasse non tam ob ponderis gravitatem, quam ut intacta ferretur. Secundo, aliarum regionum fructus nostros saepe magnitudine excedere, peculiariter vero uvam, pluribus citatis auctoribus, ostendit Calmet in hunc locum. Tandem dissimulare non possum, quod a Cl. Ignatio Molina accepi, putare se uvam illam haud ejusdem generis fuisse ac nostram, sed eam potius, quam Botanici appellant *musam paradisiacam*.

(1) *Quod si dixeritis: quid comedemus anno septimo, si non servaverimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum* (Levit. XXV. 20. 21.).

(2) *Terram enim ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquae ducuntur irriguae* (Deut. XI. 10.).

(3) *Pergentesque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, et de ficis loci illius tulerunt etc.* (Num. XIII. 24.)

De his eruditissime praeter Veith (*de libro Deut. Quaest.* 38.), Du-Clot (*Esodo. Nota 7.*), et Guénée (*Ricerche intorno alla Giudea*).

EXERCITATIO XXVI.

Cur nam Moyses in Pentateucho siluerit de paradiso, inferno, et aliis hujusmodi?

Dissimulare quidem non possumus, quod fatebatur Augustinus (*de gestis Pelagii Cap. IV. n.* 14.) *In illo Testamento, quod proprie vetus dicitur, et datum est in monte Sina, non invenitur promitti apertissime nisi terrena felicitas.* Unde Guilelmus Warburton anglus (*lib. de div. miss. Moysis*) ostendit ex hoc ipso quod Moyses de altera vita siluerit, id est medio efficacissimo usus minime sit ad homines in officio continendos, ostendit inquam peculiari Dei numine eum suffultum fuisse. Ex silentio porro Moysis Le Clerc, aliique, ac praesertim recentes increduli concludunt dogmata hujusmodi recentis fuisse originis, nec ab Hebraeis cognita, nisi ad summum circa babylonicae captivitatis tempora. Hinc ad ipsorum dogmatum veritatem, atque antiquitatem vindicandam plures scripsere: Calmet (*Diss. in libr. sapient. De natura animae, et ejus post mortem statu ex sententia veterum Hebraeorum*) Patuzzi (*de futuro impiorum statu lib.* 1. *c.* 6.) Ansaldi (*de futuro saeculo ab Hebraeis ante captivitatem cognito*) Apologistae passim, uti Valsecchi (*Fondam. l.* 2. *c.* 10.), Tassoni (*T.* 3. *c.* 4.) Iohanseu (*Veterum Hebraeorum notiones de rebus post mortem futuris. Hasniae* 1826.).

Nos interim nonnulla animadvertimus, quae sufficientissimam, nostra quidem sententia, responsionem praebent.

1.° Non erat juxta Moysis scopum, et officium codici suo veritates inserere, quas Deus per traditionem revelaverat, quaeque notissimae Hebraeis erant, perinde ac caeteris gentibus. Scilicet dogmata, quae religionis fundamentum sunt, de supremi Numinis existentia, de animorum immortalitate, deque meritorum praemio, ac demeritorum supplicio, revelaverat Deus Adamo, pollicitus insuper, post peccatum, Servatorem venturum, quam postea promissionem confirmavit Abraham, Isaac, et Iacob. Hinc universalis erat penes Hebraeos Adami nepotes de illis persuasio; imo et penes alias gentes, uti inferius etiam adnotabimus, illorum saltem confusa cognitio permeaverat. Cum vero homines cultum Deo convenientem negligerent, cum foede ac impudenter ubique, et in omnibus se gererent, selegit Deus, Abraham vocando, Hebraeorum populum, jussitque Moysem legem illi promulgare, hunc praecipue scopum re spiciens, ut nempe

cultum rectum praescriberet, morum ac vitae praecepta explanaret, populum hunc a reliquis secerneret, omnia vero interim ad viam Messiae sternendam ordinarentur. Hinc Moyses recensita dogmata supponebat, atque nullibi in Pentateucho vel de ipsa Dei existentia egit ex professo. Hanc rem confirmat traditio Hebraeorum, videlicet potiorem partem doctrinae Moysis non fuisse conscriptam.

2.° Moyses hebraicum populum alloquebatur, rudem admodum ac carnalem; cui materialia potius quam spiritualia, terrena quam caelestia proponere convenientissimum erat, uti fuse probat Angelicus (1. 2. *Quaest.* 99. *art.* 6.) qui Hebraeis accommodat illud Psalm. XLVIII. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Materialia porro, quae proponebantur, non excludebant spiritualia, et aeterna; imo quodammodo haec per illa significabantur, tamquam per umbram, vel etiam pignus divinae remunerationis. Ita fere nos cum rudibus divinum favorem promittimus, ob oculos praecipue iisdem ponimus amplam in suis laboribus a Deo opem, et temporalia bona iis adnexa, supponentes spiritualia, ac aeterna, quorum fidem, ac spem eo majorem duri ac impuri homines concipiunt, quo melius vident ea compleri, quae illorum umbra sunt ac pignus.

3.° Moyses orientalis erat, et orientales alloquebatur. Iam vero is, etiam nunc inter illos mos obtinet, ut factis aut allegoriis loquantur. Ita Salomon casti connubii allegoriam describens in Cantico Canticorum, amorem Christi cum Ecclesia significavit, licet significatio hujusmodi in eo libro non sit explicita. A pari Moyses in Pentateucho plura prosequutus est hujusmodi, quibus eo potissimum intendebat ut Messiae redemptio, et alterius vitae praemia adumbrarentur, contentus germani sensus explicationem traditioni committere, quae per majorum fidem ac monita, tamquam per clavem, aperiret ea, quae sub illis integumentis laterent. Ad morem hunc Orientalium alludit Hieronymus (*l. III. Comment. in Matth. XVIII.*) ubi ait: *Familiare est Syris, et maxime Palaestinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere, ut quod per simplex praeceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, exemplaque teneatur.*

4.° Licet Pentateuchus expressum nil habeat de altera vita, multa tamen continet, quae satis clare ostendunt tum Moysem, tum Hebraeos communiter eam credidisse, fidemque de praemiis ac suppliciis aeternis professos esse. Perpendantur quaeso attente haec loca. (Gen. I. 27.) *Creavit Deus hominem ad imaginem suam:* (XXV. 8.) *Congregatusque est* (Abraham) *ad populum suum:* (XXXVII. 35.) *Descendam* (Iacob loquebatur) *ad filium meum lugens in infernum.* Ubi nota Iacobum

in ea fuisse persuasione Iosephum filium suum, de quo loquebatur, a feris esse voratum; unde Iacob, ommissis aliis, non potest illis verbis ad sepulchrum alludere, sed ad animam filii superstitem, ejusque in limbo existentiam. Idem (XXXXVII. 30.) ait: *dormiam cum patribus meis.* Dormire autem eatenus mortem significat, quatenus resurrectionem supponit; unde nuspiam *dormire* adhibebatur ad mortem brutorum indicandam. Idem (XLIX. 18.) ait: ***Salutare tuum expectabo Domine.*** At si anima simul cum corpore Iacobi moriebatur, quid ipse expectare poterat? (Exod. III. 6.) ***Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob;*** atqui, arguit Christus (apud Matth. XXII. 32.) ***non est Deus mortuorum, sed viventium:*** (Exod. XXXIII. 20.) ***non videbit me homo, et vivet:*** (Num. XX. 24.) ***Pergat Aaron ad populos suos:*** (XXIII. 10.) ***Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.*** (Levit. XIX. XX.) Deut. XVIII. severe interdicitur necromantia, ac mortuos interrogare; quod vulgarem Hebraeorum de mortuorum existentia, sive de immortali animarum vita opinionem supponit. Missa facimus plura loca per Genesim et alios Pentateuchi libros sparsa, ubi vita hominis nomine peregrinationis, aut simili exprimitur; et ubi dum aliquis bonus moreretur, dicitur *appositus ad populum suum.* Haec enim et ipsa, ut patet, suo modo de alterius vitae statu fidem confirmant.

5.° Totus Pentatheucus exemplis abundat, quibus fides dignoscitur, quam profitebantur Hebraei, ac spes in Redemptorem venturum. Hinc omnium fere sensus idem erat ac Iacob (Gen. XLIX.) *Salutare tuum expectabo Domine.* Sed, ut antea argumentabamur, quidnam e venturo, post saecula, Reparatore expectare illi poterant, si omnia cum morte finem haberent? Melius arguit Paullus (ad Hebr. XI.) ***juxta fidem defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salutantes, et confitentes quia peregrini, et hospites sunt super terram. Qui enim haec dicunt significant se Patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt idest caelestem.*** Eodem fere modo argumentari licet ex illo Dei ad Abraham (Gen. XV.) ***Ego ero merces tua magna nimis.***

6.° In libris quoque aliis praeter Pentateuchum multa passim occurrunt, quae consideranti valida praebent argumenta fidei Hebraeorum de altera vita. In libro Iob (quem scriptum arbitrantur circa Moysis aetatem) cap. XIX. haec leguntur: ***Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum et rursus circumdabor pelle mea, et in***

carne mea videbo Deum meum. Quamvis hebraicum legat: *de terra surrecturus est: pellem hanc vorabunt ulcera*: tamen, ommissa interim integritate textus, clare et ipsum habet: *de carne mea videbo Deum, et oculi mei conspecturi.* Quo loco notandum est multorum Patrum, et Hebraeorum eam esse sententiam librum Iobi conscriptum esse a Moyse ipso ad suorum solatium ac eruditionem. In qua sententia facile adversariis nostris respondere possemus, Moysem in libro Iobi explicite eadem docuisse, quae implicite tradiderat in aliis libris. Deinde frequentissime in Psalmis, et Prophetis de aeterna felicitate fit sermo, sub figura *torrentis voluptatis*, *terrae viventium*, et similium. Subinde etiam de inferno, de igne, deque aliis, quae impiorum supplicia adumbrant. Ommitto prosequi libros omnes V. T. omniaque loca. Legenti id patebit satis; plura vero invenies apud Calmet loc. cit.

7.° Ut argumentis allatis conjecturas quoque addamus validissimas, petimus 1.° Si alterius vitae cognitionem a vetustissimis temporibus imbuti erant Chaldaei, Phaenices, Arabes, Aegyptii, aliique, quod ostendunt Plutarchus (*in consolat. ad Apoll. tom.* 2.) Grotius (*de veritate Relig. Christ. l.* 1. *paragr.* 22.) Bolingbroke (*Vol.* 5. *pag.* 234. *Edit. in* 4.°) fatentibus id ipsum vel ipsis adversariis, (vide Delisle: *Philosophie de la nature T.* 3. *Par.* 2.), quonam pacto hoc ignorare potuerunt Hebraei, qui ex Chaldaea oriundi per 200. vel 400. annos in Aegypto morati sunt, semperque postea exteros conterminos undique habuere? 2.° Undenam est credibile veritatem tam patentem, tamque rationi, ac divinae justitiae conformem ignoratam penitus fuisse a gente, in qua tales, ac tot sapientissimi aeque ac sanctissimi viri extiterunt?

8.° Concludere ex his omnibus licet hoc modo: Licet Moyses dogma de altera vita expresse non tradiderit, uti multa alia aequalis momenti, nihilominus veritatem hanc ex traditione haustam cognoverunt Hebraei, et ipse etiam Moyses in Pentateucho satis insinuaverat juxta scopum suum, ac stilum. Expressam solum, et explicitam immortalitatis animae, aliorumque mentionem Moyses non habet, et ad hanc referenda sunt Augustini verba, ut etiam legenti eadem patet. Procedente tempore, Messia appropinquante clarius haec patuit veritas, uti colligimus ex libris Iudith, Tobiae, Sapientiae, Machabaeorum: scilicet eo minus offenditur caelum tenebris, quo Sol fit vicinior. Iudaei aetate illa per varias regiones dispersi et in ipsa Palaestina permixti gentilibus, qui Epicureorum philosophiam saepius sectabantur, vivebant; unde providentia divina factum est, ut in Libris sacris per id temporis, conscriptis immortalitas animae ex proposito tradita et inculcata Iudaeis ipsis

fuerit. Hinc ut haeretici traducti Saducaei, qui alterius vitae denegare ausi sunt existentiam. Quod si tolerati ipsi fuere, id nonnisi Synagogae dandum est corruptelae. Tolerari autem nullo modo possunt increduli nostri temporis, qui fulgentissimo Evangelii lumini oculos perfracte, ac pertinaciter claudunt, quibusque nihil patrocinari posset Hebraeorum ignorantia, etiamsi reapse haec (quod tamen falsum ostendimus) occulto aliquo Dei consilio extitisset.

EXERCITATIO XXVII.

An extiterint Gigantes?

Ut certa ab incertis secernamus, clariorque fiat Quaestionis status, notandum 1.° fabulam confictam a poetis fuisse de Gigantibus, quos narrant montes montibus imposuisse viribus suis, insulas in caelum ejaculasse, ac centum manus habuisse, et aliquos superne homines, inferne angues fuisse, et caetera hujusmodi, ut videre est apud Homerum, Virgilium, aliosque, qui de Gigantibus, Titanis etc. multa effinxerunt. Haec ut fabulosa agnoscuntur ab omnibus, neque de eorum falsitate ambigitur. Notandum 2.° certissimum esse aliquando gigantem unum, aut alterum, veluti naturae monstrum extitisse. Ita de Og dicitur (Deut. III. 11.) *monstratur lectus ejus: novem cubitos habet longitudinis, et quatuor latitudinis.* De Goliath etiam (1. Reg. XVII. 4.) dicitur: *altitudinis sex cubitorum et palmi. Sed illud discutimus,* ait Calmet (*Dissert. de Gigantibus in Genesim*) *an vetustissima aetate ante diluvium, et diu etiam post, satis frequenter homines occurrerint justa hominum nostrae aetatis statura multo superiores . . . ut certum genus, et peculiaris Gigantum regio possit assignari.*

Quaestionis statu ita explicato contenti erimus duas de hac re opiniones indicare, ac praecipua duplicis sententiae fundamenta. Sunt qui Gigantum existentiam defendunt 1.° ex quo Scriptura, quam nil vetat in his litteraliter intelligi, Gigantes fuisse affirmet, aut clare saltem supponat. Ita Gen. VI. 4. juxta hebraeum dicitur: הַנְפִלִים הָיוּ בָאָרֶץ *gigantes fuerunt in terra.* Gigantes etiam locis aliis juxta interpretes indigitabantur in sacris litteris hisce nominibus: אֵמִים *Emim, terrifici, formidabiles* Deut. 2. v. 10.: רְפָאִים *Rephaim* v. 20. a *Rapha* primo gigante; עֲנָקִים *Anakim* vv. 10. 11. 12. (juxta Vulg. *Enacim*) posteri *Enac* gigantis seu potius *filii vel proles specuum*, idest *troglodytae* in specubus degentes; נְפִלִים

Nephilim Gen. 6. v. 4. *irruentes;* וַמְזֻמִּים *Zamzummim scelus cogitantes* Deut. 2. v. 20. (juxta Vulg. *Zonzommim*); Gigantum autem in genere mentio occurrit passim in hagiographis. 2.° Patres plerique gigantes admisere. 3.° Ossa detecta fuere sepulta humani corporis quae molis erant ingentis. Haec omnia vide fuse discussa *Diss.* cit. Calmet, qui hanc sententiam amplectitur. Conf. Ianssens § 121. et Guénée (*Part. IV. Lett.* 3.).

At sunt qui Gigantum nationem, ac multitudinem denegant, inter quos Chrysostomus (*Homil. in Gen. XXII. num.* 4.). Isti 1.° credunt satis explicari posse Scripturam si nomine Gigantum intelligantur fortes, et audaces, terribiles, ac irae divinae administri. 2.° Ossa ingentia detecta, non hominis, sed Cete, Elephantis, aut alterius bruti fuisse dicunt, aut ossa alicujus e Gigantibus illis, quorum existentia a nemine negatur. 3.° Incredibile illis est, quod si Gigantes magno numero olim fuerint, ne unum quidem hoc tempore natura pariat. 4.° Gigantum opinionem sin minus natam, promotam saltem credunt vel e studio laudandi *tempora acta*, vel ab ambitione etiam, uti Curtius ex. gr. narrat Alexandrum lectos suorum militum longiores effecisse, ut posteri crederent eum gigantibus imperasse (*l.* 9. *c.* 3.). Sententiam hanc prae aliis defendit Feller (*Catechis. Filos. T.* 1. *l.* 1. *cap.* 2. *art.* 5.). In hac re abundet unusquisque in suo sensu.

EXERCITATIO XXVIII.

De Benedictionibus Iudae datis a Iacob cum iis comparatis, quas idem Iacob Iosepho dedit (Gen. XLIX.).

De celebri illo Oraculo Iacobaeo = *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium,* = nemo est qui in Sacrae Scripturae et Theologiae studio vel mediocriter versatus, ignoret quam multa, quamque utiliter discutiantur, ut inde pateat luculenter contra Hebraeos, qui nunc sine sceptro et sine duce vagantur dispersi, Messiam jam venisse, illum nempe, *qui mittendus erat, quique erat expectatio gentium.* Caetera Interpretibus et Theologis relinquentes, unam proponimus difficultatem, quae non admodum communis est, quaeque exurgit comparando verba superius indicata, cum iis, quae Iacob protulit benedicendo Tribum Ioseph, nempe: *Filius accrescens Ioseph . . . Benedictiones patris tui confortatae sunt be-*

nedictionibus patrum ejus, donec veniat desiderium collium aeternorum, videlicet Messias, ut communiter explicatur. Quibus praemissis sic posset quis argumentari: Si per illa verba: *non auferetur sceptrum de Iuda*, *donec veniat etc.* praedicitur benedictiones non defuturas in Tribu Ioseph donec veniret Messias. At secundum hoc impletum non est in Iesu Nazareno; nam Tribus Ioseph, sive Tribus Ephraim et Manasse septem saeculis pl. m. ante Christum in Assyriorum captivitatem abductae, et in exilium pulsae, benedictiones amiserunt. Ergo pariter vaticinium de sceptro auferendo in adventu Messiae, aut non fuit impletum, aut impletum saltem non fuit in Iesu Nazareno.

Duplex autem modus est respondendi juxta duplicem de Tribubus abductis in captivitatem Assyriacam opinionem. Opinantur namque alii captivitatem illam perpetuam fuisse, ac numquam decem illas Tribus, inter quas Ephraim et Manasse, reversas esse. Id colligitur ex Osee 1. 6. *Voca nomen ejus* (Osee filii) *absque misericordia*, *quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum*. In quem locum Hieronymus: *Decem Tribus usque hodie Persarum regibus serviunt*, *et nunquam est earum soluta captivitas*. Qui sic opinantur, Iacob ajunt praedixisse *benedictiones confortandas* fore in Tribu Ioseph *conditionate*, nempe dummodo, et quamdiu fidelis Tribus illa Deo permansisset, quod cum illa non impleverit, benedictionibus expoliata fuit. In benedictione vero Iudae absolute praedictum fuit: *non auferetur sceptrum*, ut patet ex dicendi modo, et ex eo quod nihil habeatur quod verba illa ad conditionatam phrasim reducere cogat.

E contrario dicunt alii decem Tribus ab Assyria reduces fuisse, unumque populum constituisse cum Tribu Iuda et Beniamin, juxta Prophetiam Ierem. III. 18. *Ibit domus Iuda ad domum Israel*, *et venient simul de terra Aquilonis ad terram*, *quam dedi patribus vestris*. Quod impletum esse dicunt quando Esdras impetrata a Rege Artaxerxe facultate regrediendi in Iudaeam, omnes Iudaeorum et Israelitarum simul reliquias collegit. Vide librum primum Esdrae, et Calmet, qui hanc tuetur sententiam *Dissertatione in Ezechielem*. Notandum vero quod, cum plures ex *Iudaeis*, quam ex *Israelitis* rediissent, et mutua aemulatio per communem captivitatis et liberationis societatem cessasset, omnes inde a reditu in patriam sine discrimine *Iudaei* dicebantur; quo sub respectu fortasse verba relata Osee explicanda sunt.

Qui vero sic opinantur dicunt benedictiones super Iosephum perdurasse quoad sceptrum et dux in Iuda perduravit,

scilicet quoadusque Hebraeorum stetit natio, populus et respublica; ac vaticinium tum de Iuda tum de Iosepho complementum aeque habuisse post obitum ac resurrectionem Nazareni, post Evangelii promulgationem, ac Templi per Titum eversionem, quando scilicet Iudaei, Templo, ara, sacrificio et sacerdotio destituti, benedictionibus Patriarcharum suorum frui amplius non potuerunt.

De his praeter *Commentarium* Calmet, vide *Charmes* (*Theologia Universa. Trac. de Deo Incarnato. Diss. 4. c. 1.*).

SECTIO II.

DE ALIIS PRAETER PENTATEUCHUM V. T. LIBRIS

EXERCITATIO I.

An prodigium sit admittendum in transitu Iordanis? (Iosue III.)

Quod aquae Iordanis vadum sicco pede permiserint Hebraeis, contra naturalem earum gravitatem cursum suspendentes, idque eo tempore, quo fuerat praedictum, et ut Hebraeis victoria donaretur, res est procul dubio miraculosa tum propter eventus substantiam, tum propter circumstantias, iisdem proportionaliter rationibus, quibus transitum per mare rubrum alia *Exercitatione* asseruimus, absque miraculo explicari non posse.

At miraculorum osores, Deistae nempe, et Neoterici quidam Germani, duce Voltaire (*Bibbia spiegata, e la Filosofia della Storia*) sic arguunt. Latitudo fluvii erat 40. pedum. Ergo superposito ponte, facile trajici poterat. Resp. in primis hanc latitudinis mensuram gratis assignari, cum ultra 40. pedes, imo usque ad 75. ex Bullet, Maündrel, Morison, Schaw, aliorumque apud Veith, et Du-Clot relationibus ea pertingeret. Secundo, eo temporis momento (juxta vers. 15.) Iordanis ripae impletae erant, idest fluvius redundabat; quomodo ergo vel pons aedificari, vel hic trajici a tanta multitudine poterat? Adde, quod circa Ierichuntem fluvius duplicem habet alveum, alterum inferiorem ordinarium, latum 70. ad 80. pedes, alterum superiorem, modo 200, modo 600. orgyas latum, qui sub finem Aprilis aquis intumescentibus completur (*Ackermann Archaeol.* §. 18.). Tandem licet de bellis, deque multis Hebraeorum industriis loquatur Scriptura, nunquam tamen de pontibus loquitur, quos proinde in usu apud illos minime fuisse, conjicere haud immerito possumus. Solum 2. Mach. XII. 13. pontis mentio occurrit: *Agressus est* (Iudas) *civitatem quamdam firmam pontibus, murisque circumseptam.*

Negotium vero facessere videtur quod contigerit hoc mense Nisan, qui partim Martio nostro, partim Aprili correspondet. Colligitur id ex Iosue (1) ubi dicitur post paucos dies Hebraeos

(1) *Manseruntque filii Israel in Galgalis, et fecerunt Phase quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus Ierico* (V. 10.).

celebrasse Pascha. At id quomodo cum Textu cohaeret in quo (*vers.* 15.) tempus messis fuisse dicitur? Respondemus ob calidam Palestinae temperiem in mensem Nisan initium messis incidere, quod ex oblatione hordei facienda in Paschate, et tritici in Pentecoste egregie confirmatur. Eadem de caussa, solutis Libani nivibus, Iordanis tunc aquis redundabat.

De his praeter Commentatores vide Veith, et Du-Clot *de Libro Iosue.*

EXERCITATIO II.

Quonam sensu explicanda pluvia lapidum in Chananaeos?

Dicitur (1) (Iosue X. 11.) ab ipso Iosue fugatus esse quinque Reges Reges Chananaeos, atque circa Berthoron contigisse quod ibidim legitur: *Dominus misit super ers lapides magnos de Caelo usque ad Azeca: et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.*

Interpretes aliqui hoc explicant de grandinis procella, quae valido delata vento Dei voluntate in Chananaeos fugientes cecidit; idque 1.° quia dicitur in Textu *lapidibus grandinis*: et Septuaginta habent λίθους χαλάζης *lapides grandinis;* 2.° Eccli. XLVI. 6. *in saxis grandinis virtutis valde fortis*, quod fere idem repetitur XLIII. 16. (2); 3.° phrasi eadem utebantur saepe Hebraei ad indicandam grandinem, uti patet ex Isaia (3) et Ezechiele (4) ommissis aliis; 4.° Habacuc (5), Iosephus (*Antiq. lib. V. cap. II.*) addunt narrationi Iosue, tonitrua, fulgura, imbrem. At alii, inter quos praecipue Masius, Grotius, Bonfrerius, et Vossius, lapidum pluviam interpretantur ad litteram; hocque propter generalem regulam litteraliter Scripturam explicandi, nisi obstet aliquid grave 1.° quia Scriptura diserte ait: *lapides magnos de Caelo*, quod aegre ad grandinem trahitur; 2.° *cum pluit terra*, *cum pluit creta*, *cum lapidibus*, *non ut grando appellari solet hoc nomine*, *sed omnino lapidibus.* Verba sunt haec Augustini (*de Civ. Dei lib. III. cap.* 31.). 3.° Ait

(1) *Cumque fugerent filios Israel, et essent in descensu Bethoron' Dominus misit super etc.*

(2) *In magnitudine sua posuit nubes, et confracti sunt lapides grandinis.*

(3) *Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suae .... allidet in turbine, et in lapide grandinis* (XXX. 30.).

(4) *Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit: erit enim imber inundans, et dabo lapides praegrandes desuper irruentes, et ventum procellae dissipantem* (XIII. 11.).

(5) *Sol et Luna steterunt.... in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastae tuae* (III. 11.).

Scriptura multo plures absumptos fuisse ex grandine illa, quam ex gladio, quod de pluvia lapidum facilius intelligitur.

In hac rei incertitudine duo notamus, ac 1.º non repugnare naturae legibus lapidum pluviam, idque in primis propter similia pluviae hujusmodi exempla, quorum unum refert Livius (*lib. I. Dec.* 1.) in monte Albano Tullo Ostilio Rege; alia Romae et Capuae ex libris ejusdem Livii XV, XXX, XXXI, XXXIV. Scriptor Belli Africani Caesaris (*c.* 47.) *nimbum cum saxea grandine subito exortum* refert. Bene multa citari possent facta hujusmodi, atque nostris ipsis temporibus, Anno 1825. prope Civitatem Centi in terram quamdam, vulgo *Renazzo* lapides quidam per noctem e Caelo delapsi ceciderunt. Deide fieri omnino potest, ut lapides e Caelo descendant, quos Vulcanica quaedam terra eruperit; vel (quod verisimilius nobis videtur) ut per terram, arenam, aliaque in atmospheram turbinis impetu elata, sulphuris materiis adjunctis, nubibusque admixtis efformentur quidam lapidei globuli, qui in terram tandem decidant. Inde *aerolitharum* nomen. Ommittimus plures alios modos, qui Divinae Omnipotentiae praesto esse possunt.

Notamus 2.º in qualibet hypothesi prodigium in hac Scripturae narratione evidentissimum esse, quod non tam ex ipsa lapidum pluvia colligimus, quam ex circumstantiis ejusdem, nempe loci, temporis, durationis, copiae, caedis Chananaeorum, salvis relictis Israelitis. Sane coturnices, quae Hebraeis pluerunt in deserto, naturales quidem erant, modus tamen illius pluviae supernaturalis fuit.

De his plura apud Du-Clot (*Iosue Nota X.*) Calmet (*Diss. in Iosue De pluvia lapidum in Chananaeos*).

EXERCITATIO III.

An prodigium sit admittendum in collapsu murorum Iericho?

Quod muri Iericho, quamtumvis fatiscentes, ac debiles, sacra pompa per dies septem circa civitatem ducta, ac tubarum clangore populique vocibus, dato signo repente corruerint, idque, Deo disponente, Iosue ante resciverit, adeo ut et Iericho ruina, et Hebraeorum victoria subsequuta sit (Ios. VI.); quis sanae mentis negabit apertissimum esse miraculum? Hinc Paullus (*ad Hebr. XI.* 30.) *fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum septem.* Unde Chrysostom. (*Hom. 27. in Ep. ad Hebr.*) *non enim sonus tubarum potest muros dejicere, etiamsi mille annos sonuerit: sed fides potest omnia.*

At omni arte enituntur increduli, ut collapsus murorum fragori attribuantur. Res tamen est ridenda magis, quam con-

futanda. Quandonam, ubinamve gentium industria haec tam potens adhibetur? Si Hebraeorum strepitus quaqua versus (quod notetur) effusus muros urbis dejecit, et cur non primum, arbores, imo Hebraeos ipsos prostraverit? qua ratione per physicas naturae leges haec omnia explicant?

Vide praeter Commentatores Veith (*de Libro Iosue Quaest.* 2.).

EXERCITATIO IV.

An licitum votum Iephte?

Iephte judex Israelis nonus contra Ammonitas pugnaturus, vovit se, ubi victor existeret, eum Deo immolaturum, qui primo sibi revertenti occurreret de foribus domus suae. Dicitur enim (Iudic. XI. 30.): *Votum vovit Domino dicens: si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Occurrit autem propria filia unigenita: *Revertente autem Iephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis et choris*: quam Deo sacrificavit, sicut voverat. De hoc voto quaeritur an sit licitum? Variae autem afferuntur sententiae. Prima asserit votum hoc illicitum, et impium. Ita apud a Lapide Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus; ita etiam Angelicus (2. 2. *q.* 88. *art.* 2.) qui adducit illud Hieronymi: *in vovendo fuit stultus* (Iephte) *quia discretionem non habuit, et in reddendo impius.* Et revera si occurrisset canis, vel asinus, quae lex prohibebat offerri, quid fecisset? Si homo? At omne jus prohibet litari hominum sanguinem.

Secunda sententia asserit votum illud fuisse pium, ac sanctum. Ita S. Anselmus, Ferrarius, Salianus, aliique; 1.° quia vers. 29. dicitur eo loco: *factus est ergo super Iephte spiritus Domini*; 2.° quia Deus victoriam concessit Iephte; 3.° quia apud Ecclesiasticum (1) et Paullum (2) Iephte inter sanctos numeratur.

Tertia fere inter recensitas sententias media, quae est Cornelii a Lapide in hunc locum, docet votum hoc fuisse per se illicitum, ut probant argumenta primae sententiae; Iephte tamen excusari ex ignorantia, et religionis zelo; nam 1.° fuerat

(1) *Et judices singuli suo nomini, quorum non est corruptum cor, qui non aversi sunt a Domino* (XLVI. 13.).

(2) *Et hi omnes* (inter quos Iephte) *testimonio fidei probati* (ad Hebr. XI. 39.).

is militaris homo, in quo, ait a Lapide, hujusmodi error idcirco facile esse potest: 2.º exemplum Abraham forsitan respexit: 5.º victoria a Deo data opinionem erroneam facile in eo confirmavit.

Quarta sententia est tandem, Iephte suum votum implevisse non veram filiae suae mortem inferendo, sed civilem solum, eam scilicet ad virginitatem perpetuo servandam compellendo, et Tabernaculi servitiis addicendo. Sententiam hanc, quae, ut patet, praecipua vitat incommoda, quae contra votum Iephte objici solent praeter Malvendam, aliosque veteres nonnullos, tuentur Granelli (*Lez.* 236. 237.) et Du-Clot (*in hunc locum*). Eorum systema hisce principiis constabilitur.

1.º Ubi vulgata nostra habet: *eum holocaustum offeram Domino*, Hebraeus habet: וְהָיָה לַיהוָֹה וְהַעֲלִיתִיהוּ עוֹלָה *erit Deo, et offeram illud holocaustum.* Particula *et* (hebraice) disjunctivum potest habere sensum. Quare sic votum explicari potest: occurrentis mihi *oblationem faciam Deo*, *vel etiam holocaustum*, si hoc fieri possit. 2.º Ubi Vulgata nostra babet: *fecit ei, sicut voverat quae ignorabat virum*, legitur in hebraeo: וְהִיא לֹא יָדְעָה אִישׁ *et ipsa non cognovit virum*, quae verba voti effectum indicantia, superflua essent, si mortua illa foret. 5.º Virginitatis pondus luxisse solum filiam Iephte (quam *Seilam* nomine appellat Philo) ostendunt illa: *dimitte me..... ut plangam virginitatem meam.* Eandem etiam ob caussam dici potest Iephte doluisse, quod nempe spe posteritatis orbaretur, ut indicant illa, quae doloris Iephte rationem continent: *non enim habebat alios liberos.* 4.º Inauditum ac turpe apud Hebıacos habebatur sanguinis humani sacrificium. E contrario in usu atque honore fuisse mulieres loci sacri servitio consecrari innuunt: Exod. XXXVIII. 8., ubi fit sermo de mulieribus, *quae excubabant in ostio tabernaculi*: 1. Reg. II. 22. ubi de mulieribus, quae observabant ad ostium *tabernaculi*; 2. Mach. III. 19. ubi: *virgines, quae conclusae erant*: Luc. XI. 37. ubi de Anna Prophetissa.

Videbis Calmet (***Diss. in Iudices***), nec non Nat. Alex. (***actat. 4. diss. 19.***).

EXERCITATIO V.

An credibilia sint quae narrantur in historia Sampsonis de Apibus, de 300. vulpibus, de maxilla Asini? (Iudic. XIV. XV.).

In his omnibus habent increduli quod rideant, quippe quae eorum opinione absurda, nihili auctoritatem facientes Sacrae Scripturae, historiae claritatem, simplicitatemque, nec non communem Patrum, et Interpretum explicationem. Opponunt circa primum fieri non potuisse, ut apes leonis mortui carni adhaererent, quae facile putrefacta erat, praesertim cum leonis cadaver corruptioni magis quam caetera animantia subjiciatur. Sed, ut respondeamus, quid si leonis cadaver, jam carne absumpta, assicatum foret? Quod ita contigisse ostendit 1.° Versio Syriaca, quae habet: *cadaver osseum;* 2.° vulpium multitudo, ac voracitas, quae omnem carnem cibo consumere potuerunt; 3.° temporis tractus a lionis morte ad examinis inventionem, nempe solidus annus, quod spatium apud Hebraeos (quorum morem probabiliter secutus est Sampson) inter sponsalia, et matrimonium intercedere debebat, ut clare innuitur in *Misna* Cap. V. titulo *Chetuboth*, idest *Regulae nuptialium pactorum.* Quomodo ergo Vulgata ait: *post aliquot dies?* Respondemus Vulgatae significationem ex hebraico Textu, et ex Versione τῶν LXX. trahendam esse, ubi simpliciter dicitur: *post dies.* Ita etiam de Cain, dicitur obtulisse de fructibus *post dies* ad indicandam anni fortasse periodum. Vid. Calm. *in Gen. IV. 3.*

Circa secundum, ajunt, a veri similitudine abhorrere numerum 300. vulpium, quarum caudae singulae cum singulis connecterentur; quae ad segetum combustionem facta narrantur. Sed nos e contrario duobus modis historiae credibilitatem evincimus. Primo namque idem nomen שעל hebraicum significat nedum *vulpes*, verum etiam *manipulos*; aliud זנב aeque exprimit caudam, ac quamvis extremitatem. Ergo explicari potest incendium non per vulpes colligatas, sed per manipulos accensos, qui segetes comburerent, quod nihil habet extraordinarium. Favet huic explicationi versio Arabica, quae legit: *Sampson arripuit trecentos manipulos. . . . . imposuit titionem inter duos.* Vide Du-Clot in hunc locum. Secundo: licet etiam id de vulpibus intelligatur, nulla invenitur repugnantia; nam 1.° Palaestina quam maxime vulpibus abundat, quod probari potest ex

testimoniis Cantic. (1), Ierem. (2), Ezech. (3), nec non viatorum, inter quos Morison qui (*l.* 2. *c.* 31.) ait: *Si critici increduli scirent, sicut ego compertum habeo, Philistiim regionem maxime multitudine vulpium affluere, haud ulterius in incredulitate subridentes inquirerent: quomodo, et quo in loco Sampson tot vulpes potuerit reperire.* 2.° Non cogimur historiam ita intelligere, ut Sampson non adhibuerit socios, atque adjutores, et tempus non impenderit necessarium. 3.° Cum evidenter in Sampsone digitus Dei appareret, auxilium divinum addere possumus humanae industriae. Nomine *Vulpium* שְׁעָלִים *canes* quoque *aurei* seu feri, qui et *Schaghâl* sive *Schachal* in oriente appellantur, apud Hebraeos veniebant. Haec animalia, inter canem, lupum et vulpem media, gregalia sunt, interdiu in antris latent, noctu vagantur et ululant. Magna est eorum in Palaestina copia, in primis in Galilaea, ad Gazam et Ioppem (v. *Ackermann*, *Archaeol* §. 51.). Quae explicatio et est communior, et Vulgatae verbis conformior. In illius confirmationem adduci solent *Vulpinalia* Romanorum, de quibus Ovidius (*Fast. l. IV. v.* 701.). Die XIX. Aprilis Vulpes plures in Circo, taedis ardentibus dorso colligatis, huc illuc discurrere permittebantur. Serarius, et Bochartius ritus hujus originem in historia Sampsonis reperiunt satis probabiliter; ex quo et explicationis confirmatio jam factae, et copiae vulpium verisimilitudo hauriri potest.

Circa tertium, fabulam sapere, ajunt, quod unus homo cum asini maxilla fons diu perseverans, ut communius dicunt interpretes, scaturierit. Ar relate ad caedem, satis fuerit adnotare magnas Sampsoni vires fuisse; deinde addere Textum (XV. 14.) *irruit spiritus Domini in eum;* nempe ut Hebraeorum judicem, ac vindicem. Relate ad fontem scaturientem pariter satis esset respondere, non esse *impossibile apud deum omne verbum.* Nihilominus Calmet, aliique Textui adhaerentes, et Paraphrasi chaldaicae, dicunt per maxillam asini, ex qua erupit aqua, intelligendam esse petram sic appellatam vel a forma, vel potius ex eo quod Sampson post caedem maxillam dejecerit in petram. Miracula sane non sunt sine necessitate multiplicanda.

Praeter Commentaria Calmet, aliorumque, consule de his Veith Quaestionibus *de libro Iudicum.*

(1) *Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas* (II. 15.).
(2) *Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo* (Thr. V. 18.)
(3) *Quasi vulpes in desertis, prophetae tui Israel erant* (XIII. 4.)

EXERCITATIO VI.

An Sampson licite se se occideret?

Iudicum XVI. narratur quomodo Sampson vindictam sumpserit de Philistaeis, contra quos ut Iudex Israelis pugnaverat, et a quibus per fraudem captivus fuerat factus. Legitur autem vers. 30. *Moriatur anima mea cum Philistiim: concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes, et caeteram multitudinem, quae ibi erat.* Quaeritur an se ipsum occidendo Sampson peccaverit? Respondetur non peccasse Sampsonem. Primo enim Paullus ad Hebraeos (1) numerat inter Sanctos Sampsonem, quem a fide et a fortitudine laudat. Secundo id probatur auctoritate Augustini, qui (*De Civ. Dei l.* 1. *c.* 21.) ait: *nec Sampson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppresserit, nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* Tertio, ait Mabillon in *notis* ad S. Bernardum: *Sampson non directe se ipsum occidit, sed permisit tantum sui mortem*, directe volens liberationem populi sui, et Dei gloriam, fere ut Eleazarus se Elephanti supposuit pro populo 1. Machab. VI. 46. *Non eligitur*, ait Cajetanus apud a Lapide, *in his casibus mors propria in se ipsa, sed per se eligitur mors hostium et concomitans propria mors toleranda admittitur propter bonum ultionis. Sic princeps exercitus prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit.*

Quod si Sampson de suis hostibus vindictam quaesivisse videtur (*Iudic. XVI.* 28.) *Domine Deus memento mei et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis*, notandum quod hoc de publica asserebat vindicta, de gloria Deo reddenda, ab idolo Dagon auferenda, et quod Sampson ut populi judex loquebatur.

Obiter addimus plurimas Gentilium fabulas a clarioribus Scripturae factis originem probabiliter trahere tum ex Patrum multorum auctoritate, quos citat a Lapide (*in Iudic. XVI.* 20.), tum ex similitudine rerum, tum ex eo quod libri sacri in manus venerint Gentilium. Ita a Sampsone fabula Herculis, a filia Iephte Iphigenia in Aulide, a Gigantibus Titani, ex diluvio Noe diluvium Deucalionis, campi, hortique Elisii ex Paradiso terrestri etc. De hac opinione consule Huet. *Dem. Evang. Prop. IV.* ac nostram *Exercitationem De iis, quae ex Scri-*

(1) *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampson etc.* (Ad Hebr. XI. 32.).

ptura Gentiles excerpserunt Sect. IV. De Sampsonis vero morte plura apud Commentatores et Veith, ut in *Exercit.* praecedenti.

EXERCITATIO VII.

Quid de Davide simulante se stultum, et coram Arca saltante?

Regum I. XXI. narratur quod David, ut ab Achis rege Geth se subduceret, ne in Saulis manus ex servorum insidiis traderetur, stultum se effinxit: *Et immutavit os suum coram eis, et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portae, defluebantque salivae ejus in barbam. Et Achis ad servos suos: vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? an desunt nobis furiosi quod introduxistis istum, ut fureret me praesente?* Quaeritur an David peccaverit ista simulatione?

Respondetur communiter Davidem non peccasse: 1.° quia videtur id fecisse Dei instinctu, tunc enim composuit Psalm. LV. *Miserere mei Deus quoniam conculcavit me homo* etc., et inde recedens, atque in speluncam Odollam fugiens composuit Psalm. XXXIII. *Benedicam Dominum* etc. 2.° quia ex S. Thoma (2. 2. *Q. CXI. art.* 1.) simulatio non est mendacium, quando simulatio aliquid significat, et ad illud significandum simulatione utimur: uti cum Christus finxit se longius ire, ut se ab illorum discipulorum fide longe esse significaret. Porro similitudo Davidis, ait Thomas, fuit *figuralis.* Figuravit scilicet ille Christum, qui a Iudaeis habitus est delirus, quique collapsus est in manus Iudaeorum, aliaque videnda apud a Lapide. 3.° David non asseruit se esse stultum, sed justa de caussa, veritatem occultavit, quae satis ex circumstantiis conjici poterat. Ergo non est mentitus, et consequenter non peccavit.

Quod ad alterum 2. Reg. VI. 14. narratur, quod in translatione Arcae de domo Abinadab in domum Obededom, ut inde in Sion collocaretur: *Cum transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus immolabat* (David) *bovem et arietem et David saltabat totis viribus ante Dominum. . . . . cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram vidit regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino.* Quaeritur autem quomodo David licite potuerit choreas ducere? Respondetur vel choreae illicitae putantur tamquam indecorae Regis majestati, vel propter pericula, quae contra morum honestatem choreas comitantur. Quod ad primum satis est, quod ait Ambrosius (*Apolog. Davidis Cap. VI.*) docens: David *contuitum regalis potentiae non*

habendum ubi religioni exhibetur obsequium. Honestum est enim pro religione facere, etsi id incongruum sit potestati. Si de periculo agatur, dicendum choreas si malo fiant fine, aut cum discrimine pudicitiae in se, aliisve amittendae, certe malas esse, et hoc sensu a Patribus, Teologisque damnatas. At per se choreae sunt indifferentia laetitiae signa, et juxta finem et circumstantias, laudabiles esse possunt. Hujus rei argumenta ducuntur primo ex Scriptura. Iuxta Interpretes Exod. XV. 20. saltarunt Hebraei in gratiarum actionem post transitum maris rubri; saltabant Hebraei (juxta multos) in Festo Tabernaculorum (1); saltarunt foeminae (2) ob caesum a Davide Goliath; Eccle. III. 4. dicitur: *tempus plangendi et tempus saltandi.* Refert etiam a Lapide (*in* 2. *Reg. VI.* 14.) (3) in Hispania et India pueros choreas ducere ante Ven. Sacramentum, idque tamquam testis confirmat Rodriguez (*Esercizj di Perfezione Part. II. Tract.* 1. *c.* 15.). Cur igitur Davidem laetitia sancta gestientem, ac ante Arcam saltantem damnabimus? Rectitudinem animi sui ostendit ille satis, dum reversus domum suam Michol eum ob choreas irridenti ait: *ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, et quam omnem domum ejus, et praecepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israel, et ludam, et vilior fiam plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis.*

Vide Commentatores.

EXERCITATIO VIII.

An licuerit Davidi bellum gerere in Saulem?

Davidem jus habuisse, bellum, etiam offensivum suscipiendi contra Saulem, huncque occidendi, tenent multi cum Lessio (*de Iust. et jure l.* 2. *c.* 9. *dub.* 8. *num.* 45.). Horum, praecipua saltem, argumenta sunt: 1.º ex defensionis jure: notum est enim tum Saulem injuste persecutum esse Davidem tot modis, quot in historia I. Regum apparet; tum quemlibet jus habere contra injustum aggressorem. 2.º David jam in Regem unctus a Samuele jus habebat ad Regnum, et ideo bellandi contra Saulem, qui ipsi injuste vitam cum regno eripere conabatur. 3.º

(1) . . . . . *et laetabimini coram Domino Deo vestro.* (Levit. XXIII. 40.).

(2) *Porro cum reverteretur percusso Philistaeo David, egressae sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, corosque ducentes etc.* (1. Reg. XVIII. 6.).

(3) *Et David saltabat totis viribus ante Dominum. Porro David erat accinctus ephod lineo.*

Deus ipse contulisse videtur Davìdi plenum in Saulem jus. Cum enim Saul in Engaddi spelunca delitescebat (1. *Reg. XXIV.* 5.) *dixerunt servi David ad eum: ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis:* de praesidio vero Saul in deserto Ziph, (1. *Reg. XXVI.* 12) dicitur: *sopor Domini irruerat super eos.*

Abulensis tamen (*qu.* 12.) cum aliis negant Davidi jus gerendi hujusmodi bellum contra Saulem, ita ut vitam ipsi auferre potuerit; idque argumentis hisce praecipue: 1.° David ab hac caede semper abhorruit, et Saulis occisorem severe punivit. 2.° Saul erat rex, David privatus homo; unctio enim prius facta Davidem regnaturum solum designaverat post mortem Saulis. 3.° Nullibi apparet Davidem hoc jus a Deo accepisse. Non ex unctione, ut antea dictum est; neque ex adductis verbis servorum Davidis; quae verba explicari possunt cohaerenter ad modum, quo se gessit David, scilicet voluisse Deum occasione speluncae (ut in deserto Ziph 1. Reg. XXVI.) Saulem in manu Davidis tradere ad hujus clementiam, atque moderationem tentandam. Simili ratione opinantur Theologi illicitum fuisse Davidi arma positive contra Israelis regnum adhibere, unde cum David (1. Reg. 28.) societatem cum Gethaeis inire se ostendit, contra Israelem peccasset, nisi simulato tantum animo, ut ex contextu apparet, id egisset.

Nos, rebus omnibus attente perspectis, quaesito respondemus hoc pacto. Ius certe habuit David gerendi bellum *defensivum* contra Saulem, ea omnia praestando (simulationibus ejus ad summum exceptis, de quibus alii alia) quae revera praestitit, ac narrat Scriptura. Hoc asserere cogit et injustitiae evidentia, qua Saul Davidem persequebatur, et Davidis prudentia, ejusque vitae sanctitas, qua prophetas, et sacerdotes consulebat, et favor, quo Deus in illo rerum statu Davidem prosequutus est, quin unquam hoc nomine eum reprehenderet. Quae narrantur 1. Regum praesertim, nec non primae sententiae argumenta id saltem evincere credimus. At jus gerendi *offensivum* bellum, Saulemque occidendi Davidi denegamus propter rationes, quas secundae sententiae patroni afferunt.

Vide Commentatores, et Calmet praesertim *in* 1. *Reg. XXIV.* Conf. Bossuet (*Avvert. ai Protestanti*, *Avvert. V.* § 27.).

EXERCITATIO IX.

An Samuel ipse apparuerit Sauli post mortem?

Legitur 1. Reg. XXVIII. quod Saul petens a Pythonissa ut Samuelem videre posset, cum consulturus de populi, suique sorte in bello contra Philistaeos, vidit reipsa Samuelem apparentem. Dixit autem Samuel ad Saul: *Quare inquietasti me, ut suscitarer? et ait Saul: coarctor nimis: siquidem Philistiim pugnant adversum me, et Deus recessit a me, et exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per somnia. Vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. Et ait Samuel: quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te, et transierit ad aemulum tuum? faciet enim Dominus sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David, quia non obedisti voci Domini.* Quaeritur an Samuel revera apparuerit, an phantasma?

Ommissis variis hac de re opinionibus, quas Calmet infra citandus recenset, prima sententia, quae est Theodoreti, Tertulliani, Ruperti, Bedae et aliorum, quos citat a Lapide, censet phantasma apparuisse: 1.° quia anima Samuelis sancti obedire non poterat Pythonissae loquenti Daemonis spiritu: 2.° qui Sauli apparuit, dixit (*vers.* 19.) *cras autem tu, et filii tui mecum eritis.* Porro Samuelis anima erat in limbo, Saul autem moriens magica superstitione implicatus, ac aliis peccatis pollutus in infernum descendere debebat.

Secunda sententia, quae est Ambrosii (*c.* 1. *in Lucam*), Hieronymi (*in c.* 7. *Isaiae*), Augustini (*de cura pro mortuis*), aliorumque, quos Nat. Alex. citat, nec non Tostati, Lirani, a Lapide cum aliis Commentatoribus bene multis, censet veram animam Samuelis in corpore assumpto (ut Angeli non semel fecerunt) apparuisse; idque 1.° quia laudatur Samuel (1) eo quod etiam post mortem prophetaverit. 2.° Ex contextu sermonis in lib. Reg. ubi ipse Samuel nominatur, describitur, interrogatur, loquitur, et prophetat. 3.° Eventus rei probavit verum interfuisse oraculum Dei, non Daemonis, qui futura contigentia, et libera saltem perfecte non cognoscit.

Porro cap. XXVIII. 12. legitur: *cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul: quare imposuisti mihi?* Hinc secundae sententiae patroni inferunt Samuelem, incantationes Daemonis praeveniendo, jussu

(1) *Et exaltavit* (Samuel) *vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis* (Eccli. XLVI. 23.).

Dei adfuisse. Sunt tamen inter illos aliqui, qui nullum admirationi locum esse affirmant, si Daemon ante mortem Christi etiam in animas Sanctorum agere potuerit, uti manus in Iob injecit, et Christum ipsum supra Templi pinnaculum sustulit. Isti consequenter dicunt Pythonissam exclamasse: *quare imposuisti mihi?* perterrefacta praesentis Prophetae majestate, aut simili alio motivo.

Quod si Samuel dixit ad Saul: *mecum eris*, hoc ita explicatur: mecum eris in mortuorum statu, non praecise in limbo. Quod si etiam Samuel dixit: *quare inquietasti me*: hoc dixit quia Saul ritu magico eumdem tentabat, aut revera, juxta superius dicta, arte magica eum revocavit.

Vide *Dissert.* Calmet *in* 1. *Reg.*, Nat. Alex. *aet.* 4. *Diss.* 23.

Nota. Spiritus *Pythonis* graeca phrasi indicat *spiritum Apollinis Pythii*, cujus famosa erant oracula. In textu hebr. mulier illa dicitur בַּעֲלַת־אוֹב, hoc est *Domina revertendi*, nempe ut animae mortuorum *reverterentur*: in Versione τῶν LXX. habetur: *Quaerite mihi foeminam ventriloquam.*

EXERCITATIO X.

Quomodo Oza morte punitus sit?

Quando Arca jussu Davidis e domo Abinadab transferebatur in domum Obededom, calcitrantibus bobus vectoribus plaustri, in quo erat Arca, haec declinata est. Oza, qui simul cum Achio fratre plaustrum ducebat, extendit manum ad illam, ne caderet. Sed Oza illico morte a Deo percussus obiit, ut videre est 2. Reg. VI., et I. Paral. XIII.

Quaeritur cur tam severe punitus sit Oza ob actum, qui religiosus videtur? Variae, quae a Patribus, et Interpretibus assignantur, caussae, hic subjiciuntur.

1.° Imaginantur aliqui peccatum quoddam occultum Ozae, quo pollutus nihilominus arcam tangere sit ausus.

2.° Dicunt plures alii cum Hieronymo Ozam peccasse, quia Arca plaustro non erat vehenda, sed vectibus portanda, uti praescribitur 4. Num., et ut postea David faciundum curavit. Punivit porro Deus peccatum cum effectus negligentiae secutus est, nempe cum Arca periculum subiit.

3.° Abulensis cum aliis damnat Ozam, quia extenderat manum in exiguo periculo. Dicitur enim 1. Paralip. XIII. 9. *bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam.*

4.° Peccavit Oza, inquiunt nonnulli, quia vestibus sacris

non erat indutus, nec desunt, qui Ozae peccatum ex eo conjiciant quod ob uxoris usum in nocte praecedente esset immundus.

5.º Communius Ozam peccasse dicunt, quod cum non esset sacerdos arcam tangeret contra legem latam Num. IV. XVIII. per quam hujusmodi munus Sacerdotibus solum commissum erat, et Levitis sub poena mortis prohibitum. Congruit hoc cum textu, qui ait: *et percussit eum eo quod tetigisset Arcam.* Congruit etiam cum eo quod Iosephus docet (*l. 7. Antiq. c. 4.*) *Cum boves declinassent arcam, extendens ille* (Oza) *manum suam, et volens eam retinere, cum sacerdos non esset, cum eam contingere praesumpsit, extinctus est.* Tandem id confirmatur ex 1. Paralip. XV. 13. ubi David cum rursus Arcam transferri jussit, Sacerdotes vocavit subdens: *ne ut a principio, quia non eratis praesentes, percussit nos Dominus, sic et nunc fiat.*

Non incongrue posset peccatum hoc explicari plura simul jungendo, transgressionem nempe legis Numerorum, qua cavebatur ne quis praeter Sacerdotes Arcam tangeret: Ozae deinde conditionem, cum nullum habeatur satis certum argumentum affirmandi eum fuisse Levitam, multo vero minus de stirpe Caath, cui solum concessum fuerat in deserto vehere sacra: tandem post ingressum in Canaan semper Arcam a Sacerdotibus fuisse latam. Videatur Calmet in *Commentario.*

Abulensis, quem multi sequuntur, censet, Deum per hanc mortem Ozam a morte aeterna liberasse; imo ajunt aliqui Ozae culpam fuisse levem, et in exemplum a Deo tam severe punitam, ut reverentia erga res sanctas commendaretur.

Ex 1. Paralip. XIII. locus in quo id contigit *divisio Ozae* nomen habuit. Oza autem *vim* significat.

Plura epud Commentatores.

EXERCITATIO XI.

An credibile sit ingens capillorum Absalomi pondus?

De Absalomo legitur 2. Reg. XIV. 26. *Et quando tondebat capillum* (*semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum caesaries*) *ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis* (1) *pondere publico.* Non dubitat a Lapide de reali capillorum pondere verba haec explicare juxta eorum obvium sensum. Hoc enim, inquit, adducitur a Scriptura, uti res rara

(1) Pondus hoc superabat 8 libr. rom. Vid *Inst. P. II. de ponderibus.*

ac nova. Neque illud pondus, addit, aeque gravabat caput Absalom, ac pondus aliud extrinsecum; nam coma erat capiti illi connaturalis, unde non tam difficile sustentabatur. His addi potest pondus capillorum naturale crevisse pulveribus, unguentis, aliisque, quibus coma facile nutriebatur. Sed si hoc minus credibile videatur duo assignantur, ut quod fidem superare videtur, auferatur.

Primo juxta Pelletier (*Diario Trivultiensi Mens. Aug. An.* 1702.), Calmet, et Du-Hamel (*in hunc locum*) sumi potest pondus juxta rationem Babylonensium, non vero Hebraeorum. Illi porro pondera habebant longe his inferiora: atque ita ut siclus babylonicus, referente Calmet, tertiam Hebraeorum sicli partem aequaret; unde pondus 200. siclorum ad 33. uncias pl. min. redigitur, quod difficultatem non ingerit. Hypothesim vero suam probant auctores citati, ex eo quod in Vulgata dicatur de illis 200. siclis *pondere publico*: in hebraico vero בְּאֶבֶן הַמֶּלֶךְ *in pondere regio*. Deinde auctor librorum Regum soluta captivitate scripsit, unde eo tempore, iisque personis scribebat, quae rerum hebraicarum oblitae, Chaldaeorum usibus assueverant.

Secunda hypothesis, quae Tirini est, aliorumque, siclos sumit 200. non pro capillorum pondere, sed pretio. Capillis enim detonsis utebantur pro comis fictitiis puellarum praesertim, unde pluris vendebantur. Quod si mirum videatur Absalomum, juvenem scilicet regium, quaestum ex capillis suis fecisse, respondent venditos non fuisse capillos ab Absalom ipso, sed ab illis fortasse famulis, quibus Absalom donabat.

Notamus autem, ut difficultas magis magisque auferatur, pondus 200. siclorum sive pretium juxta Scripturae narrationem non esse trahendum solum ad capillos detonsos, sed ad integram Absalom caesariem, nempe ad illos quoque capillos, qui in capite remanebant, et quorum pondus desumebatur ex pondere comae praecisae.

Vide de his Veith (*Quaest. XXVIII. de lib. 2. Reg.*) et Commentatores (*in hunc locum*) Calmet praesertim.

EXERCITATIO XII.

Curnam tanta poena ob censum populi factum a Davide?

Ob censum hujusmodi pestilentiam immissam a Deo fuisse constat ex 2. Reg. (1) et 1. Paralip. (2). De hac poena teste Bullet (*Reponses Critiques T. II. num.* 34.) valde queruntur increduli. Dico autem primo Davidem peccasse non propter censum in se spectatum, sed ob circumstantias, et fines. Cum enim tunc temporis summa esset in regno pax, nulla necessitas, utilitas nulla censum hujusmodi postulabat. Hoc ipsum Ioab aperte exposuit regi (ut ex 2. *Reg. XXIV.* 3., 1. *Paralip. XXI.* 5.) Tribuendum est ergo inane hoc studium Davidis ambitioni, fastui, ipsiusque superbiae. Deinde sine consilio censum instituens, scandalum ille peperit, occasionemque populo porrexit legem illam violandi (Exod. XXX.), ex qua singuli, dum census fieret, hemisiclum debebant in usum sacrum pendere.

Dico secundo populum sine injustitia obnoxium fuisse pestilentiae; nam omnes peccata alia purganda habebant: idem malum in poenam Regi aliisque nocentibus, et in virtutis exercitium innocentibus cedere poterat. Addit Calmet (*in* 2. *Reg. XXIV.* 17.) *Si peccatum populi ultionem in se Dei provocat, quis magis quam princeps punitur? Et si crimina principis e Caelo flagellum cient, sane populus caeditur.*

Vide Veith (*Quaest. XXXIII. de lib.* 2. *Reg.*)

EXERCITATIO XIII.

An licita fuerit simulatio Iehu?

Iehu, qui unctus fuerat in Regem Israel, familia Achab Dei jussu deleta, omnes etiam Baal cultores delere voluit, quos Achab fovebat. Hoc autem consilio usus est. Finxit se velle Baal adorare; invitavit, imo compulit idololatras omnes in unum locum convenire ad sacrificium secum Idolo offerendum. Ibi omnes, ac solos Baal cultores congregatos occidit. Omnia describuntur 4. Reg. IX. X.

(1) *Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, et mortui sunt ex populo, a Dan usque ad Bersabeae, septuaginta millia virorum* (XXIV. 15.).

(2) *Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel: et ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum* (XXI. 14.).

Quaeritur an simulatio ista Iehu licita fuerit? Resp. Illicitam putat 1.° August. (*lib. contra mendacium c. 2.*) ubi hoc Iehu mendacium vocat impium, addens nunquam licere religionem falsam simulare. Illicitam quoque putat Angelicus (*2. 2. quaest. CXI. art. 1. ad secund.*) *Simulationem vero Iehu non est necesse excusari a peccato, vel mendacio, quia malus fuit, utpote ab Idololatria Ieroboam non recedens.* Et revera Iehu perniciose mentitus est, atque ita, ut simulans ipse idololatriam imo profitens, aliis scandalum praebuerit. Notentur illa Iehu verba: *Achab coluit Baal parum: ego autem colam eum amplius .... Porro Iehu faciebat hoc insidiose*, addit textus (X. 18. etc.). Hisce fundamentis innixi putant non pauci Iehu graviter peccasse, et propter religionis simulationem, et propter mendacium perniciosum.

Non desunt tamen alii, qui Iehu a religionis simulatione excusent, atque a mendacio his argumentis, de quibus esto apud cordatos judicium. 1.m Iehu non intendebat serio colere Baal, sed directe intendebat omnes Baal cultores ad ipsorum internecionem, ac ruinam simul colligere, simulans, ac fingens se quoque adorare velle. Quare ait Hieronymus (*in c. 2. Epist. ad Galatas*) *Utilem simulationem et assumendam in tempore, Iehu regis Israel nos docet exemplum.* 2.m Exiguum temporis intervallum ostendit animum loquentis plane contrarium: unde mora illa pro nihilo reputatur. 3.m Iehu non jussit, neque Baalitas hortatus est ad sacrificium; verum illis verbis: *ego colam:* Baalitis occasionem dare intendit, ut animum suum aperirent, uti princeps exploratores mittit ad hostes, et uti Chusai apud Absalonem consilia dissipavit Achitophelis (2. Reg. XV.). 4.m Magna erat illo tempore, ac loco in rebus religionis confusio; quapropter parum, aut nihil unius, vel alterius exemplum commovebat. 5.m Baal juxta etymon est: *omnis dominus.* Ergo ambiguum nomen est. 6.m Denique Iehu a Domino postea laudatus et remuneratus est illis verbis (4. Reg. X. 30.) *Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis; et omnia, quae erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Notandum tamen his verbis nullam de Baalitarum occisione mentionem fieri.

Tertia opinio actionem Iehu damnat in se ipsa inspectam, personam Iehu absolvit ob conscientiam inculpabiliter erroneam. Rationes ducuntur partim a verbis Domini ad Iehu antea relatis, partim ex quo Iehu homo erat militaris, ait a Lapide, zelo fervens pro cultu Dei, haecque coram Ionadab viro piissimo agens.

Abundet unusquisque in sensu suo.

Vide Commentatores.

EXERCITATIO XIV.

An Eliseus Naaman Syro veram permiserit simulationem?

Naaman princeps militiae Regis Syriae, Eliseum, a quo sanationem leprae obtinuerat, sic allocutus est (4. Reg. V. 17. 18. 19.) *non faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingreditur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super manum meam si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei: vade in pace*, Quaeritur an actio hujusmodi fuerit idololatrica? An insuper praebens scandalum? Licet enim osores auctoritatis Scripturae ac Religionis conentur hic detegere agendi rationem nedum legi, verum etiam Elisei sanctitati contrariam, Catholici tamen omnes contra sentiunt, quamvis non eadem via incedant.

1.° Sunt qui fatentur Naaman rem quidem illicitam postulasse; Eliseus vero, juxta ipsos, id minime approbavit, sed tantum dissimulavit, ac nihil dicere voluit per illa verba — *vade in pace.* Quod Eliseus elegit, inquiunt, ne Naaman neophytum in scrupolos, et peccandi periculum adduceret. Hoc tamen multis non placet, cum Eliseus sic actum idololatriae fovisset, ac confirmasset.

2.° Sunt qui dicunt, Naaman veniam de praeteritis postulasse, non licentiam pro futuro. Vide Calmet (*Diss. in 4. Reg. De prostratione Naamani coram Remmon*). Nituntur autem textui hebraico, nec non chaldaico, in quibus juxta ipsos non legitur — *si adoravero*, sed *si adoravi.* Feliciter isti omnibus satisfaciunt difficultatibus, quas Deistae in id effutiunt, quod de Naamano, et Eliseo in Scriptura narratur; sed non ita feliciter respondent iis, qui contra eos urgent Vulgatae auctoritatem, et phrases Scripturae prout leguntur in hebraeo, chaldaeo, et graeco juxta Biblia polyglotta Ximenii. Vide Veith (*in 4. Reg. Quaest. LXI.*).

3.° Communiter theologi, ac interpretes asserunt illud, quod facere postulabat Naaman consensionem non fuisse in idololatriam, sed civile officium eo tantum spectans, ut Regi genuflectenti ipse satrapum more auxilio suo praesto esset; sive, quod idem est, materialem solum fuisse cooperationem, atque ex Naamani circumstantiis licitam. Neque inde, dicunt, scandalum oriebatur; nam ex una parte nemo erat, quem lateret Naaman jam mutata religio; ex alia vero patebat civile officium Naaman erga Regem. Ita Nat. Alex. (*aetate 5. diss. 7.*). Ita passim alii.

Obiter noto *Remmon* (רִמּוֹן *Rimmôn*) hebraice significare vel *excelsum* vel *malum punicum*, quod ad nomen; quod ad rem autem idolum Syriee primorium, quod alii dicunt Solem, alii Venerem, aut Iunonem.

EXERCITATIO XV.

An Salomon salvus sit nec ne?

De Salomone (3. Reg. III. 12.) dicitur: *Ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi cor sapiens, et intelligens in tantum, ut nullus similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit:* (2. Reg. XI. 4.) *cum jam esset senex depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.* Quaeritur an sapiens ille Salomon salvus, vel damnatus dici debeat?

Prima sententia damnatum esse affirmat, idque 1.° Patrum auctoritate, ut Cypriani (*Ep. 6. ad Rogatian.*) Augustini (*l. 7. de Civ. Dei c. 20. aliisque locis*) Chrisost. (*serm. de poenitentia*) Prosperi (*P. 2. de Praed. c. 27.*) Bedae (*Quaest. 29. in libros Regum*) aliorumque, quorum opinionem sequitur Bellarminus (*De Verbo Dei l. I. c. 5.*). 2.° Scriptura narrat quidem Davidis poenitentiam (2. Reg. XII.) Manassis (2: Paralip.), sed de Salomonis poenitentia altum tenet silentium. 3.° Si Salomonem poenituisset, abstulisset praecipue idola, quae primus ipse Rex Israelis in Iudaeam invexit. Sed ea reliquit. et perdurarunt usque ad Iosiam, idest per 300. annos, ut ex 4 Regum XXIII. 13. *Excelsa... quae aedificaverat Salomon Rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum, et Chamos offensioni Moab, et Melchom abominationi filiorum Ammon polluit Rex*, (idest *Iosias*).

Secunda sententia affirmat Salomonem salvum factum fuisse, haecque probatur: 1.° Auctoritate Ambrosii (*Apologia posteriore de Davide c. 3.*) Hieronymi (*Epist. ad Salvinam*) quibus accedunt alii multi. 2.° Post lapsum scripsit Ecclesiasten, in quo quasi poenitens exclamat (1. 1.) *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Sed Bellarminus cum aliis considerans in Ecclesiasten, Proverbiis, et Cantico Canticorum nullam mentionem de lapsu fieri, nullam expressam retractationem ad scandalum auferendum, colligit libros illos ante lapsum fuisse scriptos: deinde exploratum satis non est in cujus persona loquatur ibidem Salomon. 3.° Proverb. XXIV. 33. juxta LXX Salomon ait: *novissime ego quoque egi poenitentiam, respexique ut eligerem disciplinam.* Sed hic redit quod supra. 4.° Ita Deus

ad David loquitur de Salomone (2. Reg. VII. 14.): *Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in filium, qui si inique aliquid gesserit arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum..... misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea:* ex quibus apparet, misericordia erga Salomonem Deum certe usum fuisse. Sed qui contrariam tuentur sententiam agnoscunt quidem in his verbis promissionem de regno in posteros Salomonis transferendo, minime vero de aeterna ejusdem salute. 5.º Ex eo quod Salomon fuerit Deo dilectus, Christi typus, et multorum librorum canonicus scriptor.

Tertia sententia pronuntiat Salomonis aeternam salutem prorsus incertam esse, nihilque de ea affirmandum, quia nihil certi de ea neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque tandem ex Ecclesia deduci potest, ut ex superioribus apparet. Salomonis exemplo ostendere nobis voluit Deus de salute nostra semper esse timore salutari formidandum.

Vide haec omnia apud Natal. Alex. (*aet. 5. diss. 3.*). De hac re egit etiam Veith (*in 3. Reg. L.*).

EXERCITATIO XVI.

An credibilis sit strages exercitus Sennacherib?

De hac strage legitur (4. Reg. XIX. 35.) *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit* (Sennacherib) *omnia corpora mortuorum, et recedens abiit* etc. Idem apud Isai. XXXVII. Ut autem omnem hujus rei incredibilitatis speciem removeamus, varia praestat animadvertere, quae difficultatem auferunt. Ac primo nil mirum si per Angelum haec strages sit effecta. Nam Angeli celeritatem summam in agendo, et se movendo habent; deinde potentiae Angelorum limites ignoramus, unde inconsultum esset hoc capite Scripturae narrationem suspectam habere; tandem potuit Angelus non immediate, sed per pestem, ignem, perque alia naturalia media stragem efficere fere ut, occasione census, pestis in regnum Davidis per Angelum fuit immissa.

Secundo. Nil mirum pariter si determinari tuto nequeat an Angelus ille bonus fuerit, an malus, cum uterque rem, de qua agitur, praestare potuerit. Credunt quidem aliqui illum bonum fuisse, puta Gabrielem, aut Michaelem Synagogae tutelares, cum dicatur *Angelus Domini;* cumque Angeli boni ministri esse possint justitiae Dei. Quod si (Psalm. LXXVII.) innuantur *immissiones per Angelos malos,* volunt malos hic dici

ob mala immissa, non vero ob eorum statum. Putant vero alii Deum uti ad homines puniendos Angelis malis tamquam justitiae ministris, et hoc sensu appellari posse *Angelos Domini.*

Neque tertio movet Sennacherib non fuisse in illa strage inclusum, licet exercitus principem; nam major sic ei poena inflicta fuit; et **1.º** ex internecione exercitus, cui praeerat; **2.º** ex ignominia illata; 3.º ex occisione tandem quae a filiis ejus ipsi inlata est (4. Reg. XIX. 37.).

Quarto: neque negotium facessat facti hujus apud profanos auctores silentium, uti objectant; nam, mutatis circumstantiis, idem est quod narratur apud Herodotum in Euterpe (*c.* **141.**) et apud Berosum, qui Chaldaicam scripsit historiam teste Abulensi.

Vide ***Diss.*** Calmet ***in Isaiam:*** (***De clade Exercitus Sennacheribi***) conf. Rosellini (***Monum. dell' Egitto: P. I. T. II. p.*** **114. 118.**).

EXERCITATIO XVII.

Quid fuerit Arca foederis, et quibus vicissitudinibus obnoxia.

A Lapide ut apte describat Arcam foederis jussu Dei confectam (Exod. XXV.) haec habet in citatum locum. **1.º** Arca erat instar parvae cistae quadratae, alta cubitum cum dimidio, lata similiter, longa vero duos cubitos cum dimidio. **2.º** Compacta erat ex lignis Setim auro obtectis. 3.º Destinata custodiendis tabulis Decalogi, ideoque Arcae foederis, seu Testamenti nomen sortita est. 4.º Ejus operculum ex solido auro confectum duos habebat Cherubim aureos illi insidentes, atque *propitiatorium* appellabatur. 5.º Circulis, et vectibus aureis instructa erat, ut circumferri posset. 6.º In pavimento Sancti Sanctorum, seu interioris partis Tabernaculi, ac deinceps Templi, locabatur. 7.º In ea Deus praesentiam suam Hebraeis, oracula, opem, triumphos exhibebat. Hinc *gloria Domini* dicta fuit, summamque obtinuit apud Hebraeos venerationem.

Alia de Arca foederis partim in *biblica* nostra *Archaeologia*, partim aliis *Exercitationibus.*

Ad vicissitudines quod attinet, quibus illa fuit obnoxia, haec praecipue commemoratione sunt digna.

1.º Peccatis Ophni et Phinees Sacerdotum, qui Heli filii erant, Deum irritantibus, Arca in manus devenit Philistaeorum, qui eam ceperunt; et apud eos stetit spatio mensium septem. Philistaei vero prodigiis, et flagellis divinis territi ad Hebraeos illam remiserunt. Diutius tunc stetit in Cariathiarim; ac postea

jussu Davidis in regias aedes in Sion translata. Ex his tandem in Salomonis Templo locata. Hujus rei historiam habes libro primo Regum c. IV. etc.

2.° Cum 2. Paralip. XXXV. 3. legatur Iosiam Regem ita Levitas alloquutum fuisse: *ponite Arcam in Sanctuario Templi, nequaquam enim eam ultra portabitis*, conjicitur valde probabiliter, et tradunt ipsi Hebraei apud Hieronymum, Sacerdotes eam de Templo sustulisse, ne profanationibus pateret, quibus hoc fuit subjectum, postremis Regibus Iuda impiis faventibus, scilicet Manasse, et Achaz. Quo loco vero temporis hujus intervallo steterit Arca, haud plane cognoscitur. Suspicantur aliqui in aedibus Sellum viri Holdae prophetedis, alii in occulto aliquo Templi ejusdem loco.

3.° Paullo ante captivitatem babylonicam Ieremias Arcam tulit jussu Dei, eamque occultavit, ut sancta Chaldaeorum devastationi subducerentur. De qua re legimus (2. Mach. II.) *Propheta* (Ieremias nempe) *divino responso ad se facto...... exiit in montem* (Nebo scilicet) *in quo Moyses ascendit, et vidit Dei haereditatem. Et veniens ibi Ieremias invenit locum speluncae: et tabernaculum, et arcam, et altare incensi intulit illuc, et ostium obstruxit..... dixit; ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat.* Hic claritatis gratia notandum etiam Tabernaculum convolutum, fuisse servatum in Templo, ut deducitur ex 3. Reg. VIII. 4. (1).

Hinc vero oritur quaestio, an Arca soluta captivitate, reperta fuerit, atque in secundo Templo collocata, an vero latuerit semper. Torniellus, Salianus, Menochius aliique primum illud tenent, atque Arcam repertam in Templo constitisse autumant usque ad eversionem ejusdem Templi a Romanis factam. Eorum argumenta sunt: 1.° Auctor libri Machabaeorum loco citato narrat sacrum ignem post captivitatem inventum, et postea historiam refert Arcae absconditae. At cur haec, si Arca pariter non esset detecta? 2.° Soluta captivitate *congregatio populi* facta est, quando nempe ex oraculo Ieremiae Arca erat rursus revelanda. 3.° Arca erat res Templi maxime sacra, et veluti religionis, et judaici cultus centrum. Ergo carere illa non debebat secundum Templum, cujus gloria, et laus major esse debebat, quam primi ex vaticinio Aggaei (II. 4.). 4.° Auctor 2. Paralip. V. 9. de Templo ait: *fuit Arca ibi usque ad praesentem diem.* Multi porro credunt librum Paralipomenon Esdram habere auctorem, qui post captivitatem scripsit.

(1) *Et portaverunt arcam Domini, et tabernaculum foederis, et omnia vasa Sanctuarii, quae erant in tabernaculo.*

In hanc opinionem consentiunt qui secundo Templo Arcam concedunt non quidem veterem, sed aliam instar veteris fabricatam.

Verum communior est opposita sententia, qua secundo Templo denegatur Arca, ut etiam denegantur: *virga Aaronis*, *vas mannae*, *oleum sanctum*. Iuxta hanc sententiam tempora captivitate posteriora respicit oraculum Ieremiae III. 16. *Non dicent ultra: Arca Testamenti Domini; neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius.* Ita Theodoretus, S. Thomas, Hugo, Sanctius, aliique, quorum argumenta fere haec sunt:

1.° Esdras, Nehemias, Machabaei, Iosephus silent omnino de Arca, idque iis locis, ubi sermo est de dedicatione Templi; de expiatione sub Iuda Machabaeo; de restitutione sacrificiorum; de profanatione sub Epiphane; de incendio sub Tito; de recensione spoliorum sub Epiphane, Pompejo et Tito: licet mentio occurrat de mensa aurea, et de septiformi candelabro, ut apud Iosephum (*de Bell. l. 7. c. 24.*). 2.° Veterum bene multorum opinio haec fuit, ut Epiphanii, Ambrosii, Ruperti Abb., quorum testimonia vide apud Calmet. 3.° Lex Domini, et Iudaicae religionis ratio versatur praecipue in cognitione, et observantia mandatorum Dei. Conveniebat insuper desuefacere populum a materialibus figuris, ut ad spiritualia assurgeret, et superstitionis periculum magis amoveretur. 4.° Quod Arca a Ieremia occultata *in congregatione populi* sit revelanda, aut ad finem mundi referendum est, quando per Henoch, et Eliam homines ad Christum congregabuntur, et Hebraei ipsi convertentur; aut mystice explicari debet de Christo amoris legem ferente et praesentia *divinitatis suae* secundo Templo *majorem gloriam* impertiente (*Aggaei II. 4. 8.*). Ita etiam explicatur Ioannes, qui in Apocal. XI. 19. Arcam Testamenti in Tempio, idest in Coelo vidisse se narrat.

Ex his satis patet quomodo responderi possit primae sententiae patronis. Ubi addimus pro libro Paralip. Esdram quidem ejus agnosci auctorem, ita tamen ut in multis exscribat veteres, et coaevos auctores.

Plura apud Calmet *Diss. de Arca foederis in lib. Machab.*

EXERCITATIO XVIII.

Quid de Asmodaeo viros Sarae occidente, et de fumo jecoris sanante Tobiam?

Quod ad primum non intelligitur quamnam ob caussam id incredibile censeatur, supposita divina, humanaque Scripturae auctoritate. Id eo magis confirmatur ex quo mariti illi, qui ad Saram accedere volebant, effraenatae libidinis fuerint rei, uti Angelus Tobiae exponit (1). Deinde optimum apparet Dei consilium reservare volentis Saram meliori, imo optimo viro. Quod si Tobias junior ex falsa opinione id tribuebat amori Daemonis in Saram, atque Angelus, ut se occultaret, hanc opinionem dissimulaverit, uti ex historiae contextu, non inde inferri debet rem, ut ille credebat, revera fuisse.

Quod ad secundum dissentiunt Interpretes in explicanda ratione, qua sanitas fumo jecuris obtenta fuerit. Alii namque totum tribuunt virtuti Dei immediatae in praemium obedientiae Tobiae fumum illum parantis. Et re quidem vera etiam dum Christus luto aperuit oculos caeci, quid prohibet aliquid virtutis luto ipsi tribuere? Placet vero aliis concedere illi fumo naturalem virtutem expellendi, seu sedandi concupiscentiae motus; quam vim historiae naturalis doctores multis plantis, succinis, et odoribus tribuunt; quemadmodum e contrario venerem irritare dicunt alia multa. Adduci quoque potest exemplum Davidis, qui cythara Saulis humores melancholicos dissipabat.

Non incongrue fortasse utramque opinionem amplecti possumus, atque concludere, *inchoate* quidem per vim fumi rem factam esse depellendo impedimenta; *complete* vero per virtutem ipsius Angeli Raphaelis, quod tamen ipse dissimulavit, ut adhuc lateret.

Quod ajunt aliqui ex Novatoribus per Asmodaeum intelligendam esse vel concupiscentiam, vel morbum Sarae pestilentialem, id, ommissis aliis, cum relegatione Asmodaei ad loca deserta Aegypti, quae capite VIII. narratur, minime conciliari potest.

Vide *Diss.* Calmet ante *librum Tobiae in Daemonem Asmodaeum*, quem ipse vertit: *exterminatorem.*

(1) *Ostendam tibi qui sunt, quibus praevalere potest daemonium* (Tob. VI. 16.).

EXERCITATIO XIX.

Quid de Iudith gestis?

Sunt aliqua a Iudith gesta, quae in ejus libro narrantur, quaeque non mediocrem ingerunt difficultatem, ut tamquam licita defendi possint. Complectimur praecipua his quaesitis.

1.º Quomodo Iudith, quae verum Deum adorabat, jurare licite potuerit per Nabuchodonosor? Iam vero illa coram Holopherne sic jurat: *vivit enim Nabuchodonosor rex terrae.* Respondent Interpretes hoc fuisse obsequium mere politicum, sive tributum quoddam civile erga principem, qui testis invocabatur. Ita Anna mater Samuelis juravit per vitam Heli (1. Reg. I. 26.); Eliseus per vitam Eliae (4. Reg. III. 2.); Abner per vitam Saulis (1. Reg. XVII. 55.); Ioseph per vitam Pharaonis (Gen. XLII. 15.); ut alia ommittamus.

2.º Quomodo Iudith absque mendacio tot falsa protulerit: ex. gr. fugisse se, Deum jam per prophetas manifestasse ruinam populi hebraei, aliaque hujusmodi? Quomodo Iudith arte poterat ad amorem pellicere muliebri suo apparatu, quin scandali rea fieret? Calmet *commentariis liter.* in haec loca, ac praesertim IX. 13. (1) aperte pronunciat se nescire modum excusandi in his Iudith, cujus solum commendat rectum animi propositum, consiliorum finem, atque naturali mulieris ignorantia peccatum minui. Imo quasi comparat Iudith operandi modum Baalam consilio immittendi puellas Madianitas in castra Hebraeorum. Scriptura, pergit ipse, ait quidem Deum Iudith *contulisse splendorem*, sed prodigia quoque patrat Deus in peccatoribus ad gloriam suam, et populi salutem, ut cum aquam eduxit per Moysen et Aaron eo ipso tempore quo illi peccabant; neque robur prodigiosum Sampsoni eripuit cum ille in crimen lapsus est.

Sunt tamen alii bene multi, qui cum A Lapide defendere conantur Iudith non solum quod ad ejus finem, verum etiam quod ad media, quae ipsa adhibuit; Iudith inquam, quam Scriptura et Patres plurimum commendant, quam Deus ipse auxilio suo peculiari, et Angeli ministerio fovit, ut ex historia illius patet, et in qua Deiparae ipsius figuram agnovit semper Ecclesia.

In primis vero generatim Iudith mendacia excusant, in ejus dictis aliquam conditionem subintelligendo, aut mysticam significationem reperiendo. Speciatim vero ajunt: dixerat Iudith se

(1) *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, et percuties eum ex labiis charitatis meae.*

fugisse; sed hoc verificatur etiam de eo, qui iter celeriter percurrit, et viam vorat. Dixerat gentem suam certo perituram, aliaque similia tristissima; sed tantum attento caussarum naturalium cursu, atque secluso speciali Dei auxilio. Dixerat tandem se morigeram fore Holoferni; sed aut hac subaudita conditione, si nempe ipse honesta pareciperet: aut ea fide, quod illicita reapse non peteret. Ut scandalum porro auferant, notant Iudith viduam licite potuisse in matrimonium Holoferni copulari; ideoque eum amore potuisse honeste incendere. Quod si Holofernes affectum nutriebat fornicarium, si Iudith ipsa salutem populi sui per mortem tyranni intendebat, haec non impediebant, quominus illa allicere posset Holofernem ad amorem sui honestum. Et revera X. 4. legitur: *Cui* (Iudith) *Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.*

Non incongrue fortasse concludere quis poterit consilium Iudith quod ad substantiam occidendi Holofernem, et liberandi populum, rectissimum fuisse, ac fortasse a Deo inspiratum. Ejus porro executionem Iudith voluntati relictam, non omnino inculpatam; venia tamen dignam fuisse; fortasse enim illa ingenue, ac sine peccato existimavit licere in summo populi discrimine *mendacium* proferre *officiosum*, fere ut diem putarunt obstetrices Aegypti, ut vitae consulerent filiorum Hebraeorum; quibus tamen obstetricibus Deus contulit beneficia ob bonam earum voluntatem. Iudith *laudatur*, ait Angelicus (2. 2. *q. CX. art.* 3. *ad* 3.) *non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit.*

Qui plura desiderat in Iudith apologiam adeat Nicolai (*Del libro di Giuditta, Dissert. XIV.*).

EXERCITATIO XX.

Quid Behemoth, et Leviathan de quibus in libro Iob?

De Behemoth duplex adest sententia, ommissis aliis minus celebribus.

1.ª Plurium Patrum, nempe Augustini, Hieronymi, Ambrosii, Cyrilli, Chrysostomi, Origenis, aliorumque (qui videri possunt apud Pinedam), qui id de caco-daemone solum intelligunt, explicantes sub specie belluae antonomastice talis, Diaboli saevitiem, calliditatem et ingenium. In hac sententia *Behemoth* dicitur *initium viarum Domini*, propter specialia dona, quibus cumulatus est Lucifer, fere tamquam primogenita creatura; sed communius id refertur solum ad temporis prioritatem, quo ille creatus fuit.

2.ª Sententia, quam plures interpretes amplectuntur (quae mysticum de Daemone sensum non excludit) Bestiam aliquam magnitudine insignem ad divinae potentiae, sapientiaeque commendationem vult indicari nomine *Behemoth*. Non conveniunt tamen Interpretes in determinanda specie hujusce bestiae, quam Sanctius putat *Taurum;* Bochartus *Hippopotamum*, idest *Equum marinum;* Calmet, et Tirinus cum Angelico *Elephantem*. Dicitur autem *Behemoth*, juxta hanc sententiam, *viarum Domini initium* non ratione temporis, sed ratione potentiae ut demonstretur opus esse maximum inter animalia omnipotentiae Dei; eodem fere modo, quo dicitur *initium sapientiae timor Domini*, nempe *sapientiae caput*.

3.ª Sententia est eorum, qui dicunt nomine *Behemoth* intelligendas esse plures bestias, quas scilicet creavit Deus die sexta, cum jussit *ut produceret terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia, et bestias terrae*. Iuxta hos interpretes proponit hoc loco Deus in universum creationem quadrupedum varietate, et natura mirabilem. Revera nomen hoc *Behemoth* plurale est, et equivalet huic voci *bestiae*. Sed optandum foret ut caetera, quae in contextu habentur de *Behemoth* de omnibus bestiis verificari possent.

De *Leviathan* pariter Patres communiter autumant indicari per illud caco-daemonem sub metaphora Serpentis. Sed litteralem quoque sensum proprium ibidem reperiri putant Interpretes, notantque ex hebraeo illam vocem significare *agglutinatum piscem*, *sive monstrum marinum*, quod Aquila, Symmachus, Theodotion, aliique plures explicant pro *Cete*, sive *Balena;* Calmet vero, aliique pro *Crocodilo*.

Petes quomodo dicatur Iob XLI. 16. *Cum sublatus fuerit* (Behemoth) *Angeli timebunt, et territi purgabuntur?* Respondemus nomine Angelorum hoc loco metaphorice intelligendos esse *fortes:* unde significatur *Bestiam* illam (multo vero magis si ad Diabolum referatur) omnibus vel fortissimis maximum incussuram esse timorem. Sanctius vero *de purgatione peccatorum* ibidem sub metaphora sermonem fieri autumat.

Petes insuper quid sit *suscitare Leviathan* (1)? Respondetur hoc referri ad piscationem hujusce piscis, sive belluae, aut ad venationem. Sunt tamen aliqui, qui putant hoc Canticum execrationibus refertum, apud Hebraeorum vulgum usitatum fuisse, quod cum praecineretur suscitare dicebatur.

Praeter Pinedam vide Veith *de Libro Iob Quaest. XII. XIII. XIV.*

(1) *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan* (Iob. III. 8.).

EXERCITATIO XXI.

Quomodo defendi possint imprecationes Iob?

Quaestioni locum praebent praecipue haec duo: Iob maledixisse diei nativitatis suae, et optasse se nunquam natum fuisse (1). Quidam Iudaei, Brentius, Anabaptistae, putant Iob blasphemum fuisse, ac male de divina providentia sensisse. Idem fere opinatus est Ioann. Clericus. Vide Veith. At nos asserimus primo Iob non peccasse graviter. Nam ipse a Scriptura tamquam patientiae exemplar proponitur. Vide Tob. (2) Ezech. (3) Iacob. (4). Deinde Deus post longam Iobi cum amicis suis disputationem dixit ad Eliphaz: *Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob* (Iob. XLII. 7.). Tandem eo quod videtur absurdum, Satan de eo triumphasse.

At quonam recto sensu explicari possunt durae Iob locutiones? Resp. Multa ex Patribus, et Interpretibus congerit Pineda *in Iob III.* Nos cum Veith tamquam probabiliores eligimus tres insequentes interpretationes, quibus a gravi peccato Iob purgatur.

1.° Aliqui cum Hieronymo in Iob contendunt hunc communem deplorare calamitatem ex originali peccato, et odio habuisse diem nativitatis eo tantum animo, ut detestaretur peccatum, in quo homines nascuntur, et ex quo tot poenae, ac miseriae consequuntur. Revera Iob cognovisse peccatum originale patet ex cap. XIV. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine;* quod Patres ex Pineda de originali peccato intelligunt. Cognovisse quoque Redemptionis necessitatem ostendunt illa (XIX. 25.) *scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum.*

2.° Alii cum Thoma *in Iob III.* dicunt ejus verba esse vocem dumtaxat sentientis naturae. Saepe enim inviti in doloris questus, significationesque prorumpimus, etsi ratio id ipsum eligat, quod dolorem causat. Ita miles dolet de vulnere, prae-

(1) *Post haec aperuit Iob os suum, et maledixit diei suo, et locutus est: pereat dies in qua natus sum: et nox in qua dictum est: Conceptus est homo* (Iob. III. 1. etc.). *Quare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem etc.* (X. 18.).

(2) *Tobias vero increpabat eos, dicens: nolite ita loqui* (II. 17.).

(3) *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus Noe, Daniel, et Iob: ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum* (XIV. 14.).

(4) *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis etc.* (V. 11.).

lium tamen amat; ita aegrotus fastidit medicinam, quam nihilominus optat. Hoc simili modo explicantur verba Christi: *transeat a me calix iste.*

3.° Tandem multi cum Calmet (*in Iob III.*) ajunt Iob adhibuisse stilum orientalium, qui elatus est, vividus, ignem spirans, et hyperbolicus. Ita Psalmi XII. et XLIII. abundant hujusmodi hyperbolicis locutionibus, nec non alia Scripturae loca, praesertim vero Ierem. (XX. 14.), qui ait: *maledicta dies, in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta:* cum tamen Ieremiam vel ab utero sanctum omnes fateantur. Fatendum namque est in diversis nationibus diversam existere sermonis non minus quam morum indolem, ut notat Mattei (*Diss. Giobbe Giureconsulto: ossia nuovo sistema per interpretare il libro di Giob.*).

Dices. Iob maledixit creaturis Dei, quod in quacumque hypothesi malum est grave. Pro responsione haec juvat animadvertere: 1.° maledicere prout hebraice exprimitur voce קָלַל sensum habere loquendi male, et in contemptum, non vero stricte, ac semper significare, uti nos putamus, *execrationem.* Ita Gen. XVI. 4. sic vertitur idem verbum: וַתֵּקַל גְּבִרְתָּהּ *et despexit dominam suam.* 2.° Erga irrationabilia, ut diem, solem etc. non haberi veram caritatem, ideoque hanc non laedi, ubi rebus istis in doloris aestu aliquid imprecemur. 3.° Malum esse execrari creaturas tamquam Dei artificis opera, non vero uti caussam, exordium, aut occasionem malorum.

Oppones ulterius: illicitum est optare se natum non esse, aut mori. Minime id esse illicitum respondemus dummodo gravi de caussa id fiat, et cum debita animi conformatione divinae voluntati, quomodo Christus dixit: *transeat a me calix iste.* Quid plura? Nonne Christus ipse de Iuda protulit: *melius erat illi, si natus non fuisset homo ille?*

Asserimus 2.° valde probabile esse Iob leviter peccasse. Hoc in primis probamus ex eo quod Deus ipse redarguerit Iob (XXXVIII. 1. 2.) *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit: Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Iob autem Dei voce commotus agnoscit ac fatetur se temere loquutum esse (XXXIX. 34.): *qui leviter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum:* (35.) *Unum locutus sum, quod utinam non dixissem; et alterum, quibus ultra non addam:* (XLII. 3.) *insipienter locutus sum, et quae ultra modum excederent scientiam meam.* Probamus id ipsum ex multorum Patrum sententia, quibus communiter subscribunt Interpretes, ut videre est apud Pinedam, et Veith. Nobis sufficiat verba referre Angeli-

ci, qui in Iob XLII. 10. ubi legitur: *Dominus quoque conversus est ad poenitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis*, ita ait: *Dignum enim erat ut quem pro levi suo peccato humiliter poenitebat, etiam aliis graviter peccantibus veniam impetraret.* Quod si dicitur II. 10. *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis*, id solum de iis valet, quae a Iob primis duobus capitibus dicta referuntur.

Praeter Pinedam vide Veith supra citatum (*de libro Iob. quaest. IV. V.*

EXERCITATIO XXII.

Quonam sensu interpretandae sunt Psalmorum imprecationes?

Sufficiat Can. 8. *Institutionum* nostrarum *pàrt. 2. Diss. III. Cap. 1. Art. 2.* Nonnulla etiam apud Du-Clot (*Nota sui Salmi*).

EXERCITATIO XXIII.

An credibile sit Ezechielem vorasse librum (Ezech. II.), *cubasse per dies 430., comedisse fimum?* (IV.).

Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus, uti ait Apostolus; hinc nil mirum, si Voltaire, aliique increduli in rebus quaesito indicatis caecutiant.

Quod ad primum, agitur eo loco de visione habita a Propheta, non de reali comestione. Probant hoc verba initii secundi capitis Ezechielis: *haec visio similitudinis gloriae Domini. Et vidi etc.* Nec irrationabiliter haec visio facta fuit ad Dei consilium ostendendum, ut nempe Propheta meditando, in animum suum transmitteret Dei verba, metaphora ex cibo, et vino sumpta, quae sanguinem et spiritus excitant. Ait autem Propheta cibum hunc in ore fuisse dulcem, et amarum factum in ventre, quatenus anxius evadebat Propheta ex onere ipsi imposito praedicandi populo quae viderat; fere ut, ait A Lapide, pilula in ore dulcis, in ventre dissoluta eum torquet. Similis huic fuit visio Ioannis in Apocalypsi Cap. X. ubi narratur Ioannem librum accepisse ab Angelo, eumque devorasse.

Quod ad secundum dicimus primo non esse impossibile eodem situ recubasse Ezechielem diebus 390., et alio situ diebus 40. Nam vel hoc contigit non reapse, sed per visionem propheticam uti placet Hieronymo in Osee I.; vel reapse qui-

dem (uti plures contendunt ex eo praecipue quod haec facienda dicantur (*vers.* 12.) *in oculis eorum*): sed heroica patientia, et speciali Dei auxilio. Ubi notandum quod illud *dormies* juxta phrasim etiam hebraicam, explicari potest *ut dormiens cubabis;* quare non dicitur Prophetam vere dormisse totum illud tempus. Dicimus secundo ridiculum id non fuisse tum quia non raro Prophetae, Deo sic decernente, factis ipsis prophetarunt; atque ideo Isaias nudus (1) publice incessit, ut hostium expilationem repraesentaret, quam passuri erant Hebraei; tum quia molesto situ Prophetae iniquitas tribuum Israelis et Iudae indicabatur; dicitur enim IV. 4. etc. *Et tu dormies super latus tuum sinistrum*, *et pones iniquitatem domus Israel super eo .... ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum*, *numero dierum trecentos et nonaginta dies*, *et portabis iniquitatem domus Israel: et cum compleveris haec*, *dormies super latus tuum dexterum secundo*: *et assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus; diem pro anno*, *diem inquam pro anno dedi tibi.* Praeterea uterque decubitus ad Iudaeos referri potest, atque ita, ut dies 390. Hierosolymae obsidionis tempus significent; 40. vero incendii, et eversionis urbis a Chaldaeis. De his consulendi sunt Interpretes, et praecipue Tirinus *in Chronico.*

Quod ad tertium notandum 1.º non deesse, qui id adscribant visioni imaginariae, quod tamen communius non placet ob rationem, quam secundo quaesito superius attulimus, nempe quod haec facienda essent *ante oculos eorum.* Notandum 2.º non fuisse praeceptum, ut Propheta hunc fimum comederet, uti ait Voltaire, sed facto pane ex frumento, et hordeo eum coqueret sub cineribus ex ejusmodi excrementis combustis, uti ex toto contextu apparet. Hoc vero indicabat famem, sordem, et angustias, ad quae in poenam suorum scelerum, captivitatis occasione redigendi erant Hebraei. Sunt etiam regiones quaedam, in quibus defectu ligni, vel cespitum adhibentur stercora ad ignem. Calmet in hunc locum ait: *Hoc non esse insuetum Arabibus*, *Palaestinis*, *in toto Archipelago*, *et alibi etiam*, *ut placentas suas sive panem ad ignem e fimo vaccae excitatum decoquant.... ignem*, *inquam*, *illi persimilem*, *quem ex rasuris corii pellium confectores excitant* (conf. Ackerm. *Archaeol.* §. 16.).

Plura apud Veith *de Ezechiele* (*Quaest.* 2.ª 3.ª 4.ª)

(1) Solo nempe *perizomate* cinctus; idest panno vel linteo, qui cingulo circa lumbos in orbem alligatur, et usque ad genua pertingit. Vestis haec simplicissima, plebis adhucdum in oriente usitata, *Ehram* dicitur (conf. *Isaiae* XX. 2. 4. *Michae.* I. 8. *Iohan.* XXI. 7. *Iob.* XXIV. 8. 10). Sic Virgilius (Georg. I. 299.) ex *Hesiodo* (*Oper.* 391.): *Nudus ara, sere nudus.*

EXERCITATIO XXIV.

Quomodo explicanda transformatio Nabuchodonosor?

Legitur Danielis IV. Nabuchodosorem in poenam superbiae ejectum fuisse e solio suo, atque per annos 7. ab hominum consortio expulsum cum bestiis et feris vitam ita traduxisse, ut foenum tamquam bos comederit, et capilli ejus in similitudinem aquilarum creverint, et ungues quasi avium. Post illud annorum spatium sensus est Nabuchodonosori restitutus, *figura reversa est ad illum*, et regno et pristinae amplitudini, ac decori fuit restitutus. Certum est autem ex adductis verbis Nabuchonosorem per illud tempus aliquam subiisse mutationem, sed incertum quaenam haec fuerit, et valde id statuere arduum; nam quasi inter Scyllam et Charibdim versamur; idest ne verborum Scripturae veritati quiddam detrahamus, neque pugnantia rationi admittamus, aut etiam miracula praeter necessitatem multiplicemus, quod et incongruum est, et magis incredulorum animos irritat.

Calmet erudita *Dissertatione in Danielem* omnes recenset hactenus circa hoc excogitatas sententias, easque perpendit. Nos contenti erimus hic compendio subjicere Calmeti Dissertationem, ac judicium.

Origenes apud Hieron. Danielis IV. putat ibi descriptam esse allegoriam lapsus Luciferi in persona Regis Chaldaeorum. Sed sententia haec historiae simplicitati tam accurate per Prophetam narratae, ter repetitae, et in somni interpretatione anno antea predictae, aperte videtur repugnare. Deinde quomodo de Lucifero verificari possit quod ille tandem *oculos ad caelum levaverit*, illi *sensus fuerit restitutus*, quodque ille *regno decori sit redditus*, et alia hujusmodi?

Alii apud Maleonatum videndi, putant Nabuchodonosorem illo tempore revera fuisse transformatum; quam transformationem alii ita explicant, ut anima, et corpus illius in cujusdam bruti animam, et corpus sint mutata; alii solum bestiae corpus fuisse illi datum; alii per metempsycosim, loco humanae, animam bovinam substitutam esse arbitrantur. Sed hujusmodi prodigia rejici solent, tum quia non sunt necessaria ad Scripturae verba explicanda; tum quia in ea hypothesi aliud subjectum culpam patrasset, aliud vero poenam persolvisset; tum quia ipse Nabuchodonosor (vers. 3.) ait se ipsum oculos ad caelum levasse, tumque fuissse illi sensum restitutum.

Alii apud Medinam (*de fide in Deum l. 2. c. 7.*) censuerunt mentem Nabuchodonosoris, atque oculos illum intuentium ita fuisse praestigio fascinatos, ut ipse brutum se reputaret, si-

nulque populo brutum videretur. Sed hoc etiam communius rejicitur. Nam si fascinatio cum nonnullis admittatur solum in populo, cur Rex voluit belluae vitam ducere toto septennio, cur in fine protensis in caelum manibus pristinum dicit recuperasse statum? Si autem tam Regem quam populum fascinatum esse dicimus, ut ommittamus quod aegre creditur tam longa fascinatione utrumque potuisse detineri, ne verbum quidem in Scriptura fit malorum spirituum eo loco operantium, sed solius Dei Nabuchodonosoris superbiam ulciscentis.

Magis est recepta sententia, quam Calmet, et A Lapide amplectuntur, Nabuchodonosorem in phrenesim incidisse, seu ***lycantropiam***, aut pergravem hypochondriam, cujus vi homo quilibet turbata mente, ac veluti effervescente, bovis, lupi, felis, et canis non speciem solum, sed mores ingeniumque reipsa sibi adsciscit. Morbum hujusmodi bene norunt medici, et multa ex Galeno, aliisque teterrima exempla exhibent Calmet, A Lapide, aliique Commentatores in hunc locum, ac Veith (*de libro Danielis quaest.* 2.ª). De phantasiae vi plura quoque invenies apud Bened. XIV. (*de Beatif. Servor. Dei l.* 4. *p.* 1. *cap. ult. par.* 26.) Muratori (*Opusc. Della forza della fantasia*). Sententia haec nihil incredibile admittit, et Scripturae verbis satisfacit, et simplicissima est. Minime, inquiunt aliqui; nam quae poena Nabuchodonosori fuisset, si phreneticus statum suum non agnovisset? Sed quid tristius excogitari potest quam rationis usum amittere, miseriam suam non sentire, hominemque ad bruti conditionem redactum, sibi non displicere?

Instant. Ubi ergo prodigium? Ubi manus Dei punientis? At morbum hunc quamvis naturalem Divinae Providentiae consilio referendum esse ostendunt somnium a Rege antea visum, explicatio somnii a Propheta anno ante metamorphosim facta, definitio temporis durationis poenae, et vox de caelo delapsa; quae triste nuntium regi repetiit; quae omnia vel ipse Rex ita cognovit, ut ad se tandem reversus ulciscentis Dei manum fassus sit. Legatur Scriptura. Nec immediatus Dei concursus fine suo gravi destituitur, cum Regem a superbia revocaret, et ad agnitionem summi caelorum Regis perduceret; sicque ad cognitionem unius veri Dei propagandam, atque ad divinam Danielis missionem adserendam maxime conferret.

Quod si miretur qui historiae hujus silentium apud profanos scriptores, sciat Chaldaeorum, et Orientalium monumenta intercidisse. Quis reperire enimvero poterit, Callinicum, Possidonium, Theonem, Andronicum, quos ut Chaldaicarum rerum scriptores commendat Hieronymus (*Praef. in Comm. Danielis*)? Sciat praeterea Chaldaeorum gloriam forte voluisse historiam hanc silentio committere; Danielem tandem, ejusque libros ma-

gnam sibi etiam naturalem vindicare fidem, genere, auctoritate, pietate ipsius Danielis, ac publica rerum cognitione.

Hujus tamen rei aliqua reperiuntur vestigia in testimoniis Alphaei, et Megasthenis, quae citat Eusebius (*Praep. Evang. l. 9. cap. ult.*).

EXERCITATIO XXV.

Quid de pisce Ionam deglutiente?

Nil fere apud Prophetas occurrit, quod magis in risum, et contemptum vertant increduli, quam quod de Iona narratur. Sed omnibus eorum argumentis respondebimus in hunc modum:

1.° Credi, ajunt, non potest piscem reperiri tam grandem, qui hominem integrum, ac vivum deglutiat, ac evomat. Ut apte respondeamus, notare praestat nomen *Cete*, quo appellatur piscis Ionae apud Matthaeum XII. 40. genericum fuisse apud veteres, eoque indicabant illi pisces quoslibet magnos ex iis, quos Naturalistae *Vertebratos* vocant. Incertum itaque est ex Scripturae verbis ad quamnam speciem piscis ille pertinuerit. Putarunt aliqui Balenam fuisse cum de Balenae mira magnitudine plura tradantur: at ingenue fatendum quod attenta Balenae esophagi structura, prodigio opus esset, ut illa integrum absorbere posset hominem: prodigia autem non sunt sine necessitate multiplicanda. Putarunt alii Physeterem (*Capidoglio*) fuisse; hujusmodi enim pisces vorant pisces alios vel magnos; sed an unquam voraverint homines, nullo satis explorato exemplo probari potest. Longe credibilius est Ionae piscem ad sectionem pertinere eorum, qui dicuntur *pisces canes* (*Squali Linnei*, *Lamiae* apud multos), quique genus constituunt *Charcarias* dictum a recentioribus Ichthyologis. Hujusmodi namque pisces capaces sunt ad hominem absorbendum; homines insuper natura sua appetunt, ac bene multos vorarunt. *Charcarias* verus interdum, ut docent, os habet tam latum, ut ejus diametri longitudo sit quinque pedum. Ex iis, qui mediocris sunt longitudinis, idest 30. pedum, os habent, cujus circumferentia est duodecim pedum. Plurima insuper traduntur exempla, eaque fide dignissima, quibus patet *Charcharias* integros vorasse homines, ne vestibus quidem istorum attritis. Brunnich (*Ichthyol. Massil. pag. 5.*) narrat se, dum Massiliae moraretur, piscem canem prope litus occidisse, atque in ejus ventre reperisse duos thynnos fere integros, unumque hominem integrum non solum, sed cum vestibus penitus illaesis. Anno 1802. Dux Browvn, apud Surinam, ac pariter prope oram, piscem canem cepit, et in ejus ventre reperit mulierem, cujus tantummodo caput a reliquo corpore

avulsum erat. Exempla alia bene multa, eaque recentia, narrantur a Müller, Douglass, Spalanzani, aliisque clarissimis Historiae Naturalis Scriptoribus.

2.° Quomodo, petunt, Ceti calor Ionam non consumpsit? Quomodo foetorem sustinuit? Quomodo tam compos sui, ut carmen cecinerit ex Cap. II.? Paucis respondemus haec Dei prodigia fuisse, Dei inquam, qui in fornace babylonica pueros servavit illaesos, iisdemque inter flammas canticum illud mirabile dictavit.

3.° Plura, addunt, vehementissimam suspicionem ingerunt hoc commentum fuisse, ac praesertim gentilium fabula de Hercule, quem eumdem passum fuisse casum finxerunt, teste Lycophrone in Tragoedia *Herculis*. Respondemus longe diversa Scripturam Sanctam habere veritatis indicia, quam Gentilium mythologiam. Imo ex hac sacris litteris major fides accedit, cum verisimile admodum sit, ut alibi attigimus Gentiles fabulas suas hausisse ex Scripturarum historia, ac traditionibus Hebraeorum. Et revera Ionas scripsit ante aeram nostram annis 800., Lycophron ad summum annis 250.

4.° At quo fine, instant, ridicula hujusmodi? Patribus atque Interpretibus continere haec visa sunt prophetiam per factum ipsum expressam. Nempe Ionas Christum praefiguravit multipliciter: orta tempestate dormiens in mari, ut Christus dormiebat cum navicula operiretur fluctibus (Matth. VIII.); missus in mare ut caeteri salvarentur, uti de Christo dictum fuit: *expedit unum hominem mori pro populo;* manens in ventre Ceti tribus diebus, uti Christus in sepulcro, juxta Christi ipsius verba apud Matth. XII. 40.

De pisce Ionam vorante legatur Calmet (*Diss. in Proph. Minor.*)

Inter recentiores Veith (*Quaestionibus de Libro Ionae*).

EXERCITATIO XXVI.

Quaenam sit probabilior monetae signatae historia.

Hoc unum est ex iis, quae summa difficultate, monumentorum copia expiscantur eruditi, nec certi aliquid invenire possunt. Multa congessit Calmet (*Diss. in Gen.*), multa etiam Nicolai (*Lez. 75. della Genesi*). Penitiore hujusce rei inquisitione ommissa, quantum pro re nostra credimus ad rectam Scripturarum interpretationem, nonnulla generalia adnotabimus.

1.° Non Hebraei solum, sed omnes gentes vetustissimorum temporum consueverunt contractus suos in commercio, aliisque perficere mediis permutationibus, quibus emptor venditori dabat

quae sibi erant superflua, ut hic vicissim praeberet illi, quae eidem forent necessaria.

2.° Permutationes hujusmodi complebantur rerum cujusvis generis materia, prout occasio, opes, necessitas ferebant. Sed cum veteres pastorum artem in primis excolerent, atque in gregibus majores suas nanciscerentur divitias, hinc pecudes ut plurimum quisque commutabat, ut opportuna sibi comparare posset. Quo factum est, ut notant eruditi, iis verbis contractus apud veteres indicatos, quae suum a pecudibus, aliisque bestiis etymon haberent. Ita latine *pecunia* dicta est a pecudibus.

3.° Temporis decursu invaluit communior usus metallorum permutationibus: atque auro et argento abundasse Abraham ipsum testatur Moyses (Gen. XIII.). At in hisce, aliisque metallis similibus valor intriusecus tantummodo supputabatur, ideoque tantum reddebatur, quantum habita proportione illud correspondebat rei valori, cum qua permutabatur. Itaque pondere opus erat; et hinc pretia, sive pecuniae, tum veterum sermone, tum vetustiorum Scripturae ipsius librorum *ponderabantur*. Metallis porro magis quam in bestiis proportio commode inveniebatur cum rebus commutandis.

4.° Ut certo deinde consisteret valor, pondus, et usus metallorum, ut facilitati etiam majori in commerciis prospiceretur, sigilla quaedam cepta sunt adhiberi, quae pondus, et valorem illorum tuto ostenderet. Ius autem obsignandi monetas, iisdemque assignandi determinatum valorem, ac usum, reservatum mansit publicae auctoritati. Signatae monetae inventionem Graecis circa Olympiadarum initium tribuendam, tum Scriptorum veterum testimonia, tum monetae vetustiores hodiedum cognitae, omnino comprobare videntur. Credendum est paullatim morem hunc in diversas gentes inductum fuisse; inductusque in gentem Hebraeorum.

5.° At si tempus inquiratur, quo primo apud Hebraeos moneta signari ceperit, hoc unum tamquam certum affirmare audemus, quod nempe in Scriptura narratur (1. Mach. XV.) ab Antiocho Sidete Syriae Rege concessum id fuisse Simoni Machabaeo per illa verba: *Permittimus tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua*. Caeterum ante hanc epocham, magis vero circa ea, de quibus loquitur Pentateuchus incerta omnia, quae probare nituntur usum monetae signatae, saltem ab Hebraeis. Conjectant quidem ex Gen. XXIII. 16. ubi legitur de Abrahamo emente agrum *appendit pecuniam*, usum argenti signati. Sed ommisso quod in hebraeo solum dicitur: *appendit argentum*, quomodo probatur typo, seu nota Hebraica fuisse signatum?

6.° Aliqua immo sunt, quae ut probabilius ostendunt sero

tantum hunc usum apud Hebraaos invectum, ac 1.° in libris nedum Pentateuchi, et Iobi, sed et Iosue, ac Paralipomenon; itemque in profanis, ut Homero, aliisque, scilicet temporibus Patriarcharum aetate bene multum recentioribus, mentio sola fere occurrit permutationum in contractibus (quamvis alii aliter judicent) habita ratione metallorum aliorumque tamquam mercium, non vero tamquam monetarum; ergo non adeo vetustus signandae monetae usus. 2.° Numismata quaedam, quae Davidis, vel Salomonis aetatem praeseferebant, ab eruditis supposititia ostensa sunt vel ex qualitate recentis metalli, vel ex genere rerum impressarum.

Praeter Calmet, et Nicolai supra citatos vide Eckhel *Doctrina Nummorum Veterum Part. I. Vol. I. Prolegomena generalia*, et *Vol. III. p.* 465. *seq.*

EXERCITATIO XXVII.

Quid Esdras perfecerit circa libros Sacrae Scripturae.

Varia sunt, de quibus inquiri potest, an perfecta fuerint ab Esdra circa Libros Scripturae Sacrae. Haec ex ordine proponemus simul cum solutione, quae nobis probabilior videtur. Itaque

Quaeres 1.° an Esdras denuo conscripserit omnes Sacrae Scripturae libros? Resp. id quidem asseri lib. IV. Esdrae apocrypho, ab Irenaeo, Clem. Alex. aliisque, qui statuunt omnes Scripturae libros captivitatis occasione deperditos, denuo ab Esdra, spiritu Dei afflante, fuisse conscriptos. At melius id negatur a Hieronymo, Chrysostomo, aliisque ostendentibus libros jampridem scriptos ab auctoribus a Deo inspiratis conservatos semper fuisse, neque in captivitate deperditos, in qua et Ieremiam legebat Daniel, et incredibile est nullum remansisse codicem sacrum. Longe miserior fuit conditio Iudaeorum, cum a Romanis patria ejecti fuerunt: ea tamen non obstitit, quominus sacri codices ruinae eriperentur, atque ad nostram aetatem a Iudaeis ipsis illaesi transmitterentur. Irenaeus in textu suo graeco (*apud Euseb. H. Eccl. V.* 8.) Scripturas non dicit *deperditas*, sed *corruptas*, easdemque ab Esdra non *conscriptas denuo*, sed *digestas ac restitutas*; quae omnia de accuratiori recensione intelligenda videntur. Ea vero quae habet Clemens Alex., ab Irenaeo petita sunt (v. *Lanigan* §. 92. 94. 95. etc.). Nullum ergo sufficiens adest fundamentum hoc asserendi, de quo plura diximus *Parte Prima Institutionum*, et plura videri possunt *Diss.* Calmet (*de Restauratione librorum sacrorum in Esdr.*)

Quaeres 2.° an Esdras libros sacros post captivitatem collegerit, exscripserit, et ediderit? Respondetur, id videri non satis probabile, cum Sacr. Script. libri etiam in captivitate babylonica neque dissipati sint, neque corrupti, ut nostris *Institutionibus*, loco superius citato, ostendimus. Deinde Scriptura, quae similem diligentiam narrat adhibitam a Nehemia, et a Iuda Machabaeo (2. Mach. II. 13. . . . etc.) nihil tale de Esdra narrat. Sed Huetius (*Dem. Ev. Prop. IV. de canone*), et Nat. Alex. (*Act.* 6. *Diss.* 4.) opus hoc sat probabiliter Esdrae vindicant. Nam adducunt 1.° hanc fuisse opinionem veterum bene multorum Patrum: Irenaei (*l.* 3. *c.* 25.) Tertull. (*de cultu foemin. c.* 3.) Hilar. (*Praef. in Psalm.*) Auct. Synops. intera opera Athanas. Chrysos. (*homil.* 8. *in Epist. ad Hebr.*) Hieronymus ipse (*adversus Helvid.*) non recusat appellare Esdram *instauratorem Operis*, idest Pentateuchi. 2.° Canonem Scripturae celebriorem apud Iudaeos confectum ab Esdra fuisse probatur ex iis, quae adduximus *Parte Prima Institutionum.* 3.° Ex eo, quod Iosephus (*contra Appion. I.* 8.) syllogen librorum sacrorum claudat imperio Artaxerxis, clare innuit singulare quoddam studium tempore Esdrae adhibitum, quo Libri Sacri colligerentur et recognoscerentur. Dant etiam multi litterarum mutationem, de qua mox agemus, factam ab Esdra. Confirmant autem haec omnia probabile saltem esse Esdram et redegisse, et edidisse S. Scripturae libros ante ipsum conscriptos.

Quaeres 3.° an Esdras veteribus characteribus hebraicis chaldaeos substituerit? Praenotamus eruditos inter se haud convenire an mutatio haec revera facta fuerit. Sunt qui putant mutationem hanc nunquam factam; nam characterum, inquiunt formam inspiciendo, solum apparet commoditatis gratia recentes inclinatos esse ad formam quadratam, quod accidentale omnino est. Captivitas ann. 70. sub Chaldaeis inducere non potuit Hebraeos, rebus suis quam maxime adhaerentes, ut novam amplecterentur scribendi rationem, quam neque amplexi sunt occasione captivitatis in Aegypto per ann. 215. Ita etiam docuerunt vetustissimi inter Iudaeos, ut Iudas Sanctus, aliique videndi apud sententiae hujus patronos, inter quos Buxtorphius (*de hebr. lit. antiquitat.*) et noster Io. Baptista Bianconius (*de antiquis liter. Hebr. etc.*). Sunt vero qui e contrario autumant mutationem hujusmodi peractam, quam probant: 1.° tabulis, quibus hebraicum ut nunc est alphabetum collatum litteris Samaritanis, id est veteribus characteribus, notabile exhibent discrimen; nec forma *quadrata* litterarum commodo vel celeritati scribentis inservit, immo vero adversatur; 2.° auctoritate Origenis, Eusebii, Hieronymi qui Prol. Galeato ait: *certum est Esdram Scribam alias litteras reperisse, quibus nunc*

utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum, et Hebraeorum characteres fuerint; 3.° Rabbinorum quoque multorum auctoritate, inter quos R. Iosue, R. Musura, R. Nachman; 4.° consuetudine, quam populus in Babylonia degens Chaldaicae linguae et scripturae, Hebraicae valde adfinis, ceperat in civili, ac familiari commercio, secus ac forte contigerat in Aegypto. His accedit odium in Samaritanos, ac studium in omnibus ab eisdem differendi. Hanc sententiam tuetur Calmet *Dissert. in Esdram;* et Walton (*Proleg.* 3. *num.* 33.) hisce verbis: *habemus itaque ex utriusque Thalmudis auctoritate,* (*quae omnibus Iudaeis sacrosancta est*) *et ex sententia Iudaeorum, et Rabbinorum posteriorum, characterem hebraeum veterem esse Samaritanum: hodiernum vero esse Assyrium, quo Esdras legem post captivitatem descripsit.* Plura in eandem sententiam contulit doctissimus Drach (*Lettre sur le Titre de la S. Croix*).

Hisce autem praejactis quaesito respondemus mutationem, quae facta fuit litterarum in sacris codicibus Esdrae adscribendam, tum quia ita sentiunt, qui hanc mutationem propugnant, tum quia eo tempore quo, ipsa contigisse dicitur, nemo aderat doctrina simul, pietate, officio, et auctoritate Esdra aptior huic rei. Supponendum tamen est opus a Principibus gentis, et a Synagoga approbatum, ut *de Canone* docuimus.

Quaeres 4.° an Esdras primus sacris codicibus apposuerit accentus, ac puncta vocalia? Resp. Incerta nobis est verior solutio. Nam Nat. Alex. loc. cit. cum aliis bene multis hoc negant 1.° ex quo in Synagogis qui asservantur, et leguntur Sacri codices, Misna, Ghemara, aliique libri Thalmudici carent omnino punctis hujusmodi. At Iudaei retinuissent procul dubio punctationem, si Esdras approbante praesertim Synagoga eamdem introduxisset. 2.° Si a temporibus Esdrae per accentus, et puncta determinata fuisset Scripturae lectio, non fuisset locus dissensioni, quae conspicitur in Versione τῶν LXX., in Paraph. Chald., in Syriaca, aliisque veteribus Versionibus. 3.° Origenes, et Hieronymus silent omnino de accentibus, et punctis, quod ostendit eorum aetate nondum haec fuisse in usum invecta. Hinc Natalis cum caeteris, testimonio Rabbinorum doctissimorum adhibito, punctorum, et accentuum inventionem attribuit Masorethis Tiberiensibus circa ann. Chr. 500. non tamen ante initium Saecul. VI.

Interim ann. 1823. prodiit Bononiae titulo = *La Fionda di Davide* = *Dissertatio* Cl. Hippol. Rossellini, qui Mezzofanti schola linguas orientales egregie edoctus, probare contendit accentuum, punctorumque inventionem Esdrae assignandam. Atque 1.° adducit auctoritatem Buxtorfii, Leusden, Aben Ezra, aliorumque Rabbinorum, quibus in hisce rebus est prae-

cipue deferendum. 2.° Ingeniose ostendit Hexapla Origenis, quosdam Hebraeorum libros ut Bahir, Tikkunim, Zohar, Thalmud ipsum vestigia exhibere non obscura accentuum, punctorumque. 3.° Satisfacit etiam satis laudabiliter contrariis argumentis.

Quaeres 5.° an Esdras sit Cabalae auctor? Resp. breviter. Si Cabalae nomine intelligatur traditionis, et mystici sensus explicatio, haec non est certe Esdrae deneganda; at si ars illa intelligatur, qua Iudaei recentiores mysteria ex litteris, et earum figura, permutatione, aut arithmetica supputatione eruunt, temerarium, et ridiculum est eamdem Esdrae attribuere. Hoc, quod facile patet cuique, pluribus prosequitur Nat. Alex. cit. loc.

SECTIO III.

DE LIBRIS N. T.

EXERCITATIO I.

An sit analogia inter miracula Christi, et prodigia Æsculapii, Appollonii, Vespasiani, Paris, et Wampiriorum?

Latum inter Christi miracula, et ea, quae ab aliis edita finguntur, discrimen existere, contra quod blasphemant increduli cum Rousseau, duplici ostendimus ratione.

Primo enim in genere discrimen deprehendimus hoc pacto: ut factum aliquod veris adscribatur miraculis, idest *effectibus supernaturalibus, ac insolitis*, requiritur.

1.° Eventum revera contigisse; cui rei criticae regulae inserviunt, ac praesertim diligens investigatio quantitatis et qualitatis testium. Tantummodo enim sensuum usu, et auctoritate, facta probantur.

2. Non fuisse effectum caussarum naturalium cognitio, id est legum ac virium physicarum scientia.

3.° Fraudes, et dolosas artes non intercessisse. Accuratissimum examen ad hoc praecipue conducit.

4.° Caco-daemonum non fuisse naturalem operationem. Indicia vero ad opus Dei discernendum tradunt Bened. XIV. *de Canoniz. l.* 4. *c.* 4. Statlerus *Demonstr. Ev.* 173., et Storchenau in *Cosmologia;* et praecipua haec sunt: 1.° *diuturnitas effectus*, uti sanationis perseverantia; 2.° *invocatio Dei*, uti Elias (3. Reg. XVII. 21.); Petrus Actor (III. 6.); 3.° *Sanctitas patrantis prodigium:* 4.° *honestas objecti*, quod prodigio confirmari intenditur; 5.° *honestas finis propositi;* 6.° *constans et universalis doctorum*, et *populi persuasio;* hocque praecipue attenta Dei providentia, quae non sineret errorem enasci, aut saltem perdurare dato indiciorum hujusmodi concursu. Concursu, inquam, spectato; nam ab homine honestate carente, fieri miraculum posse credunt multi cum Angelico 2. 2. *quaest.* 178. *art.* 2. ad veritatis nempe alicujus confirmationem; atque ad id exemplum afferri solet Vestalis, quae ut pudicitiam suam probaret, aquam cribro tulisse in Capitolium narratur; de qua re ait idem Angelicus (*de Potentia quaest.* 6. *art.* 5. *ad* 5.) *Non est remotum a veritate quod in com-*

mendationem castitatis Deus verus per suos Angelos bonos hujusmodi retentionem aquae per miraculum fecisset. Hisce omnibus consideratis respondemus inveniri quidem in Christi prodigiis veri miraculi characteres, non autem in aliis, de quibus quaesitum est, aut in caeteris hujusmodi, de quibus quaeri posset; quod facta debita inductione, simulque applicatione apertissime constabit.

Secundo discrimen ostendimus in specie comparationem instituentes inter Christi miracula, et caetera, quae proponuntur prodigia. Æsculapii mira, quae narrantur, partim mere naturalia fuere, partim hominum, daemonumque fraude conficta. Sacerdotes namque Æsculapii medicam callebant artem, ut Arnobius ostendit, aitque l. 5. adversus Gentes: *beneficia ista rerum sunt, non sunt curantium potestates;* Aristophanes *in Pluto act.* 3. *scen.* 2. Sacerdotum Æsculapii fraudes traducit, et ridet. Hoc insuper exprobrant Gentilibus Christiani apud auctorem *Homil.* 3. Clement. et Origenem contra Celsum *lib.* 3. Cl. Marini (*Atti dei Fratelli Arvali p.* 212. *et* 247.) complura profert e monumentis exempla sanationum, quas ethnicis beneficio Deorum, licet adhibita medicina, acceptas referebant. Denique in prodigiis illis (quod doli argumentum est) intercedebat semper quoddam oraculum, vel somnium, quod Diis tribuebatur.

De Appollonio Tyanaeo haec constant. Nerone imperitante ille vixit, studuitque, ut numen haberetur. Ephesii reipsa eum ut numen habuerunt nomine Herculis Alexiaci; et Alexander Imperator inter Deorum suorum simulacra collocari jussit imaginem Christi, et Apollonii. Narrat porro Philostratus stupenda fuisse ab eo patrata prodigia, inter quae puellae mortuae ad vitam revocatio connumeratur. At Huetius *Demonstrat. Evangel. Propos.* 9. *cap.* 147. tria haec egregie ostendit: 1.º Appollonium fuisse hominem maximae ignorantiae et impurissimae idololatriae; 2.º nullam esse Philostrati auctoritatem in hac re. Ipse namque vixit post Appollonium integro saltem saeculo; nullum testem citat, monumentum nullum fide dignum; 3.º conjicitur satis id Philostratum effinxisse ad ingenii ostentationem atque Principum adulationem (scripsit enim Vitam Appollonii jussu Iuliae Domnae Augustae), et in odium nascentis Christianae Religionis. De puellae resurrectione speciatim commodius agendum *quaestione* insequenti. Appollonii praestigia ostenderat quoque ante Huetium Eusebius Caesariensis in *opere contra librum Hieroclis;* scripsit etiam Orsi *l.* 1. *n.* 71., *l.* 2. *n.* 22. et Dupin *Diss. de Appollonio.*

De Vespasiani portentis scripserunt multi ostendentes narrationum fraudem, inter quos Csapodius *Rel. revelat. l.* 2. *n.*

135. Baronius *ad annum Christi* 70. et Huetius *Demonstr. Evang. Prop. IX. Cap.* 39. *num.* 6. Postremi hujus verba afferre praestat: *Mirifica illa quidem Vespasiani opera, quibus caeco cuidam visum restituisse, et alium manu aegrum sanasse fertur, a subdolis Egyptiorum artibus videntur profecta, inter quos acta res est. Fama acceperant illi fortasse a Iudaeis, quorum multitudo ingens erat Alexandriae, Iosephum (nempe Iudaeum) sacra quaedam oracula Vespasiani accommodasse . . . . . quae in Iudaeorum Messiam conveniebant. His ne in adulatoria arte concederent Aegyptii, Deum facere, divinae virtutis opera ei affingendo, voluerunt, quem Iudaei Messiam fecerant. Cum ergo ii audissent Iesum caecum illito oculis sputo sanasse, et claudos, ac debiles morbo liberasse duos . . . . subornant, quasi ille manu, hic oculis captus esset. Verum » Vespasianus primo irridere, aspernari, verba sunt Taciti, (Hist. lib. IV. Cap.* 81.) *quippe fraudem, et palpum sentiens, tandem vocibus adulantium in spem induci, medicis praesertim rem fieri posse suadentibus, quippe doli fortasse consciis cum dicerent, hinc non esse exesam vim luminis, et reddituram si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari ». Agnoscis, Lector, simulatos morbos, quales illi sunt medicorum aeruscatorum, qui ad movendam misericordiam aegrorum habitu se se componunt. Re intellecta Vespasianus falsis morbis falsam medicinam adhibuit alterius calcata manu, insputatis alterius oculis.* Pichler *Theol. Polem. Part. I. con.* 3. *art.* 4. *num.* 25. putat Daemonis opus ibidem intercessisse, ejusque arte et aegritudinem apparuisse, factis in organis impedimentis, et sanitatem, impedimentis sublatis. Hisce praejactis, instituta ad Christi miracula comparatione, argumenti vis ex hac quoque parte evanescit. Adde, quod Svetonius (*in Vesp.* 7.), Tacitus (*Hist. IV.* 82.) et Xiphilinus (*LXVI.* 8.) in hisce Vespasiani prodigiis enarrandis, non satis inter se conveniant.

De prodigiis, quae facta dicuntur ad tumulum Paris Parisiensis in caemeterio S. Medardi haec constant: 1.° narrata illa sunt quidem a testibus *num.* 22., sed illi sectae Appellantium erant addicti, atque Paris jam appellantis gloriam quaerebant. Fuerat enim iste (vid. Bercastel *T.* 30. *p.* 169.) *Appellans* a celebri Const. *Unigenitus;* ab Ecclesiae Sacramentis abhorrens, communionem fovebat cum seditiosis Ecclesiae Utrecht. Mortuus est ann. 1727. 2.° Primum omnium prodigium in virgine quadam *le Franc*, constituto judicio, falsum detectum est testimonio 40. hominum. 3.° Senonensis Archiepisc. vir doctus, probusque viginti duo miracula Paris studiose

examinavit, protulitque publice uti falsa, et dolis plena. 4.° Sanationes nunquam erant instantaneae, sed post dierum intervallum, quo medicae arti locus erat. Aliqui etiam citantur infirmi, qui pejus se postea habuerunt. 5.° Clauso caemeterio, minis Appellantibus factis publica auctoritate, en miracula cessata, multorum detecta fraus, fides sublata etiam in pluribus ex ipsis Appellantibus, et silentium inductum. Hisce praejactis, quis non viderit quantum ab hujusmodi prodigiis distent Christi miracula, praesertim in mortuis ad vitam revocandis, subitaneis sanationibus, aliisque et certissimis, et ab omnibus creditis, et sanguine etiam confirmatis; quaeque nulla tyrannorum vis, nulla aetas obliterare valuit? De sepulcro Paris plura Bergier (*Certitude des Preuves du Christianisme, Part. I. Cap. VI.* § 5.).

De *Vampiriis* haec constant. In Polonia, Moravia, praesertim vero in Hungaria saeculo proxime elapso plures videre dicebant mortuos redivivos ad se per noctem venientes ut sanguinem sugerent; illorum deinde macies ac mors sequebatur. At hoc in primis (si quid verum fuit) morbo, et phantasiae tributum est a prudentioribus, praesertim cum aestu saeviente id contingeret; metus etiam morbum augere potuit. Deinde quibusnam signis patere potest, id non fuisse Daemonis potius effectum, qui non vere animas corporibus uniret, sed cadavera, uti energumena, moveret, et impelleret? Quid quaeso haec cum Christo caecum a nativitate illuminante, Lazarum quatriduanum ad vitam revocante? Deinde et hic notamus non solum cessasse omnino Vampirismum, sed ejus memoriam vix in regionibus iis remanere, eamque confusam satis, quod contrarium in miraculis Christi procul dubio evenit. *De Vampiriis Feller Catechis. Philosoph. T.* 2. *n.* 313. Calmet etiam peculiari *dissertatione. De Vampiriis* egit etiam Spedalieri: *Analisi di Freret Cap. I. Art. XIV.* citans circa haec Langlet *Praefat. Tract. de Apparitionibus.* Nominis etymon duci potest ex parte a voce germanica significante *sugere*, unde *Vampirii* dicuntur etiam *Opiri*, *Sanguisugae.* A nonnullis etiam *striges* dicti sunt. Certe quid simile de infantibus sine custodia relictis, quorum sanguinem striges sugebant, 6. *Fast.* canebat Ovid.

Ad extremum nonnulla generatim adnotamus contra incredulos. 1.° Cur nam ipsi tam difficiles se praebent credendis Christi miraculis, licet multimodis haec sint confirmata; ultro vero fidem habent Tyanaei, Vespasiani, Æsculapii fabellis? Nonne praejudicium suum vel ex hoc satis produnt? 2.° Vespasiani, aliorumque portenta, objecta sunt ad obscuranda Christi miracula primis Ecclesiae temporibus, sive ab Ethnicis, sive

a Iudaeis. Ergo erant haec primis Ecclesiae temporibus cognita, et fidem obtinuerant, quod Religioni Christi favet potius, ac illorum confirmat veritatem. 3.º Si miracula per Christum, ejusque Apostolos patrata nil peculiare, et extraordinarium habuerunt, sed naturalia, ac communia fuerunt; quomodo mundus tantopere potuit commoveri, ac innumeri, relictis aliis religionibus, secuti sunt Christum?

Vide Veith (*Quaestiones de miraculis Christi Sect. III.*)

EXERCITATIO II.

An sit paritas inter resurrectiones patratas a Christo, aliasque ab incredulis propositas?

Increduli scilicet, ut vim miraculorum Christi enervent, paritatem hanc inducere conantur, quod obtinere nituntur deprimendo ex una parte opera Christi; elevando ex alia fabulosa quaedam portenta. Utrique scopulo prospiciendum nobis est. Quod attinet in primis ad resurrectiones a Christo factas, sistimus in resurrectione Lazari; ex iis autem, quae de illa dicemus, facile deduci poterit quid dicendum sit de resurrectione filii Viduae Naim (Luc. VII.), et filiae Iairi (Luc. VIII.), quae sunt nempe resurrectiones in Evangelio speciatim narratae. Porro Lazari resurrectionem variis modis oppugnant, atque conantur eam confictam fuisse ostendere. Sed quonam id fundamento?

1.º Conficta fuit Lazari mors, dicunt, ut fides conciliaretur Christo Lazarum ad vitam revocanti. Sed quis credat (verbis utar Cerboni) Lazarum permisisse ligari pedes, et manus suas, faciem involvi sudario, in spelunca, lapide superimposito per quatriduum includi ea tantum mente, ut fanatici hominis auctoritatem tueretur? Cur non fraus ab aliquo detecta; cur Pharisaei de hoc tacuerunt? Gratis igitur id asserunt, et absque specie veri contra rei circumstantias.

2.º Matthaeus, ajunt, Marcus, et Lucas non narrant hoc miraculum; solum id narrat Ioannes XI. Sed alibi rationes innuuntur cur non omnes Evangelistae omnia narrent. Vide *Institut.* ubi *de Canonibus Evangeliorum.* Peculiariter vero notetur tres priores Evangelistas scripsisse eo tempore, quo apud omnes Iudaeos vulgata, et celebris erat hujus miraculi fama; deinde Ioannem ex professo Evangelium suum conscripsisse ad divinitatem Christi patefaciendam, cui Lazari resurrectio optime inserviebat.

3.º Audito hoc miraculo, instant, Iudaei excanduerunt contra Christum; Christum autem in Ephrem effugisse, quae

imposturae signa sunt. At Chrysostomo *Hom. 6. in Ioann.* rationem assignamus furoris Iudaeorum ex eo quod nempe miraculum hoc omnibus aliis mirabilius fuerit, ut proinde cogitaverint Iesum ipsum tandem interficere ob invidiam, uti ex Ioannis contextu apparet. Christus autem ideo aufugit, quia tempus passionis nondum advenerat. Et reipsa post Lazarum resuscitatum ajebant Iudaei (Ioann. XI.) *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?*

4.° Lazarum Rousseau putat non ex morte, sed ex deliquio excitatum fuisse. Sed ex Bullet: (*Réponses Critiques T. II. p.* 357.) haec animadvertimus: 1.° Martha, et Maria, quae tenerrime amabant Lazarum fratrem non posuissent eum in monumento nisi de ejusdem morte plane certiores factae. 2.° Corpus Lazari faetebat; faetor autem mortis, et putrefactionis signum est certum. 3.° Post diuturnum deliquium, et postquam clausus fuisset in monumento quatuor dierum spatio, vitam non potuisset Lazarus statim recuperare; et tamen prodiit ille statim, et adhuc ligatus. 4.° Iudaei dubitassent, Pharisaei hanc non praeteriissent occasionem insimulandi Iesum, et contra hoc reclamassent aperte, quod tamen non evenit.

Plura de hoc miraculo, et de aliis Christi resurrectionibus vide apud Cerbonium *Theologia revelata T. II. lib.* 3., et Commentatores. Nos interim hanc partem claudimus respondendo curiosae et satyricae incredulorum interrogationi. Quid, ajunt, narrarunt mortui illi ad vitam revocati a Christo, circa statum aut Paradisi, aut Inferni, aut Purgatorii? Respondemus autem ingenue fatendo nihil memoriae proditum esse ab illis fuisse narratum. Sed quid inde? Anne hoc fieri non potuit? Potuit sane Deus aut suspendere in eo mortis statu vim intelligendi animabus illis, quae paullo post ad vitam erant revocandae, aut memoriam postea ita impedire, ut nullius rei recordarentur, etsi aliqua cognovissent. Scimus enimvero Paullum ad Caelum raptum audivisse verba, quae exprimere non potuit. Anne credunt necessarium quod homines illi, quod viderant, enarrassent? Neque necessarium, neque utile id admodum fuisset, nam habent Moysem, habent prophetas homines qui credere volunt; alii *neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent* (Luc. XVI. 31.) Concedendum est tandem rationem potuisse esse Deo sufficientem cur id non voluerit etiamsi ipsa nos lateat.

Nunc de mortuorum resurrectionibus, quas profani narrant a Diis, vel naturali vi peractas, quasque Evangelio opponunt increduli, nonnulla dicenda sunt. Ac 1.° mortui resurrectionem inter miracula, velint nolint, adscribimus, cum id communi naturae sensu doceamur, experientia quoque, et doctorum sen-

tentía id ipsum confirmet. At unde nam in historiolis, quas narrant, signa deprehenduntur veri miraculi? Consulantur ea, quae in praecedenti *quaestione* diximus praesertim quod ad divini Nominis invocationem, et operationis finem; deinde historiolae inspiciantur, et desiderari in illis omnia veri miraculi signa concludendum erit.

2.º In Gentilium operationibus facile aut morbi tantummodo, non verae mortis indicia invenire est; aut fraus saepenumero intercessit, quae postea innotuit, aut saltem suspicioni non defuit locus, ut fusius ostendunt Apologistae.

3.º Deest pro aliarum resurrectionum narrationibus auctoritas illa, quae summopere rei fidem conciliat, quaeque oritur ex auctoribus tum pluribus tum gravibus, simulque testibus coaevis, qui rem narrent; ex consensu populorum; ex conversione eorumdem ad Religionem, in cujus confirmationem mortui sunt ad vitam revocati. Haec omnia valent equidem pro Evangelii historia, desunt vero pro incredulorum narrationibus.

6.º Si historiae, quae adducuntur, diligentissime perpendantur, semper aliquid reperietur, quod criterio veritatis speciatim repugnet. Narrat e. g. Plato (*de Republ. lib.* 10.) Aerum quemdam revixisse post decem dies mortis suae. ast Plato, teste praesertim Iustino (*Orat. Paraenet. ad Gentes*), opus suum fabulis aspersit, ut prudentiam politicam edoceret; quippe qui tradit utile esse aliquando populum mendacio decipere. Narrat Philostratus puellam resuscitatam ab Apollonio Tyanaeo, quod summopere jactant increduli; sed audiatur Philostratus: *an Apollonius in hac puella adhuc signum aliquod vitae deprehenderit, a medicis non observatum (ajunt enim ex ejus facie vaporem ascendisse), vel an eam vere a morte ad vitam suscitaverit; nec a me, nec ab iis qui praesentes erant, facile decidi potest.* Similia animadvertere possemus in factis quibuscumque ab incredulis objectis.

Concludamus ergo oportet, toto caelo distare resurrectiones in Evangelio narratas, ab iis quas Religionis nostrae hostes confingunt. Id sane nil mirum; cum Evangelium authenticum sit, fidemque mereatur divinam, humanamque; secus ac narrationes, quas hostes nostri objiciunt, quod vel unum argumentum sufficeret, si increduli saperent.

Vide Veith (*de Miraculis Christi Sect. III. Cap.* 3.).

EXERCITATIO III.

An sint societati noxia praecepta Evangelii de cupiditatibus subjugandis, de humilitate, de venia offensae, de contemnendis divitiis?

1.° Cupiditates, ajunt adversarii, incitamenta sunt magnorum operum. Eas ergo juxta Evangelium deprimendo, studium extinguitur disciplinarum, bonarumque artium, et operibus virtutum generosis arctatur via. Inde ergo Reipublicae damnum. Resp. cum Angelico (1. 2. *Quaest.* 23. *Art.* 3.). Evangelium non praecipere, ut cupiditates penitus extinguantur, sed ut rationi subjiciantur. Aliter. Si nomine cupiditatum intelliguntur motus contra rationem, prohibet Christus motibus hujusmodi nos obsequi; quo quidem nil rectius. Si vero intelligantur fortes, ac vehementes animi motus a ratione directi, tunc nedum non prohibentur, sed et promoventur, cum zelus divinae gloriae et heroica in proximum caritas passim in Scripturis, ac praesertim in libris Sapientialibus commendentur. Caeterum ex Ecclesiastica Historia satis compertum est quantum respublica in politicis, in scientiis, et in artibus zelo Christianorum debeat. Monachorum studium iisdem scientiis bonisque artibus servandis, summi Pontifices Romae exornandae nihil non molientes, Equites in infideles belligerantes, pii homines xenodochiis, aliisve omnis generis institutis miseriae cuique humani generis prospicientes, Doctores suis scriptis, Martyres, et alia id genus exemplo esse possunt illustrium cupiditatum, quas Evangelium Reipublicae bono probaverit.

2.° Mansuetudo, humilitas, patientia enervant, ajunt cum Machiavello in. Principe (l. 2. c. 34. 35.) bellicam fortitudinem. Hic pariter distinctione opus est; nam si nomine fortitudinis intelligatur barbara quaedam, et inhumana feritas, quam innuere videtur Machiavellus, damnatur illa quidem ab Evangelio recte ac sanctissime. Si porro vera, ac virtuosa intelligatur fortitudo, vera ac virtuosa magnanimitas, tunc de virtute agitur, quae summopere cohaeret cum mansuetudine, humilitate, ac patientia Christiana. Nam 1.° nemo vere fortis ac magnanimus erit, nisi mansuetus sit, atque in laboribus, in injuriis etiam perferendis sit patiens. Cujus rei veritati Gentiles testimonium praebuerunt, nam Romanis gloria erat *facere ac pati fortia, parcere subjectis, et debellare superbos;* Plutarchus (*Orat. de fortitudine Alexandri*) eum laudat, quod virtuti militari humanitatem et fortitudini mansuetudinem conjunxerit. 2. Nemo tam fortis, tamque magnanimus quam is, qui viribus diffisus suis, suam in Deo fiduciam collocat, qui-

que non vana spe illectus ardua aggreditur, sed aeterni, ac veri praemii amore urgetur, hoc est humilis, ac virtuosus christianus. 3.º Huc quoque referri possunt praeclara, et heroica Christianorum exempla, quae Ecclesiastica Historia suppeditat. 4.º Tandem urgendum est illud ab omnibus receptum, virtutes omnes foedere arctissimo inter se ita vinciri, ut una sine altera, aut nulla, aut imperfecta sit oporteat.

3.º Condonare inimico injuriam, ut praesertim Christus apud Matth. V. inculcat, Reipublicae bono contrarium esse videtur. Iam vero ut docent Patres, et sermonis natura ac proprietas exigit, non damnat Christus necessaria justaque bella, neque quod vis vi repellatur; vult solum ut homines amicitiae vinculo inter se colligantur, unde facile, libenterque inimicis parcant, neque privatam vindictam quaerant, quod verborum Christi scopus sit praecipuus. Hoc autem in bonum potius redundat universale, illamque fovet philanthropiam, quam verbo tenus profitentur quidem philosophi increduli, sed tuetur solum, ac promovet mirum in modum Evangelium. Caeterum ut verborum Christi apud Matth. V. sensus agnoscatur, audiatur Manochius in hunc locum: *Partim praecepti, partim consilii ea verba sunt. Praecepti haec sunt 1. ut vindictam non quaeramus: 2. ut potius alteram maxillam reipsa vertamus*, idest *alteram accipiamus injuriam, quam acceptam ulciscamur: 3. ut parati simus ad remittendum de jure nostro, quandocumque id charitas et Dei gloria videbitur postulare. Consilii autem est, ut quamvis neque charitas, neque Dei gloria id a nobis exigat, mortificationis tamen nostrae caussa, ad verbum haec omnia faciamus, non quidem irritantes adversarium ad inferendam injuriam, sed nos ipsos ad excipiendam exponentes.*

4.º Contemptus divitiarum negotiationem utilem destruere videtur, aliaque Reipublicae bona. Sed nullibi sane negotiationem licitam Evangelium damnare intendit, quod et per se clarum est, et late exponit Aug. (*Enarr. in Ps.* 70. *Serm.* **1.** **n. 17.**) et Cerbonius (*Theol. Revel. Prop. III.*) Contemptum quidem commendat divitiarum, at 1.º uti consilium, non uti praeceptum; sicque juveni postulanti quid opus esset ad salutem, respondet Christus: *serva mandata;* deinde, *si vis perfectus esse, vade vende* etc. 2.º Consilium dat a circumstantiis praescindens, quibus divitiarum cultus eligibilior, ac melior est, uti patrifamilias, Regibus, etc. Certe ditissimi erant Abraham, David, aliique, et nihilominus carissimi Deo. Porro hisce conditionibus, divitiarum contemptum suaderi, idem est ac utilissimam pecuniae effusionem in societate promovere.

Non male incredulorum quaesito responderi posset uno ver-

bo quod ad omnia, de quibus egimus. Evangelium scilicet illa omnia damnare solum si inordinationem aliquam contineant.

Vide Veith (*Quaest. VIII. de Evangelio Sect. IV.*).

EXERCITATIO IV.

An moralis doctrina Evangelii comparari possit cum morali veterum, ac recentiorum philosophorum?

Hoc vellent quidem increduli, ac praecipue Horus, cui libenter subscribit Freret in Opere: *Examen Apologistarum Christianae. Religionis Cap. IX.* Colligit Freret insigniores Veterum Philosophorum sententias: citat Celsum Epicureum, qui apud Origenem testatur philosophorum gentilium doctorinam moralem magis energicam, ac perspicuam fuisse quam Evangelii; Lactantium adducit, qui putat collectis gentilium praeceptis fieri posse doctrinae moralis codicem religioni Christianae cohaerentem; unde tandem concludit Freret quod: *homines non sint illustratiores, et sapientiores, ac erant ante Verbi incarnationem; adeoque hujus adventum, ac praedicationem ad hocce opus supervacaneum omnino fuisse.*

In re, quae longissimam exigeret dissertationem, contenti erimus fundamenta jacere, unde emicet veritas, ac latum in primis appareat discrimen inter moralem Evangelii doctrinam, et veterum philosophorum.

1.° Etsi hic illic per opera Gentilium, egregia invenire sit morum praecepta, tamen sine Revelatione, qualis in Evangelio habetur, nemo unquam purgatum, et absolutum protulit, neque proferre potuit doctrinae morum codicem. Ita Lactantius (*Divin. Institut. lib. 7. c. 7.*) ait quidem: *quod si exstitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque difusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis;* quae verba legit, citatque Freret, at tacet sequentia: *Sed nemo hoc facere, nisi viri peritus, ac sciens potest. Verum autem scire non nisi ejus est, qui sit doctus a Deo.*

2.° Evangelium nedum moralem tradit integerrimam, sed nihil non sanctissimum tradit. Iam vero quot, quantisque erroribus obvoluta philosophorum gentilium doctrina? Legatur Nonnotte *Dictionnaire Philos. Christianisme Art. 7.* ubi vere depingitur rerum status ante Evangelium, lucemque indicat ac perfectionem, quam hoc intulit mundo; ac 1.° quod ad *impudicitiam*, quam quodammodo celebrat Plato, Plato inquam ille divinus in *Symposio*, ubi loquentes inducuntur Pausanias, et Alcibiades; Plutarchus praecepta tradens *de educandis libe-*

ris, turpes amores laudat; Theocritus eorum victoriis plaudens, qui strenue fuere impudici. Hinc Veneris cultus inhonestus, hinc joci Florae turpissimi; 2.° quod ad *mancipiorum servitutem*, et erga eos crudelitatem, qui ex *lege Aquil. pecudum numero* habebantur; 3.° quod ad *Gladiatorum* barbara certamina publica auctoritate inita, quibus tanta fiebat hominum strages; quod ad enormes *usuras*, legibus saltem permittentibus, ut refert Tacitus (*Anal. l.* 6.); 5.° quod ad *regnantium tyrannidem*, et *populorum insurrectiones*, quorum frequentia, ac pertinacia indicia sunt luculentissima moralis haud integrae doctrinae.

3.° Ut rationem discriminis, (quam *a priori* dialectici vocant) assignemus, quae sequuntur adnotamus. Ethica Gentilium 1.° foetus erat humani ingenii, quod in difficilibus statuendis principiis, iisdemque rite applicandis haeret, variat, et fere necessario saepe errat: 2.° Ethica Gentilium neque universalis neque constans norma esse poterat, cum ad ejus observantiam populi promoverentur aut Imperantium placito, aut doctorum auctoritate, aut proprio judicio, quae in dies, ac horas, nec non pro locorum varietate mutantur; 3.° Ethica Gentilium arida est, jejuna, et inefficax, cum philosophi, aut Reges jugum quidem, et onus imponere valeant; sed nihil praeterea adjungant, quod legi aequo animo custodiendae vires praebeat; secus ac facit lex Christi, quae ejus gratia *jugum suave*, *onusque* reddit *leve*, 4.° Ethicae Gentilium utpote pure humanae deest sanctio, necessaria pro actionibus aut internis aut occultis, neque proportionatum valet proponere aut pro recte factis praemium, aut pro malis supplicium. Audiatur Rousseau. (*Emile Genève* 1780. *T. III. p.* 92., *et* 158. *not.*) *On a beau vouloir établir la vertu par la raison seule*, *quelle solide base peut-on lui donner?* . . . . *Philosophe*, *tes loix morales sont fort belles*, *maie montre m' en, de grace*, *la sanction.*

4.° Ut rationibus, et experientiae auctoritas accedat hominum sanctissimorum, hominumque summa pollentium doctrina, legatur Paullus in Epistola ad Romanos, ubi quantum a Deo recte glorificando Gentiles recesserint, licet eumdem cognoverint, non ostendit solum, sed id provenisse probat ex tenebris, quibus erant involuti. Lactantius, quem pro se adducit Freret (*libro* 3. *divinarum Institutionum*), totus est, ut Philosophorum gentilium falsam ostendat sapientiam atque *cap.* 29. concludit: *quanta itaque voce possum*, *testificor*, *proclamo*, *denuntio: hoc est illud quod philosophi omnes in tota sua vita quaesierunt*, *nec unquam tamen investigare*, *comprehendere*, *tenere valuerunt; quia Religionem aut pravam*

retinuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Loquebatur autem eo loco praecise Lactantius de Deo cognoscendo, colendoque.

Origenes (*l. 6. contra Celsum*), qui plaudente Freret, ethicam gentilem super christianam extollit, ostendit quantum reipsa commendabilior sit haec prae illa tum propter docendi, scribendique simplicitatem, tum propter vim aduexam animos pertrahendi, tum propter morum vitae cum praeceptis consonantiam. Vid. libri citati praesertim primos numeros. Praeclara multa habet Augustinus ad hanc rem in libris *de Civit. Dei.* Hujusce vero lubenti animo duo loca referimus, videlicet. 1.º ex *Tract. 45. in Ioann. Fuerunt ergo quidam philosophi de virtutibus, et vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini, sectam nostram tenete si vultis beate vivere. Sed non intrabant per ostium; perdere volebant, mactare, et occidere:* 2.º ex *Sermone de Tempore* 139. *Venit Dominus Christus, Sapientia Dei: caelum tonat, ranae* (idest philosophi) *taceant.* Opportunissima quoque bene multa invenies apud Iustinum *Paraenesi ad Graecos;* et in *Dialogo cum Tryphone;* apud Tatianum *contra Graecos;* apud Tertullianum *in Apologetico;* apud Eusebium *Praeparat. Evangel.* et apud Chrysost. *Homil. XIX. ad populum Antioch.* ubi hominis illitterati quidem sed Christiani, sapientiam, sapientia omni, ac eruditione gentilium philosophorum meliorem esse probat. Plura de his Valsecchi, (*Religione Vincitrice Part. II. Cap. V.*) Spedalieri *Analisi del Freret T. I. c. 9. T. II. c. 1.*).

Citius expediemus quae ad recentes philosophos spectant, qui hoc quidem nomine gloriantur, sed sollemniter profitentur se nolle sequi Evangelium. Contra quos 1.º Valeant multa, imo fere omnia, quae superius contra veteres philosophos adduximus, ac praecipue *num.* 1.º 2.º 3.º Principia sunt recentis hujus philosophiae: honestum est illud, quod est utile: bonum est sequi naturae impulsum: jugum legum, et Principum excutiendum est. Haec porro, praesertim ut a novae philosophiae coriphaeis explicantur, et eorum exemplo sanciuntur, innumera inducunt mala in societatem, inter quae peculiari modo legum sapientissimarum contemptum, effraenem, ac pene universalem libidinem, librorum edendorum licentiam, et puerorum perversam educationem deploramus. 3.º Licet amorem proximi, quem philanthropiam appellant, depraedicent, et ad Caelum extollant, attamen en eorum doctrinae summa, et praxis:

Iura clientelae sunt ista perennia nostrae:
Fingere, mentiri, dummodo nemo sciat.
Si tibi quisquis obest occide, sicarius adsit:
Aut lingua, aut ferro, dummodo nemo sciat.
Te invito quemquam si sursum ascendere cernis
Fac gemat, et jaceat, dummodo nemo sciat.
Relligio est vestis, quam induis, exuis ut vis,
Mentem nulla liget, dummodo nemo sciat.
Si Deus est, longe est, si non est, non metuendus,
Quod libet, id liceat, dummodo nemo sciat.

Quid haec quaeso cum simplicitate, rectitudine, utilitate quoque, quod ad civilem societatem, praeceptorum, quae hominibus tradit Evangelium?

EXERCITATIO XX.

An dogmatica doctrina Evangelii aequiparari possit Theologiae Veterum Gentilium?

Postquam scilicet morum praecepta perpendimus, opportunum credimus veritates conferre, quas Evangelium tradit credendas cum aliis, quae de Deo, et hominibus gentiles docuerunt. Iamvero de Gentilium dogmatibus plurimum disseruere Cicero (*de Natura Deorum*), Augustinus (*de Civitate Dei*), Clemens Alexandrinus (*Monitum ad Gentiles*), Lucianus aliique; ex his porro haec colligimus, quae Gentilium Theologiae specimen praebere possunt.

1.° Deos vitiis putabant irretitos, aut iis saltem defectibus, quos vitia nos jure, ac merito appellamus. Iupiter Maximus incaestu, et adulteriis maculatus, ac Parricida; Iuno, quae Caeli statuebatur Regina, infamis mulieris faedabatur characteribus; Mars crudelis; Venus lasciviae patrona; ita Apollonis, Dianae, aliorumque ridendo recenset defectus Lucianus. Diis porro accensebant daemones, quos *Genios* appellabant; artemque eos evocandi, hoc est *theurgiam* licitam existimabant. Ommittimus ridiculas, vilissimasque Divinitates Ægyptiorum, Babylonensium, etc. *quorum in ortis numina nascuntur.*

2.° Etsi Iovem uti Maximum haberent, tamen pluribus Diis sacrificia censebant offerenda. At quaenam sacrificia? Horret animus illorum describere barbariem, quibus humanus litabatur sanguis, pudetque nefanda proferre sacra Veneris, Bacchi, Cereris, aliorumque. Legatur Clemens Alex. citat. loc.

3.° Animas, et materiem Deo coaeternas admittebant, animarum transmigrationem vel ipse Plato admisit.

4.° Multa, quae scitu homini pernecessaria sunt in praesenti statu, aut turpissime confundebant, aut penitus ignorabant. Hujusmodi sunt: undenam auxilium, quodnam fraenum cupiditatibus injiciatur; quale suppetat remedium, quo homo Deo reconcilietur si erret: quinam sit vere ultimus hominis finis? De qua re ex August. (*de Civ. Dei lib. XIX. cap.* 1.). Varro recensuit philosophorum 288. opiniones plane inter se diversas, quin tamen vera inter easdem reperiatur, quaenam fuerit: ignota pariter erat illis duorum hominum ratio nempe Adami, et Christi, ex quorum uno peccata, et mala derivata sint in alios, ex altero vero salus, *in quo*, ut ait Augustinus, *proprie fides christiana consistit;* et ex quo nos, et ulcus detegimus, et pharmacum invenimus opportunum.

5. Gentilium Theologiae imperfectionis luculentissima exhibent testimonia Plato, et Socrates, duo illa scilicet Graeciae lumina celeberrima. Plato inquam *in Epinomide de pietate* disserens ait: *Docere eam neminem posse, nisi Deus quasi dux, et magister praeiverit: in Phaedone* Socratem inducit hortantem, ut meliori modo veritas inquiratur a Sapiente in Religionis negotio, *donec lumine aliquo clariori, aut ipsa Dei voce, quasi duce ad vitam recte, probeque ducendum instituatur;* Socrates autem *in Alcibiad.* haec habet; *Consultissimum, quod praestare possumus est, ut patienter expectamus: omnino expectare oportet dum quis veniat, qui nos officia erga Deum, et homines doceat.* Deinde inter praeclara multa, quae ad rem Socrates addit in ipso Dialogo, discipulum ita loquentem inducit: *O utinam veniat, o utinam hasce tenebras dissipet! ego quantum in me est, ad omnia, quae jusserit, praestanda animo sum paratissimo, si modo melior, atque nunc sim, evadere possim.* Socrates tunc: *Istud sane consilium ante arripere opportet, quam nos periculo objiciamus ignorantes, utrum nostra sacrificia Deo placeant, an displiceant.*

Iam vero maximo nostrum bono advenit e caelo lumen, et Evangelium patet omnibus, docens de Deo rectissima, aliaque, quae hominis intersunt. Theologiae Gentilium errores, imperfectionesque, quas superius ostendimus, purgavit Codex evangelicus, et nos nullo permixto defectu necessaria omnia clarissime docuit. Luculentiora haec sunt, quam ut oratione indigeant. Ergo meridiana luce caecutiunt increduli, qui Evangelicam doctrinam dogmaticam Theologiae Gentilium aequiparari posse blasphemant.

Vide etiam nostram *XXIV. Quaest. Quidnam Gentiles e Scriptura excerpserint ¿*

EXERCITATIO VI.

An contra Christi miracula jure objici possit silentium Ethnicorum, ac Iudaeorum?

Huic quidem fidunt increduli, ac Voltaire praesertim, tamquam fortissimo propugnaculo. Sed dato etiam silentio Ethnicorum, ac Iudaeorum, nil inde jure conficitur; deinde silentium ipsum merito negari potest.

Ac 1.° ita argumentamur, supponendo interim (quae alibi positive probatur), veritatem Religionis Christianae. Silentium alicujus de re aliqua, quam videt, et audit, argumentum est potius confirmationis rei, si ille possit, ac loqui debeat. Quo posito sic argumentor: Gentiles, ac Iudaei, qui aut videbant, aut audiebant gesta Christi, Evangelistarum historias, et Apologistarum commentarios, poterant loqui: debebant etiam ex amore Religionis suae, ac odio Christi. Siluerunt autem. Ergo confirmaverunt. At increduli, ut vim propositi argumenti evitent, rationem adducunt cur illi tacuerint, quae tamen nobis potius favet: scilicet

2.° Christi Religio Imperatoribus summopere invisa erat, ejusque cultores uti sacrilegi habebantur. Hoc ipsum dicendum de primoribus inter Iudaeos, qui Christi Religionem insectati sunt, quos etiam Christi historia probro afficiebat ob eorum injustitiam, crudelitatemque. Ergo nil mirum, si Gentiles, si Iudaei Scriptores (qui non admodum multi tunc erant) vel ex metu, vel ex odio, vel ex adulatione, aliove simili motivo hanc Religionem contempserint, de prodigiis siluerint, aut ita res narrarint (quod pluries evenit) ut vel magiae, vel alteri hujusmodi caussae prodigia attribuentes, diversis depinxerint coloribus, quae contigerant. Ita ex. gr. fabulas confixerunt ex Scripturae narrationibus; ita dum pluvia miraculo concessa est militibus Christianis sub Marco Aurelio, prodigium tributum fuit Iuliano Chaldaeo ab aliquibus, ab aliis Marco ipsi Aurelio, aliisque ab aliis, referente Tertulliano *in Apologetico*.

Sed et alius, ut diximus, patet modus respondendi incredulis, negando nempe silentium, quod depraedicant.

Nam 1.° quod ad Gentiles asserimus Chalcidium Philosophum Platonicum saeculi IV., qui in *Comment. ad Timaeum* Platonis (§ *CXXV*. p. 219.) ait: *Est quoque sanctior, et venerabilior historia, quae perhibet, ortu stellae cujusdam non morbos, mortesque denunciatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanae conversationis, rerumque mortalium gratiam;* sequitur deinde magorum ad praesepe itineris narratio. Saeculo II. Phlegon libertus Hadriani, qui Christum ut verum Prophe-

tam est fassus, idque praecipue ex subversionis Ierusalem praedicatione, ait in historia. *Olimp. lib.* 13. *quarto autem anno Olympiadis CCII. maxima, et excellens inter omnes, quae ante eam acciderant defectio Solis facta est: dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, ut stellae in Caelo visae sint, terraeque motus ingens per Bithyniam urbis Nicaeae multas aedes subvertit*: (cf. *Fabricium Bibl. Graec. l. IV. c. XIII. n. IV.*). Multa quoque confirmari possunt Porphyrii, et Celsi testimonio, ut videre est apud Cerbonium *Theol. Rev. T. II. l. III. Quaest.* 1. 2.° Quod ad Romanos speciatim, quorum silentium increduli peculiariter objiciunt, certissime constat memoriam Christi, ejusque prodigiorum in illorum annalibus asservatam fuisse. Ita enim Magistratum Romanorum alloquitur Tertullianus *in Apolog.* ubi *de Christo. Eodem momento dies medium orbem signante sole, subducta est . . . cum mundi casum relatum in archiviis vestris habetis*, et paulo post; *Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse jam pro sua conscientia Christianus, Caesari tunc Tiberio nunciavit.* Alia habet *cap. V.* Lucianus Praesbyter, et Martir, ut apud Rufinum *Hist. Eccl. l. 9. c.* 6. ita ad judices suos: *Consulite annales vestros: invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum solem, et interruptam diem.* Iustinus Martyr *Apologia I. ad Antoninum Pium directa num.* 48. loquéns de Christi miraculis ait: *Quae quidem ab eo facta esse ex confectis sub Pontio Pilato actis discere potestis.*

3.° Quod ad Hebraeos, celebre est in primis testimonium Iosephi sectae Pharisaeorum viri (*Antiq. Iudaic. l.* 18. *cap.* 4. apud alios 6.) *Fuit hoc tempore Iesus, vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et multos quidem ex Iudaeis, multos etiam ex Gentilibus ad se pertraxit, cumque eum a primoribus gentis nostrae accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui ab initio eum dilexerunt. Nam die tertio redivivus eis apparuit: secundum quod divinitus inspirati Prophetae haec, aliaque plurima admiranda de eo preadixerunt. Sed et in hodiernam diem Christianorum, qui ab eo nuncupati sunt, et nomen perseverat, et genus.* Nullum quidem increduli non movent lapidem, ut testimonii ejusmodi fidem auferant, eaque, que Iosepho tribuuntur aut gratis conficta, aut adulterata traducant. Sed extiterunt praeclarissimi viri, qui genuina ea prorsus vindicarunt, uti ommissis multis aliis Huetius, (*Demonstr. Ev. Prop. III. num. II.* 19.) Natalis Alex. (*Diss. X. in sextam aetatem*).

Quinimo inter acatholicos id quoque praestiterunt Cave,

Grabbe, Vossius, Daubuzius (vid. *Oper. Ioseph: Flavii ed. Havercamp. T. II. p.* 187-283.). Villoisonus quidem (*Anecd. Gr. T. II. p.* 69-71.) locum Iosephi ex parte interpolatum esse censet; sed vel ea sola quae a manû Iosephi conscripta ipse arbitratur; pro luculento testimonio hostis Christiani nominis esse possunt; atque verba interpolata fuisse non satis evincit. Iudaei Thalmudici, aeque ac Philosophi ethnici, non denegarunt prodigia a Christo patrata, sed haec arti magicae vel diabolicae impie et stulte attribuere conati sunt. Tertullianus Iudaeos (*contr. Iud. c.* IX.) ita arguebat: *Haec operatum esse Christum, nec vos diffitemini.* Adductis testimoniis addimus aliud Quadrati Ethnici Philosophi et postea ad Christum conversi. Ille *in oratione*, quam *in defensionem Christianae Religionis* Ælio Adriano obtulit (teste Eusebio *Ecll. Hist. l.* 4. *c.* 3.) ait: *Servatoris autem nostri opera semper conspicua erant, quinpe quae vera essent: ii scilicet, qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quam diu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post ejus discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint.* His alia addi possent testimonia philosophorum praestantissimorum, qui ad Christum conversi sunt.

Qui plura de his quaerat, Veith consulat (*Quaest. circa Evanget. ac praesertim Sect. II. Quaest. II.*).

EXERCITATIO VII.

Quid de Magis Christum adorantibus?

Licet multa curiose de Magis, qui (1) Bethlehem Iesum recens natum adorarunt, inquiri soleant, pauca tamen sunt, quae satis probabili fundamento nitantur, pauciora vero quae certa sint. Ea solum, quibus aliquo pacto responderi potest, hic subjiciemus, reliqua inter incerta relinquentes. Plura autem excerpsimus ex a Lapide (*Commentar. in Matth.*) et Calmet (*Dissert. in Matth. De Magis, qui Iesum adoraturi venerunt*).

Quaeritur 1.° quaenam fuerit Magorum regio? R. Matthaeus ait ab Oriente Magos venisse, sed ex quanam praecise Orientis regione venerint, silet. Ex multis vero conjecturis probabilior ille nobis videtur, juxta quam Magi Arabes constituuntur: nam

(1) *Cum ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam* (Matth. II. 1.).

id respondet tum vaticinio Isaiae (LX. 1. 6.) *Surge, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. .... Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes;* tum Psalmo LXXI. 10.: *Reges Tharsis, et insulae munera offerent: reges Arabum, et Saba dona adducent.* Deinde Arabia vicinior est Iudae, atque abundat auro, thure, et myrrha.

Queritur 2.º quaenam fuerit Magorum conditio? R. Divisi quod ad hoc sunt Patres. Multi asserunt eos fuisse addictos sacris philosophicis scientiis, et astronomiae praecipue, ob idque Magos appellatos. Certum est apud illas gentes magni fuisse philosophos viros. Ait enim Hieronymus (*in Dan. II.*) *Consuetudo autem et sermo communis Magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem suam quod sint philosophi Chaldaeorum, et ad artis hujus scientiam Reges quoque et Principes ejusdem gentis omnia faciunt.* Alii vero Reges eos fuisse dicunt, idque Psalmi supra citati oraculo confirmant. Sed desunt solidiora ad judicium ferendum momenta, cum auctoritates, ut ait Calmet, divisae sint, conjecturae utrinque incertae, Ecclesia nihil definierit. Nomen autem *Regis* non semel in Scriptura indicat Principem alicujus urbis, aut alium in dignitate constitutum, licet ea regalis non sit.

Id ipsum affirmandum quod ad alias Magorum circumstantias. Nam plures cum S. Leone (*serm.* 1.) faciunt illos numero tres; idque confirmant numero oblatorum munerum; at auctor *glossae*, et auctor *Operis Imperfecti* plures Magos fuisse asserunt, ita ut nonnulli 12. fuisse dicant. Communiter dantur Magis nomina sat nota *Gasparis*, *Melchioris*, *Balthassaris*: sive graeca, *Appeli*, *Ameri*, *Damasci*: aut hebraica, *Magalat*, *Galgatat*, *Saracin*: aut latina, *Atoris*, *Statoris*, *Paratorae*: sed nomina haec toti fuere antiquitati incognita, et nonnisi ab auctoribus 12. saeculi tradita, ut critice notat Calmet. Magorum Corpora Medionali inventa sunt ann. 745., et Coloniam Agrippinam translata ann. 1164. ut apud Bened. XIV. (*de Beatificatione l. IV. p. 2. c. XX. num. 14.*).

Quaeres 3.º quid stella Magis apparens fuerit? R. Inter innumeras pene eruditorum opiniones hoc tamquam probabilius statuimus: nempe meteoram quamdam fuisse, sive flammeum quidpiam extraordinarium et prodigiosum. Hoc sequentibus colligimus indiciis: aliae stellae sunt in Caelo positae, et orbitam describunt; haec rectam designabat viam Magis, unde in aëre potius sistere debebat. Aliae nocte solum splendescunt, aeque semper durant, et aequalibus feruntur legibus; haec die etiam comitabatur Magos, duravit solum per iter eorum; quiescebat

cum illis, occultavit se Ierusalem; stetit supra Bethlehem. Unde merito Magorum stella comparatur potius nubi miraculosae, quae Hebraeos in deserto ducebat.

Quaeres 4.° an phaenomeni hujus aliqua reperiatur mentio apud profanos auctores? R. Testimonium illius tulit praecipue Chalcidius philosophus platonicus (*comment. in Timaeum Platonis §. CXXV. ed Fabric.*); sic enim ait ut superius etiam attulimus: *Est quoque sanctior et venerabilior historia, quae perhibet, ortu stellae cujusdam non morbos, mortesque denunciatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanae conversationis, rerumque mortalium gratiam: quam stellam quum nocturno tempore inspexissent Chaldaeorum profecto sapientes viri, et consideratione rerum caelestium satis excitati, quaesisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majestate puerili, veneratos esse, et vota Deo tantum convenientia nuncupasse.*

Quaeres 5.° quomodo Magi ex stella cognoverint ortum Christum? R. Patres duos assignare modos; primo enim sciebant oraculum Balaam (Numer. XXIV. 17.) de Christo nascituro: *orietur stella ex Iacob:* hoc est, quod Magi ipsi indicare videntur verbis illis, quibus Herodem allocuti sunt: *vidimus enim stellam ejus.* Deinde pronum est credere e Spiritus S. quoque illustratione viros illos fuisse edoctos ad gloriam Messiae, ad hominum salutem, et hic est alter modus, quo Magi Messiam cognoverunt.

Quaeres 6.° quandonam praecise Magis stella apparuerit? R. Dicunt aliqui biennio ante Magorum adventum, sive ante ortum Christi, quod praecipue ex eo eruunt, quod Herodes a bimatu jusserit occidi pueros: alii eam apparuisse dicunt circa id temporis, quo Christus natus est, ac legem Herodis bimatus adscribunt illius desiderio, ut certo Messias necaretur. Alia ommittendo, statuimus Magos devenisse Bethlehem intra spatium 40. dierum ab ortu Christi ante purificationem B. Mariae Virginis in Templo, quam infantium strages ex Evangelio est subsecuta. Difficile vero credimus tempus notare praecise stellae apparitionis, diesque a Magis in itinere insumptos, hoc enim pendet a multis, quae incerta sunt. At ex supradictis non videtur multum temporis necessarium fuisse: nam ab Euphrate, cui adjacet Arabia, Hierosolyma distat intervallo pl. min. 200. leucarum.

De Magis praeter Calmet initio citatum erudite scripsit Bened. XIV. (*de Festis l. 1. c. 2.*).

EXERCITATIO VIII.

Quomodo Matthaeus cum Luca conciliari possit circa Christi fugam in Ægyptum?

Matthaeus cap. II. narrata Magorum historia, ait Angelum apparuisse Iosepho, qui illo suadente secessit cum Maria, et Iesu in Ægyptum. Lucas vero cap. II. 39. ait de sacra familia: *Ut perfecerunt omnia secundum legem Domini reversi sunt in Galilaeam.* Lucam hic Matthaeo contradicere opponunt increduli cum auctore *les questions de Zapata.* Commentatores tamen, a Lapide et Calmet praesertim, in cit. loca jampridem antilogiam illam sustulerunt, quorum responsionem ut intelligamus, praemittendum dicimus chronotaxin gestorum Christi usque ad annum duodecimum ipsius ex Scriptura, et ex Ecclesiastica Historia excerptam, auctore prae aliis Sandini (*de Familia Sacra*).

Christus natus est Bethlehem pl. mi. anno ab Orbe condito 4,000. Ex perenni memoria Ecclesiae tum Graecae, tum Latinae natum illum ducimus VIII. Kal. Ian., natumque credimus etiam nocte ex Ecclesiae Traditione, idque confirmantibus illis de pastoribus verbis: *vigilantes, et custodientes vigilias noctis*, quod incredibile sane non est sub miti caelo, uti Iudaea erat. Christus circumcisus est die ab ortu octava, quod asserimus tum ex Traditione, tum ex illo Lucae: *postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Iesus.* Circumcisus est autem in eadem, qua versabatur habitatione, a Deipara nempe ipsa, vel a Iosepho aut a cognato quopiam; sic enim Hebraeorum usus ferebat, ut ex Sacris litteris discimus, et praesertim ex Gen. XVII. XXI., Exod. IV., 2. Machab. VI., Luc. I. 59.

Christus exactis a nativitate 40. diebus a parentibus praesentatus, seu oblatus fuit in Templo Hierosolym. juxta Moysis legem, ac juxta eamdem redemptus statuta oblatione, benedicentibus Simeone, et Anna.

Magorum ad praesepe adventum assignant multi postridie Nonas Ianuar. id est 13. die a Christi nativitate, quia id *ubique clamat*, ait Augustinus, *in Ecclesia tam praeclarae istius solemnitatis auctoritas.* Deinde notant illa Matthaei verba: *cum natus esset Iesus, ecce Magi*, quod de re proxima, et quasi praesente dici solet. Alii differunt Magorum adventum, ut commodius assignent rationem consilii Herodis occidendi pueros non solum paucorum dierum, sed *a bimatu et infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis;* nec non cum differunt, ut melius explicetur Matthaeus, qui narrat fugam in Aegyptum

statim ac Magorum discessum narraverit. Fuga enim certe subsecuta est Purificationem Deiparae. Hinc dicunt aliqui Magos venisse paulo ante Praesentationem, alii post illam, alii biennio integro postquam Christus natus est. Cum his postremis sentit Epiphanius (*Haeres.* 51. *paragr.* 9.).

Cum de adventu Magorum incerte adhuc disputetur, incerta quoque est epocha stragis Innocentium, quae illum comitata fuit. Quamvis enim Ecclesia Innocentium colat memoriam statim post Christi celebratam nativitatem, idque ob rerum connexionem, et ob caussam mortis illorum; tamen alii prius, alii postea, usque ad biennium, stragem hanc differunt, ac ita facilius isti, quam primi Herodis decretum de bimatu explicant. Vide aliam de Magis *Exercitationem*. Fuga in Aegyptum certo contigit peracta Purificatione, quae facienda erat quadragesimo a partu die. Alii porro volunt post Purificationem immediate Familiam Sacram rediisse primo Mazareth, idque praesertim ex Luca cit. loc. eo fine ut de domo sua disponeret, et necessaria ad iter longum in Aegyptum pararet. Ita a Lapide. Contendunt alii immediate Iosephum cum suis Aegyptum petiisse, atque iter in Aegyptum silentio omnino praetermissum fuisse a Luca.

Disputatio vero Christi in Templo procul dubio facta fuit anno XII. aetatis ejus, cum, recurrente Paschae festo, Hebraei omnes conferebant se Hierusalem illam celebraturi. Patet hoc aperte ex Matth. II.

Hisce praejactis haud difficile est Lucam cum Matthaeo conciliare; scilicet Matthaeus narrat quod Lucas silentio quidem praetermittit, haud tamen negat. Ita Augustinus *de consensu Evangelistarum lib. II.* ubi seriem prosequitur historiae de infantia Iesu. *Cognoscendum est unumquemque Evangelistam contexere narrationem suam, ut tamquam nihil praetermittentis series digesta videatur. Tacitis enim quae non vult dicere, sic ea, quae vult dicere illis, quae dicebat adjungit, ut ipsa continuo sequi videantur.* Itaque sicuti Matthaeus enarrato Christi reditu ex Aegypto, ita prosequitur: *in diebus autem illis venit Ioannes Baptista praedicans in deserto Iudeae*, etsi inter illum viginti amplius annorum spatium intercesserit, sic quoque Lucas ait post Praesentationem: *reversi sunt in Nazareth*, quamvis intercesserit fuga in Aegyptum.

Vide *Instit. P. II.* ubi *de Canonibus pro Evangeliorum Libris.*

EXERCITATIO IX.

De variis, quae objectant increduli circa Christi genealogiam, quam Matthaeus, et Lucas texunt.

Nonnulla praenotamus; ac 1.° nil novi, quod ad hoc praesertim, excogitatum est ab incredulis aetatis nostrae; quapropter ea omnia, quae objectant, a Patribus, et Commentatoribus soluta sunt, ac prae aliis a Hieronymo, et a Lapide. Multa de quaestionibus hujusmodi congessit Cl. Widmann (*Institutiones Theologicae T. III.*). 2.° Iudaei diligentissimi erant in notandis genealogiis, conservandisque, ut et Iosephus testatur, (*lib. 1. contra Appionem*). Quare si quid nobis occurreret, quod difficulter explicare possemus circa genealogias a Matthaeo, et Luca exhibitas, id ignorantiae nostrae veterum monumentorum dandum est, minime vero de utriusque genealogiae veritate dubitandum. Et re quidem vera nemo unquam Iudaeorum carpsit hoc nomine Evangelistas. 3.° Non omnia, quae Increduli objectant afferemus, inter quae multa sunt levissima, non pauca insuper ridicula; sed praecipua adducemus tantummodo, et quae majorem difficultatem praeseferre videntur. Hujusmodi sunt:

1.° Matthaeus ait (I. 17.) *Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim: et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim.* Iam vero Matthaeus in utraque tessaradecade solum tredecies repetierat verbum *genuit;* unde tredecim non quatuordecim generationes computari debuissent. Responsio in promptu est. Per generationes namque accepit, et numeravit Matthaeus personas omnes et generantes et genitas, quae quatuordecim erant, quasi nempe diceret: *progenies quatuordecim*, licet generationes proprie tantum tredicim fuerint.

2.° Quomodo Matthaeus (I. 8.) ait: *Ioram autem genuit Oziam*, cum ex 1. Paralip. (III.) constet inter Ioram, et Oziam intercessisse Ochoziam, Ioam, et Amasiam? Respondetur Matthaeum praetermisisse intermedias illas generationes, quia non erant scopo necessariae, quem sibi proposuerat, filium nempe indigitandi, qui ad Christum usque perduceret, et quia tres illi Reges exosi erant summopere Iudaeis, et a Deo insuper bis maledicti (3. Reg. XXI., 4. Reg. IX.) utpote Achabi nepotes. Quam licentiam praetermittendi intermedias generationes in genealogiis describendis invenies in Esdra, si hujus libri I. caput II. cum capite VII. libri II. conferas; nec non etiam in profanis historicis orientalibus, ut testantur Grotius, et Lightfoot apud Calmet in hunc locum Matthaei. Non enim solum pater genuisse filium, sed et avus nepotem, et pronepotem proavus, *mediate* scilicet, salva recti sermonis ratione dici potest.

3.º In genealogia Christi, quam exhibet Lucas (III.) plures numerantur generationes, quam in ipsius Christi genealogia per Matthaeum descripta. Respondemus dictum jam antea fuisse Matthaeum praetermisisse generationes aliquas intermedias. Quo tamen ommisso, notandum est Matthaeum genealogiam Christi per Salomonem descendendo texere, Lucam vero ascendendo a Christo ad David per Nathanem, alterum Davidis filium. Quid autem mirum si in duabus lineis ab eodem stipite provenientibus generationes plures, quam in altera habeantur?

4.º Instant. Tam Matthaeus, quam Lucas genealogiam Iosephi non Mariae describunt; ergo non innuunt veram Christi genealogiam. Ut apte respondeamus animadvertimus 1.º juxta plurimos Interpretes Lucam non Iosephi, sed Mariae indicare progenitores, unde ex hac parte omnis difficultas evanescit; 2.º Matthaeum genealogiam Iosephi demonstrando, eam simul ostendisse, quae Mariae erat. Cautum enim erat lege apud Hebraeos (Num. XXXVI.) ne vir uxorem, neve faemina virum ex alia tribu, aut familia sumeret, quam ex sua, *ut haereditas permaneat in familiis*, nec insimul misceantur Tribus. Hanc porro legem, ut alia omnia, religiose procul dubio Maria servavit, quae unica filia erat, ac haeres Ioachim et Annae. Ergo si Matthaeus Iosephum ostendit a Davide prognatum, stirpem quoque Mariae, et consequenter Christi a Davide ipso satis demonstravit; 3.º opinari multos cum a Lapide Matthaeum ipsum describere, uti Lucam, genealogiam Mariae; illum quidem per lineam Mariae maternam, hunc vero per ejusdem lineam paternam. Sicut enim Mathat a Luca recensitus genuit Heli, seu Ioachim (quae nomina eadem sunt) patrem Mariae; sic Mathan a Matthaeo recensitus genuit tum Iacobum patrem Iosephi, tum Annam matrem Mariae.

5.º Matthaeus appellat patrem Iosephi nomine Iacobi; Lucas vero nomine Heli. Sed re ponimus Lucam Heli indigitare non ut patrem Iosephi, sed ut avum Christi; ait enim. Iesus (*qui putabatur filius Ioseph*) fuit Heli, id est Ioachimi patris Mariae. Alii cum Hieronymo, qui Iulianum Augustum redarguebat (*Comment. in Matth.*) adversarios redarguunt *non intelligentes consuetudinem Scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum legem ei* (scilicet Iosepho) *pater sit.*

6.º Lucas (III. 35. 36.) inter Arphaxad et Sale ponit Cainan, quem silent Textus hebr. et Vulgata: vide Genes. X. et XI. Respondetur 1.º non silere Cainan LXX. interpretes; 2.º Cainan additum fuisse a Luca ut expressius indicaretur pater Sale. Hoc autem et LXX., et Lucas cognoscere potuerunt ex Traditione, et ex libris genealogicis apud Iudaeos diligentis-

sime conservatis. Textus vero et Vulgata silendo Cainan, neque eum negarunt, neque falso loquuti sunt ommittendo generationem intermediam, cum phrasi hebraica nepotes etiam vocentur filii, vel geniti avorum, aliorumque progenitorum. Exempla habentur Iudith VIII. 1.; 1. Esdr. V. 1.; 1. Paral. variis capitibus. Consule quoque ea, quae Quaesito 1.° respondentes diximus.

Alii Cainanem illum apud Lucam insititium esse existimant, cum non in omnibus graecis Codicibus legatur, neque in suis eum legisse Irenaeus, Theophilus, Epiphanius, aliique Patres videantur (v. *Lamy Harm. Evang. p.* 29. *Alber Inst. V. T. Exercit. V.*).

Fusius de his praeter Commentatores Veith (*de Evangel. Sect. V. Caput I.*).

EXERCITATIO X.

An credibile sit tot fuisse energumenos tempore Christi?

Evangelii quidem auctoritas id fateri cogit. Narratur enim simplici historia Christum adlocutum esse daemones, interrogasse, imperasse ut exirent, concessisse, ut in porcos abirent. Additur Pharisaeos, qui hostes se praebuerunt Christi, ejusque miraculorum, id agnovisse, ac pronunciasse quod Iesus in principe daemoniorum ejecisset daemonia. Iesus saepius *ejectionem daemoniorum* ceu argumentum potentiae suae divinae, qua *inimici potentia* profligata est, proponit (Matth. XII. 25. seq. Luc. XI. 17. seq.; cf. Luc. X. 17. 18.): atque eodem modo loquuntur Apostoli (cf. Act. X. 38., XVI. 16. seq.), et quidem post acceptum illum Spiritum veritatis, qui nempe eos *doceret omnem veritatem.* Patres antiqui, et recentiores omnes consentiunt, homines, qui in N. T. daemoniaci dicuntur, vere a daemonibus fuisse correptos: adeoque exstat continuata testium series, quomodo loca de daemoniacis, inde ab aetate Apostolorum, fuerint constanter intellecta et explicata in Ecclesia. Quid ergo valet hujus rei fidem auferre? Audiamus quid opponant.

1.° Quod daemonis dicebatur invasio, aut morbus erat quidam, aut delirantis imaginationis spectrum. Notum est autem, ajunt, boni esse medici cum stultis, et melancholicis pro vero fingere quod jactant, et apparentem adhibere medicinam. At contra: veros fuisse energumenos Historiae Evangelicae simplicitas evincit; confirmant Ecclesiae Patres, tuentur Catholici Interpretes, imo omnes unanimiter fatentur Catholici. Qui possumus tantae auctoritati resistere, ut nudae incre-

dulorum assertioni, ac gratis confictae hypothesi adhaereamus? Numne Christo, qui Deus erat, medicorum industriae necessariae erant, ut morbos depelleret?

2.° Christus, et Evangelistae, inquiunt, loquendi modo Hebraeorum se conformarunt, qui scilicet nomine mali Angeli triste quidpiam contingens intelligebant. Nos porro in secunda *Institutionum* parte hunc interpretandi modum falsum ostendimus. Interim notare sufficit Christum, et Evangelistas sic de energumenis locutos esse, ut angelos malos, qui eos invadebant, aperte supposuerint rationales personas, et nominibus etiam propriis donatos. Insuper Iesus *daemoniacos* ita sanavit, ut *Daemonia ab iis discedere juberet* (Luc. IV. 34. 35., IX. 42. 43. etc.), quo declaravit caussam morbi esse *Daemonem*, sicut sanando socrum Petri (Luc. IV. 39.) imperans *febri* ut dimitteret illam, *febrim* morbum ejus fuisse notavit. E contrario sanans *lunaticos*, quorum morbus *Lunae* influxui a vulgo tribuebatur, non imperavit *Lunae* ut ab eis discederet, quia sic sententiam erroneam et superstitiosam confirmasset. Quare Christus, et Apostoli deceptores dicendi essent si de rerum solum eventibus, non de personis locuti essent. Accedit, Iesum (si in tali casu non vere Daemonem ejecisset, sed tantum morbum naturalem curasset) usurpando vulgares formulas, quae morbos aliquos malis Angelis adscribebant, errorem, qui superstitionem maxime proveheret, patratis etiam miraculis confirmasse et promovisse; quod de Iesu Deo et homine cogitare impium est.

3.° Qui energumenos admittit, injuriam videtur inferre bonitati, ac providentiae Dei, sine quo Daemones nequeunt homines invadere, ac torquere. Respondemus necessariam esse quidem Dei permissionem, ut daemones naturalem, quam habent, vim in homines exerceant; at non inde infertur Deum auctorem esse invasionis Daemonum in homines, eamque approbare, ut increduli supponunt. Permittit haec solum, idque sapientissimis de caussis, cujusmodi sunt ut exerceantur justi ad virtutem, peccatores puniantur, aliaque inferius indicanda.

4. Suspicionem movet quod inter gentiles non constat ex eorum historia fuisse energumenos. Solum exstiterunt isti inter Hebraeos. Sed in primis energumenorum species fuerunt inter gentiles furiae, quae a Graecis dicebantur *Eumenides*, *larvati*, *larvarum pleni*, *cerriti*, *lunatici*, *a Cerere*, *vel Diana agitati*, *pythones*, *pythiae* oracula fundentes inspirati ab Apolline, Latona, aliove ex falsis Diis. Deinde peculiares aderant rationes, cur inter Hebraeos abundarent tempore Christi energumeni, ut paullo infra exponemus. Nam

5.° Rident quidem increduli ignorantes curnam hoc tem-

pore Christi praecise tot fuerint in Palaestina energumeni. At praeter id, quod Dei occultis consiliis reservatum esse potuit, voluit inde Christus, qui ad destruendum Diaboli imperium jam venerat, palam facere ex una parte tyrannidem Diaboli, ex altera sui ipsius potentiam, bonitatemque Daemones comprimendo, atque expellendo. Spirituum quoque existentiam contra Sadducaeorum dogmata, novo hoc argumento confirmabat opportunissime.

De hoc argumento fuse prae aliis Calmet *in Luc.* (*Dissert. de Daemonibus corpora obsidentibus et possidentibus*). Utilia etiam habentur apud Bened. XIV. (*lib.* 4. *de Beatif. et Canoniz. Part. I. c.* 29.), Bergier (*Certit Christian. P. I. c.* 5.), Feller (*Catech. Philos. P. II. N.* 319.), Spedalieri (*Analisi dell' Esame Critico di Freret. T. 1. c.* 5.).

EXERCITATIO XI.

Quid de Probatica Piscina?

De Probatica Piscina, quae Hierosolymis erat, haec leguntur Ioannis cap. V. *Angelus Domini descendebat secundum tempus in Piscinam, et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.*

Quaeritur 1.º quis ille locus esset? Atque ut respondeamus sciendum est *piscinam* in Scripturis dici locum aquas continentem, vel cum *piscibus*, vel aptum ad hoc ut *pisces* contineat aut in quo homines, quasi more *piscium*, natare possent. Plures autem in Scripturis piscinae nominantur. Prae aliis Hierosolymis erat piscina graece *προβατικὴ probatica* dicta, quod ibidem oves lavabantur ad Sacrificia destinatae, ut fert communior opinio; appellata hebraice *bethsaida*, idest *domus piscationis*, sive *domus misericordiae*, seu potius בית־הצאן *domus* sive *locus gregis*. Volunt aliqui idem esse probaticam piscinam, ac *natatoriam Siloe* (qui fons erat Ierusalem), de qua Ioannes IX.; sed penitus diversa aquarum receptacula fuisse videntur. Putant etiam de ea fieri mentionem 2. Esdr. III. 1., 22. (1) atque exstructam fuisse a Salomone Templi commodo.

(1) *Et surrexit Eliasib Sacerdos magnus, et fratres ejus Sacerdotes, et aedificaverunt portam gregis: ipsi sanctificaverunt eam, et statuerunt valvas ejus, et usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam usque ad turrim Hananeel. . . . Et post eum aedificaverunt sacerdotes, viri de campestribus Iordanis.*

Alii existimant de illa sermonem haberi 2. Paral. IV. ubi describitur *mare aenum* continens *tria millia metretas*, simul cum quibusdam receptaculis aquarum, de quibus loquitur Aristeas (*l. de LXX. Int. ad Philocratem*).

Quaeritur 2.° an Angelus descenderet statutis temporibus, an potius incertis ad turbandas aquas? Respondet a Lapide, quem plures sequuntur, descendisse Angelum certo quodam tempore vel a se, vel a Deo destinato, sed hominibus incognito: secus enim non decubissent juxta eam aegri, sed domi suae, indeque instante die statuto, (quem vellent aliqui Pentecosten fuisse, aut aliud anni festum) piscinam adiissent.

Quaeres 3.° Quis nomine Angeli intelligendus sit? R. Censuerunt quidem aliqui merum eum fuisse hominem, qui aquam turbabat, *Angelum* appellatum ex eo quod mittebatur a Templo, et ex mirabili effectu, qui sequebatur. At tum ex Scripturae obvio sensu, tum ex Patrum et Interpretum communi explicatione dicendum est, eum vere fuisse Angelum, quem non pauci credunt Raphaelem, cujus nominis significatio est: *Medicina Dei.*

Quaeritur 4.° an naturalis, vel supernaturalis fuerit effectus ille? Etsi aliqui putent sanguine, et adipe aqua innatantium motu calefactis potuisse ita hominis humores misceri, ut valetudo naturaliter sequeretur; communissima tamen fert sententia miraculum illud fuisse. Nam *statim a quacumque infirmitate* homines sanabantur, et ille tantum, qui *prior descendisset in Piscinam post motionem aquae.* Falso autem comminiscuntur aliqui sanguinem victimarum Templi in hanc Piscinam defluisse: etenim deferebatur in torrentem Cedron (v. *Lamy de Templo*).

Quaeres 5.° an privilegium hoc viguerit ante Christum? Resp. Quamvis piscinae mentio satis probabiliter conjectetur ex quibusdam locis, ut supra dictum est, nihilominus aquarum prodigium a multis creditur reservatum ad tempora Christi, ut ipse aegrum ibi sanando, ait a Lapide, ostenderet se esse Deum, qui vim hanc piscinae dedisset, ideoque sine illa aegrum curare posset. Hoc autem typo admonebantur Iudaei, paratos esse debere ad illud momentum, quo adventante Messia contendere quisque deberet, ut prior esset in requirendis ejus beneficiis. Tertullianus (*de Bapt. c.* 5.) agens de virtute Baptismi, in hujus virtutis exemplum et figuram allegat *Probaticam Piscinam.*

Quaeres 6.° qua de caussa Probaticae Piscinae solus Ioannes mentionem faciat, non vero quilibet alius Evangelista, neque Iosephus? Respondetur hoc quidem unum esse ex iis, quae Woolstonus cum aliis ejusdem generis objicit in Christi odium;

at immerito. Etenim 1.º Ioannes Evangelista, etiam ut historicus, omnem fidem meretur, quam non enervat aliorum silentium, cujus multae rationes esse possunt, etsi nobis incognitae. Ubi illud monemus quod nemo Evangelistarum sibi proposuit omnia conscribere, (videantur *Instit. Can. pro Evangeliis*) neque Iosephus ipse, qui multa ommisit, ut prae aliis quae ad Iudith historiam pertinent. Contendunt tamen aliqui Iosephum de Piscina loqui *libr. VI. de Bello c.* 6.; de qua re videndus Cerbonius. 2.º Peculiaris erat ratio cur Ioannes, qui Divinitatem Christi probare volebat, de ejus miraculo loqueretur, quod occasione Probaticae Piscinae patravit. 3.º De Probatica Piscina testimonia afferunt luculentissima Tertullianus (*lib. contra Iudaeos*), et Hieronymus uti testis oculatus (*De Locis Hebraicis v. Bethseda*). Hisce adde, quod Paralyticus ad Probaticam sanatus a Christo, et grabatum suum humeris ferens, saepius in pictis et sculptis monumentis Christianis inde a primis saeculis conspicitur (*Buonarroti, Vetri p.* 58.).

Quaeres 7.º Cur Ioannes circumstantias multas ommittat, quae de Probatica Piscina quaeri non irrationabiliter possent; ex. gr. quo tempore Angelus descendebat, quot in anno vicibus, cur unus tantum sanaretur etc.? Respondetur Ioannem non id sibi proposuisse ut historiam conscriberet Probaticae Piscinae, sed ut narraret miraculum a Christo patratum per Paralytici sanationem ad Probaticam Piscinam. Sed neque neglexit accuratam illius descriptionem, ut monet Angelicus (*Lect. I. in Io. V.*) *Quae quidem* (Probatica Piscina) *describitur ex quatuor, scilicet ex nomine, ex dispositione, ex inhabitatione, et ex virtute;* quae fusius deinde explicat idem Angelicus. Vide Commentatores, et Veith (*de Evangel. Sect. III. Cap. III. Quaest. XIX.*).

EXERCITATIO XII.

An una, vel plures fuerint Mariae Iesum ungentes?

Sciendum est triplici loco mentionem fieri de unctione Iesu facta a Muliere, 1.º biennio ante Pascha in domo Pharisaci, ex Luc. VII. 37. (1); 2.º sex diebus ante Pascha in domo Pharisaci, ex Luc. VII. 37. (1); 2.º sex diebus ante Pascha in domo Lazari, ex Ioannis XII. 1. (2); 3.º biduo ante

(1) *Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisaei, attulit alabastrum unguenti.*

(2) *Iesus ergo ante sex dies Paschae venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus.*

Pascha in domo Simonis Leprosi, ex Matth. XXVI. 6. 7. (1) Marc. XIV. 3. (2). Quaeritur itaque an una, vel duae, vel tres fuerint Mulieres Iesum ungentes?

Prima sententia, quae est Origenis, Theophylacti, et quorumdam recentiorum, tres fuisse distinctas mulieres affirmat quae tribus illis temporibus unxerunt Iesum; dicunt enim nihil solidum esse, quod prohibeat textus narrationi adhaerere, qui simplicissime narrat ter Iesum unctum a muliere fuisse, tresque indicat mulieres ungentes.

Secunda sententia duas fuisse tuetur Magdalenas, unam *peccatricem*, et Galilaeam; alteram *sanctam*, et Bethanicam Lazari sororem. Ita Chrysostomus (*Hom.* 81. *in Matth.*).

Tertia, quae plurium est Patrum, pronuntiat unam eamdemque mulierem unxisse Iesum; eaque, juxta eos, est Maria Lazari, et Marthae soror, quam Lucas *peccatricem* vocat, Ioannes *Mariam*. Bis vero, non ter Magdalena unxit Iesum. Sententiam suam sic probant.

1.° Praedixit Christus, quod ubicumque fuisset praedicatum Evangelium, laudaretur etiam pietas mulieris, quae illum unxit. Ita Matth. XXVI.; Marc. XIV. At nulla alia faemina hoc nomine laudatur praeter Mariam Lazari sororem. 2.° Ecclesia *in Officio* omnia quae de unctionibus leguntur tribuit illi, quae soror est Lazari. 3.° Soror Lazari unxit Iesum sex diebus ante Pasqua, ut refert Ioannes capite XII. Sciendum est rursus quod idem Ioannes loquens capite XI. de Lazaro, ejusque sororibus, ut singulariter designaret Mariam ait: *Maria autem erat, quae unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis.* Hic docet Mariam hanc inde esse notam quod alias unxerat Iesum. At de unctione, quae facta fuit sex diebus ante Pascha loqui non poterat, cum haec subsecuta fuerit, et cum de hac loquatur sequenti cap. XII. Ergo de illa sermonem habet, quam narrat Lucas factam biennio ante Pascha. Eadem est ergo mulier ungens de qua Ioannes, ac illa, de qua Lucas. Tandem eadem est unctio, quam describit Ioannes sex diebus ante Pascha, ac illa, quam Matthaeus innuit, ut hos Evangelistas conferenti patebit. Nam unctio utraque in Bethania contigit, ac per effusionem alabastri super caput Iesu. 4.° Facultas Parisiensis ann. 1521. vetuit sententiam contrariam publice defendi, cum haec Evangelio, atque Ecclesiae ritibus minime sit consentanea.

Sed ajunt contra, 1.° Mulier ungens, de qua Lucas, erat

(1) *Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti etc.*

(2) *Et cum esset* (Christus) *Bethaniae in domo Simonis leprosi, et recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti.*

Galilaea. Ita Matth. XXVII. dicit eam secutam esse Iesum a Galilaea. Ergo diversa est a Sorore Lazari, quae Bethanica erat. Bethania enim erat civitas Iudeae. Resp. Potuisse eamdem mulierem Iudaicam esse ratione originis, Galilaeam ratione habitationis, vel ob matrimonium ibidem initum, vel ob dominium loci alicujus haereditate obtenti, quem putant Castellum Magdalum, a quo nomen Maria sumpsit (1).

2.° Maria de qua Ioannes, unxit sex diebus ante Pascha, et effudit super pedes. Alia, de qua Matthaeus, et Marcus, unxit biduo ante Pascha, et unxit caput. Ergo diversae mulieres unxerunt, aut saltem ter, non bis eadem unxit. Resp. Matthaeus et Marcus quamvis describant unctionem dum narrant quae contigerant biduo ante Pascha, non ideo dicunt tunc eam accidisse; sed non servato temporis ordine dicunt per recapitulationem quae antea acciderant, nempe sex diebus ante Pascha, quaeque occasionem dederunt perditioni Iudae. Eadem autem mulier unxit et pedes, et caput, etsi unus Evangelista notet unctionem capitis, alius pedum: nam dicendo unum, non negat alterum.

3.° Matthaeus, et Marcus narrant unctionem factam in domo Simonis leprosi; Ioannes vero in domo Lazari. Respondent cum a Lapide (*in Matth. XXVI. 7.*) Ioannem dicere quidem Mariam, et Martham fecisse caenam, sed non dicit in propria domo. Caena in domo facta est Simonis Leprosi, vel quia hoc erat ei cognomen, vel quia lepra a Christo sanatus. Nonnulli putant hunc eumdem fuisse ac Simonem Pharisaeum, in cujus domo biennio ante unctus fuerat Iesus ex Luca. Martha autem in caena hac ministrabat, subdit a Lapide, sive quia vicina, sive quia cognata, aut familiaris erat Simoni.

Vide *Diss.* Calmet *in Evang. Lucae (In Tres Marias);* Natal. Alex. (*Historia Eccl. Saec. I. D.* 17.). Vide etiam *Nouveaux Opuscules de M. L' Abbé Henry. Paris an.* 1818. atque Lamy (*Dissertatio de Unica Magdalena*).

(1) Enimvero Lamy (*Harm. Evang. l. III. c. 5.*) ingeniose et erudite conjicit, *Magdalenam* ita cognominatam a vocabulo hebr. מגדלא *Magdela* vel *Magaddela*, quo mulier *plicatrix capillorum*, nimia praesertim cura indicatur.

EXERCITATIO XIII.

An Ioannes Evangelista mortuus sit?

Opinantur nonnulli Ioannem Evangelistam mortuum non esse, 1.° quia Petro de Ioannis sorte interroganti Christus respondit: *sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* (Ioan. XXI. 22.); 2.° quia Angelus dixit Ioanni: *oportet te iterum prophetare Gentibus* (Apocal. X. 2.); 3.° Confirmatur ex illo Christi (Luc. IX. 27.) *Sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem, donec videant Regnum Dei.*

Sed pluribus ut certum videtur Ioannem revera mortuum esse, 1.° quia naturali eum esse morte defunctum tradunt passim Ecclesiae Patres, praesertim Polycrates, Irenaeus, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, Beda, et alii, ex quibus infert Baronius mortuum eum esse anno Christi 101, Clement. Pontificatus 9. Ephesi, ibique sepultum; 2.° quia Concilium Ephesinum praecipit coli reliquias Ioannis ibidem sepulti, et Caelestinus (*in Ep. ad Concil.*) loquens de Ioanne inquit: *cujus reliquias praesentes honoratis*; 3.° quia Traditio Ecclesiae fert, ut festum celebretur Ioannis ut beati, et regnantis cum Christo, quod nonnisi post mortem contingere potest.

Argumentis autem alterius sententiae sic respondent: Dixit Iesus: *sic eum volo manere* etc. solum *conditionate*, et revera varii sic legunt: *si eum volo manere* etc.: et haec unice vera lectio visa est Maldonato aliisque, cum in graeco textu sit ἐὰν, atque amanuensis latinus facile pro *si* scribere *sic* potuerit; deinde Ioannes ipse subjungit: *non dixit Iesus non moritur* etc. Aliter etiam respondetur hoc modo: tu, o Petre, cito morieris morte Crucis, Ioannem volo manere servatum morti naturali usque dum veniam in excidio Ierusalem, aut gloriosum me ostendam in *Transfiguratione.* Dixit autem Angelus: *oportet te iterum* etc. quia post ea, quae prophetaverat, alia supererant graviora dicenda, in sequentibus Capitibus descripta, de Antichristo, aliisque ad finem mundi spectantibus; supererat quoque Evangelium, quod post Apocalypsim scripsit Ioannes.

Dixit tandem Christus: *sunt aliqui hic stantes* etc. quatenus aliqui superstites remanere debebant excidio Ierusalem, et Iudeae, sive, quod pluribus placet, quatenus aliqui non omnes discipuli, scilicet Petrus, Iacobus, et Ioannes ante mortem videre debebant *Filium hominis in regno suo*, id est *in regia claritate*, quam ille ostendit in gloriosa sua Transfiguratione, quam immediate narrant Matthaeus, Marcus, et Lucas; et de

qua Petrus (2. *Ep. I.* 16.) *Speculatores facti magnitudinis illius*, nempe *Christi*. Opinati sunt aliqui Ioannem resurrexisse, et in Caelis anima, et corpore reperiri; qua hypotesi reliquiae, de quibus loquitur Ephesinum non poterant esse corporis reliquiae. Sed opinio haec neque in Scripturis, neque in Traditione certum habet fundamentum.

Vide Commentatores et *Diss.* Calmet *in Evang. Ioannis De obitu S. Ioannis Evangelistae*). Consulatur etiam Tillemont (*T. I. in Notis de Ioanne.*); atque Morcellus (*in Kalendario Constantinop. T. 1. p.* 167.).

SECTIO IV.

DE VARIIS CIRCA SACRAM SCRIPTURAM.

EXERCITATIO I.

Quid de mendaciis, quae apparent in variis Scripturae locis?

Nonnulla argumenta a quibusdam exemplis petita agglomerant impii ad probandum in Scripturis reperiri mendacia. Hinc quaeritur 2.° quid generatim respondendum quaestioni, an in Scriptura esse possint mendacia? 2.° Quid notandum circa sequentia: Gen. IV. 15., ubi Deus Cain ait: *nequaquam ita fiet.* Isa. XXXVIII. 1. (1) ubi Ezechiae praedicitur mors; Ionas III., ubi Ninives praedicitur evertenda, Ezechiel. XIV. 9. ubi: *ego Dominus decepi prophetam illum:* Gen. XII. 59. (2). item XXII. 5. (3) de Abraham; ita XXVII. 19. (4) ubi de Iacob. item XLII. 9. (5) de Ioseph. De Iudith XI. 15. (6); Exod. I. 19. (7) de obstetricibus. De Raphaele in libro Tobiae. Marci XIII. 32. (8) de Christo; de quo pariter Ioann.

(1) *In diebus illis aegrotavit Ezechias usque ad mortem: et introivit ad eum Isaias filius Amos propheta, et dixit ei: Haec dicit Dominus; dispone domui tuae, quia morieris tu, et non vives.*

(2) *Quam ob caussam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam et vade.*

(3) *Dixitque ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.*

(4) *Dixitque Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut praecepisti mihi: surge, sede, et comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua.*

(5) *Recordatusque somniorum, quae aliquando viderat: ait ad eos: Exploratores estis: ut videatis infirmiora terrae venistis.*

(6) *Et dicet mihi, quando eis reddat peccatum suum et veniens nunciabo tibi, ita ut ego adducam te per mediam Ierusalem, et habebis omne populum Israel, sicut oves quibus non est pastor, et non latrabit vel unus canis contra te.*

(7) *Quae responderunt: Non sunt Hebraeae, sicut Ægyptiae mulieres, ipsae enim obstetricandi habent scientiam, et priusquam veniamus ad eas, pariunt.*

(8) *De die autem illo, vel hora nemo scit; neque Angeli in Caelo; neque Filius, nisi Pater.*

VII. 8. (1); de quibus omnibus in locis citatis mendaciorum exempla apparent.

Quod attinet ad primum, duplici modo sumi potest quaesitum hoc; scilicet quaeri potest primo an hagiographus proferre potuerit scribendo mendacia? Secundo an aliorum mendacia referre potuerit? Iamvero fieri omnino non posse, ut hagiographus dicere potuerit mendacia, tenent omnes Catholici; et hoc probare solent primo testimoniis ipsius Scripturae: Numer. (XXIII. 19.) *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur; neque ut filius hominis, ut mutetur:* Ad Titum (I. 2.) *qui non mentitur Deus;* Prov. (XII. 22.) *abominatio est Domino labia mendacia*; quibus multa alia habentur similia. Atqui Scriptura est ipsius Dei verbum. Ergo hujusmodi mendacia in ipsa reperiri nequeunt. Sed melius (ne quod in quaestionem incidit supponamus) probatur id praeterea ratione, ostendendo videlicet mendacium esse intrinsece malum ex quo naturae rationalis ordinem evertat; sit contra mutuam hominum fidem; et contra verborum, sive rationalis locutionis necessitatem. Notant deinde Deo omnipotenti, ac sapientissimo suffragari non posse titulum necessitatis; cum deinde vel unico mendacio totam ammissurum fore auctoritatem; summam tandem veracitatem Deo esse essentialem cum sit perfectio *simpliciter simplex*, ut scholae ajunt. His porro rationibus concluditur Deo repugnare omnino mendacium, ac proinde in Sacra Scriptura reperiri omnino non posse. Confirmatur idipsum auctoritate Patrum, quorum licet aliqui paucissimi dubitent de intrinseca mendacii repugnantia, concedunt tamen omnes Deum nunquam mentitum esse. Videatur Suarez (*de Fid. Disp.* 3. *P.* 5.) Dixi *aliqui* etc.; solent enim contra intrinsecam mendacii malitiam citari (vide a Lapide *in Exod. I.* 19.) Clemens Alexandr., Origines, aliique pauci, qui hoc videntur ex Platone hausisse, qui (*l.* 3. *de Republ.*) ait: *mendacio, licet re mala, utendum est tamen quandoque, tamquam helleboro, et medicamine.* Nonnulli tamen, qui idipsum adstruere videntur, explicari debent pro licitudine dissimulationis. Videtur tandem res haec definita ab Innoc. III. *titulo de usuris cap. super eo.*).

His positis ad primum quaesitum respondemus, in Scriptura non posse haberi mendacia ab hagiographo ipso prolata, quae in Deum refundenda essent. Quare quae proponi solent, vel non erunt vera mendacia, vel ad summum licitae aequivocationes, vel mendacia relata solum fideliter a Scriptura utpote a fideli

(1) *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum; quia meum tempus nondum impletum est.*

historia, atque ab aliis prolata sive malitia, sive ignorantia; ex quo inferri potest quid respondendum sit quaestioni alteri superius indicatae, scilicet, an hagiographus aliorum mendacia narrare potuerit. Nunc ad aliud quaesitum respondemus singula percurrendo.

1.° Etsi aliquis, (vers. 23. cap. IV. Gen.) constet occisus a Lamech, non tamen ait Scriptura eum fuisse Cainum, unde corruit contradictio. Si autem conjecturis adhaerendo cum aliquibus PP. Cainum dicimus occisum, tunc verbis illis: *nequaquam ita fiet* solum negabitur Cainum occidendum esse ut ipse timebat, scienter ac data opera, et a primo occurrente. Et revera casu fuisse eum occisum potius credendum est.

2.° Praedictio mortis Ezechiae, eversionis Ninive non sunt *absolute* explicandae, sed *conditionaliter*, et *comminatorie*.

3.° Cum Deus dicitur decipere, ut in Quaesitu, aliisque pluribus locis, id non *positive* verificatur, quatenus Deus vere decipiat, sed *permissive* juxta Theologos, quatenus sinat homines in occasione erroris versari.

4.° Abraham vel mentitus est ipse, vel solum celavit veritatem, verum dicendo; nam Sara erat neptis ejus; nepotes autem vocabantur etiam fratres, uti Loth dicitur frater Abraham (Gen. XIII. 8.) (1). Abraham ipse Gen. XX. 12. ita se excusat: *vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meae:* idest filia Thare, qui ejus erat avus. Sororem etiam Saram appellavit Tobias (VIII. 9.), (2) quae consobrina erat. Si autem dixit reversurum cum Isaac propter promissionum fidem, id asseruit vel credens Isaac non moriturum, vel suscitandum.

5.° Iacob vel mentitus est ipse, vel id vere dicebat jure emptionis, repraesentationis, et decreti Dei, quod matri per illa verba patefactum fuerat: *major serviet minori.*

6.° Ioseph vel mentitus est *leviter*, vel id vere dixit juxta Regis et domesticorum opinionem: aut *interrogative*, nam XLIV. 15. legitur: *cur sic agere voluistis?*

7.° Iudith (ut ait Angelicus 2. 2. *qu.* 100. *art.* 3., *ad* 3.) *laudatur non quia mentita est Holopherni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi....... quamvis etiam dici posset quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum. Et revera duxit Holophernem per mediam Hierusalem capite caesum.* Vide nostram *Exercitationem de Iudith.*

(1) *Dixit ergo Abraham ad Loth: ne quaeso . . . . fratres enim sumus.*

(2) *Et nunc, Domine, tu scis, quia non luxuriae causa accipio sororem meam conjugem.*

8.º Obstetrices Ægypti fuerunt remuneratae, ut docent Augustinus, et Angelicus, non quia mentitae sunt, sed quia in populum Dei misericordes fuerunt.

9.º Singula Raphaelis dicta depurari possunt a mendacio. Nam ait se esse ex filiis Israel, quia et ipse justus erat; quia Israelitarum custodiae erat deputatus; et quia Israel idem est, ac *videns Deum: dominans Deus.* Ait Gabelum esse suum fratrem, quia ejusdem Dei filii erant ambo, et ejusdem haereditatis. Ait se esse *Azariam Ananiae* filium vel ob formae similitudinem eodem fere modo, quo dicimus S. Petrum aliquam illius imaginem; vel nomina sumendo ex officiis, uti solent Angeli: nam Azarias significat *Dei auxilium:* Ananias *gratiam Dei.* Obiter notant nonnulli cum Saliano Azariae nomen fuisse *appellativum*, assumptum a Pontificibus, et Regibus aliquando honoris caussa. Ait se et Tobiam esse ex Tribu Nephtali (si tamen illa verba: *Ex tribu Nephtali sumus*, prolata fuerunt ab Angelo, non a Tobia tantummodo) quia Tobias ex illa erat ratione originis, Angelus vero protectionis, tum quia Raphael sumpserat formam, personam, ac nomen Azariae, qui ad tribum Nepthali pertinebat.

10.º Christus dixit se nescire diem judicii *scientia*, uti ajunt, *communicabili.* Dicebat nempe *se nescire* diem illum, quia nolebat eum *notum facere;* ut Apostolus: *Non enim judicavi me SCIRE aliquid inter vos, nisi Iesum Christum* (1. *ad Corinth. II.* 2.); idest *facere ut sciatis.* Verba scilicet in conjugatione hebraica *Hiphil* tum actionem, tum auctorem actionis significant: quam conjugationem non exprimunt Iudaei graece loquentes, quia graeca lingua caret illa conjugatione. Christus, inquam, *nesciebat diem judicii*, quia *non faciebat scire*, idest *non eum declarare volebat.* Iesus negavit se ascensurum *palam et statim* ad diem festum Scenopegiae, ascendit autem non prima, sed tertia vel quarta die, *festo die mediante*, et quidem *non manifeste, sed quasi in occulto* (*Ioan. VII.* 10. 14.).

Addimus in fine, mysteria quaedam in quibusdam ex superius recensitis dictis, aut gestis a Patribus detecta simul cum mendacio ab aliquo prolato consistere posse, ut ait Calmet (*in Iudith. X.* 13.). Vide Commentatores.

EXERCITATIO II.

Quid ex Scriptura quod ad Magiam ante Christum?

Fuisse tunc homines, qui nomen haberent Magorum, aliudve idem significans, ut *ariolorum*, vel *incantantium*, certum est ex pluribus locis infra adducendis. Nec minoris est certitu-

dinis hujusmodi homines ideo Magos appellatos fuisse quod mira in speciem patraverint.

Sed quaeritur 1.° an mira illa ingenio, ac vi humana fuerint patrata, ut fucus fieret vulgaribus hominibus, an daemonis auxilio, sive arte diabolica? Quamvis vero nonnulli putaverint mira, quae fecerunt Magi Pharaonis, aliique, similia fuisse jocis circulatorum, ut ex. gr. serpentes chordis, et mercurio confictos, qui vivorum speciem ac motum imitarentur; attamen comunissima sententia Patrum ac Interpretum fert Daemonis operam intercessisse. Id enim narrat Scriptura, quod hominum vires excedere apertum est. Hujusmodi sunt Exod. VII. quod virgae magorum sint in serpentes conversae; quod Magi adhibuerint incantationes aegyptiacas, et arcana. Ubi notandum quod si hominum fraude illa evenissent, non praetermitteret Scriptura quin de ipsa nos moneret, praesertim circa illa, quae coram Pharaone patrata sunt.

Sed quaeritur 2.° an ita Daemon se se immiscuerit, ut per leges quasdam constantes Magia fuerit ad artem reducta? Respondetur plures in ea esse opinione, quod Daemon ante Christum potuerit quidem uno vel alio modo, aut loco, aut tempore operari, prout nempe Deus libere illi permittebat; at ejus facultatem (quod multo magis de tempore post Christum dicendum est) numquam constantem fuisse, vel iis regulis, aut praeceptis alligatam, quae certam praeberent viam, rationemque operandi uti quidam autumarunt. Hoc sensu negant illi extitisse umquam *Artem Magicam*. Enimvero dicunt, quaenam ad id affirmandum sufficientia argumenta afferri possunt?

Quaeritur 3.° quomodo Daemones, qui spiritus sunt, agere possint in corpora ad effectus illos gignendos? Cui quaesito respondetur Daemones praeter facultatem, qua gaudent, loco motivam, posse et materias compingere, et corpora velocissime transferre. Etsi porro ignoremus modum agendi spirituum, non inde negandus ille esset a nobis, in quibus anima continue agens in corpus, certissime operatur, etiamsi nobis modus non innotescat.

Quaeritur 4.° cur Daemon alligare consueverit operationes suas nidori, signis, aliisque rebus materialibus? Resp. Daemones per haec (si tamen id Daemonis voluntati, non Dei potius sit adscribendum, qui hanc servitutem Daemonibus imposuerit) similitudinem cum Deo affectare voluisse, qui et Sacramentis gratiam suam alligavit, et cultu exteriori, et praesertim Sacrificiorum delectatur.

Quaeritur 5.° quomodo mira diabolica distingui a miraculis possint? Miraculorum criterium his notis praecipue circumscribi solet, quas enumeravimus etiam alia *Exercitatione de Analogia inter miracula Christi* etc. 1.° diuturnitas effectus;

2.° invocatio Dei; 3.° sanctitas patrantis miraculum; 4.° honestas rei, vel doctrinae, in cujus confirmationem miraculum fit; 5.° sanctitas finis; 6.° constans, ac communis doctorum hominum, et proborum sensus, et persuasio.

Vide *Dissert.* Calmet *in Exodum: (de Veris, Fictisque Prodigiis)*; Bened. XIV. (*de Beatif. etc. lib. IV. part.* 2. *c.* 4.).

EXERCITATIO III.

Quid ex Scriptura quod ad alia Daemonis, praeter Magiam, opera, ante Christum?

Non magicis solummodo artibus Daemones ante Christum operati sunt. Sed

1.° Divinationibus (Deut. XVIII. 10. etc.) *Nec inveniatur in te...... qui ariolos sciscitetur, et observet somnia, atque auguria; nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem.* 2.° Male afficiendo homines, sive per se ipsos, uti in Iob. I. et Tob. III. quod ad maritos Sarae; sive etiam per homines, uti ex loco citato Deuter. videtur colligi posse. 3.° Necromantia, ut ex 1. Reg. XXVIII. 4.° Tentationibus variis, uti tentatio primum Evae, deinceps aliorum, et Christi. 5.° Torquendo corpora, uti patet ex pluribus energumenis, de quibus Evangelium.

Quaeritur autem 1.° quibusnam circumscripta fuerit limitibus potentia haec Daemonum operativa? Resp. 1.° licet Daemones plura possint angelica eorum virtute, in omnibus tamen, et semper a nutu Dei vel *positivo*, vel *permissivo* fuisse dependentes statuendum omnino est, tum quia id exigit supremum Dei dominium, tum quia suavis id ordo divinae providentiae quodammodo postulare videtur; 2.° neque *futura libera*, neque *secreta cordis cognovisse*, quae cognitiones sunt vel angelis bonis imperviae, et veluti Divinitatis tessera.

Quaeritur 2.° cur tempore Christi tot fuerint *energumeni* quot nunquam antea? Resp. Satis de hoc superius locuti sumus alia *Exercitatione de Energumenis.* Interim breviter id Deum permisisse dicimus, ut homines melius agnoscerent Daemonum tyrannidem, Christique imperium, et dominium; ut spiritus, quorum negabant existentiam Sadducaei, aliique, existere demonstraretur. Vide Bened. XIV. (*de Beatif. etc. lib. IV. part.* 2. *c.* 29.).

EXERCITATIO IV.

Quid ex Scriptura quod ad Daemonis potestatem post Christum?

De Christo legitur (ad Coloss. II. 15.) *expolians principatus, et potestates*, et ad Hebr. II. 14. *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium: idest diabolum:* Apocal. XX. 3. *Misit eum* (diabolum) *in abyssum, et clausit, et signavit super illum ut non seducat amplius gentes.* His innixi putarunt aliqui daemonem, per Magiam saltem, nil amplius operari posse. Vide Maffei: (*Magia Dileguata, Magia Annichilata contra l' Ab. Tartarotti: Congresso notturno delle Lammie*).

Sed non videtur potentia omnis Daemonibus per Christum ablata. Nam 1.° saepe Scriptura advigilare nos monet contra omnis generis colluctationes diaboli. 2.° Ecclesia Christi instituit *Exorcistarum Ordinem*, et *Exorcismorum* adhibet *librum* pro energumenis, et maleficiis. 3.° Tot sunt quod ad hoc monumenta Ecclesiasticae Historiae, ut omnia negare temerarium esset. Quare dicunt potius plures verbis Scripturae indicatis intelligi valde imminutam fuisse daemonis potentiam, et amplam contra eum Ecclesiae virtutem concessam fuisse. Vide *Quaer.* 2.° superioris *Exercitationis de Magia.*

Quaeritur quaenam regula proponenda sit in iis, quae vulgo narrantur de magia, maleficiis, similibusque? Resp. *Cave ne temere neges, ne cito credas, ne timeas nimis.*

Vide Granelli (*Lez.* 152. 153. 154.), Nicolai *Esod.* (*Lez. VII.*).

EXERCITATIO V.

Quid Gentiles excerpserint ex Scriptura?

Plura e sacris libris profanos scriptores ethnicos desumpsisse, erudite ostendunt multi, atque inde depromunt luculentissimum argumentum pro antiquitate, et consequenter pro sacrorum librorum auctoritate. Hinc pleraque ex dogmatibus, legibus, ritibus, et divinitatibus Gentilium in Scriptura tamquam in originario fonte reperiri, fuse probant inter alios Huetius (*Demon. Evang. Propos.* 4. *de libris Moysis c.* 3. *et seq.*) Natal. Alex. (*in* 4. *aetate cap.* 6. *art.* 2., *et* 3., idemque *loc. cit. Diss.* 10. *prop.* 2.) Calmet (*Diss. in Proverbia*), multa etiam Nicolai (*Dissert.* 5. *proem.*). Potiora argumenta,

quibus isti auctores opinionem suam tuentur, ad haec reducuntur:

1.° Patres veteres bene multi id asseruerunt. Prae aliis vero Clemens Alex. (*Admonit. ad gent.*), Iustinus (*Apolog.*), Tertullianus (*Apolog.*), Ambrosius variis locis, atque Eusebius (*Praep. Evang.*). 2.° Ex operibus Gentilium Scriptorum constat plura illos novisse, quae in sacris libris leguntur, et maximam intercedere analogiam inter heroes Scripturae, atque Gentilium. Sic plura effata, quae de Deo, de moribus celebrant Gentiles; plures ritus in diebus festis a gentilibus observati; Dii tandem ab istis adorati cum doctrinis, ritibus, ac viris illustribus Sacrae Scripturae talem praeseferunt analogiam, ut illa ab istis derivari appareat. Ex. gr. vulgatum illud, *ego sum qui sum*, expressit Plato *in Timaeo* his verbis: *qui illud est quod semper est, nec tamen ortum ullum habet. Quid est Plato*, ait Numenius Philos. (*apud Clem. Alex. Strom. l. 1.*) *nisi Moyses Atticissans?* (v. *Eckhel T. III. p.* 139.). Ommittimus plura apud citatos auctores videnda. 3.° Ex historia scimus plures Gentiles in Ægyptum iter habuisse, ubi, saltem inde a captivitatis epocha, multi aderant Iudaei; nonnullos quoque Iudaeos eruditionis caussa in exteras regiones peragrasse deducunt quidam ex eo, quod Eccles. XXXIX. 5. dicitur de Sapiente: *in terram alienigenarum gentium pertransiet.* Praeter occasiones istas, quibus Gentiles Iudaeorum res addiscere potuerunt, notentur variae Iudaeorum captivitates; maxime vero Scripturae versio graeco sermone exarata, sicque gentibus omnibus aperta. Confirmatur opinio haec ex eo, quod habetur 1. Mach. III. 48. *Expanderunt libros Legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorum.* Revera Apameenses in Phrygia, aetate Severi et Philippi Augg., nummis suis insculpserunt typum Diluvii Noe: *Arca est undis innatans, in qua vir et mulier medio corpore exstantes; extra eam vultu averso procedunt mulier stolata et vir veluti sago indutus, dexteram ambo attollentes. Arcae operculo superne insistit avicula; inde altera in aëre librata oleae ramum unguibus stringit: Arcae fronti inscriptum....* ΝΩ (v. *Eckhel T. III. p.* 133.).

Haec opinio, ut patet, solidis quidem fulcitur argumentis, non tamen adeo invictis, ut res certa omnino sit, quemadmodum Calmet *in Diss.* citata animadvertit. Fatetur in primis plures quidem inter Patres priori favere opinioni, sed non deesse quoque magnae notae viros, qui contrariam tueantur, atque pro illa non paucorum Patrum, Philonis etiam (*l. I. de vita Moysis*) aliorumque historicorum auctoritatem adducit. Deinde ratione sic arguit. 1.° Philosophorum nemo aut aliorum profanorum Scriptorum fassus est unquam se Iudaeorum libros

legisse, eorumque doctrinam hausisse. 2.° Si loquimur de sententiis philosophicis, aut vulgaribus proverbiis, potuerunt Gentiles cum Hagiographis in ea conspirare omnes ingenio naturae communi; quo fere sensu ait Apostolus ad Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ejus a constitutione mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* Fabulas autem seu Mythos priscos, veluti de *Aetate aurea* aliisque, de *Pandora*, etc. per Traditionem inde a Patriarchis provenientem, at sensim corruptam, Ethnici habere potuerunt (v. *Lanzi*, *Annot. ad Esiodo* etc.). 3.° Plures inter philosophos, in quibus ea reperiuntur, quae ex Scripturis derivata videntur, ut Socrates, Plato, Anaxagoras, Aristophanes fuerunt ante versionem τῶν LXX.; e qua propterea haurire non potuerunt quae scripserint, licet fatendum sit juxta superius dicta, alios illis patuisse fontes.

His omnibus perpensis quaesito sic nobis respondendum esse videtur: probabile id quidem esse, sed non omnino certum. Vel, distinctione temporum adhibita, respondere possumus, praeclara Hebraeorum studia, et libros sacros populis occidentalibus parum nota fuisse usque ad sera tempora: quod nemo mirabitur, qui animadvertit priscos Hebraeos externa commercia non multum exercuisse, eorumque mores et dogmata longissime discrepasse a placitis gentium, quarum disciplina et sapientia a profanis scriptoribus celebrari solent (v. *Lanigan* §. 82.).

Laudanda tamen eorum est industria, qui probabilitate saltem hujusmodi argumenti innixi, hoc quoque nomine confirmant atque commendant Sacrae Scripturae auctoritatem, indeque Sanctissimae Religionis nostrae veritatem.

EXERCITATIO VI.

Curnam scripta Revelatio aliquibus solum concessa fuerit tum quod ad T. Vetus, tum quod ad Novum?

Scilicet dicunt increduli, Deum se se ostendisse *acceptatorem personarum* erga Hebraeos, quibus V. T. consignaverat, nec non erga Christianos, quibus fidit N. T., simulque non providisse satis caeteris populis, quibus Revelatio saltem scripta adhuc usque incognita fuit. Nos autem, ut occuramus eorum injustis querelis aliqua notabimus in primis circa V. T., aliqua deinde circa N.; generales tandem subjiciemus animadversiones.

1.° V. T. id solum pro scopo habebat, ut peculiaris populus seligeretur, qui purum Dei cultum exerceret, quique

viam Messiae in omnium salutem convenienter praepararet. Quare V. T. non fuit tamquam quid necessarium Hebraeis concessum, sive tamquam unicum medium hominibus datum ad salutem obtinendam; sed tamquam peculiare donum, ac specialis gratia. Porro in eo populo eligendo, quamvis Abraham, aliorumque Patriarcharum merita aliquid influxerint, praecipua tamen eligendi ratio in Dei libertatem, ejusdemque consilia sapientissima est refundenda.

2.° Media necessaria ad aeternam salutem suppetebant aliis omnibus hominibus ante Christum partim per Revelationem non scriptam, sed Traditione conservatam; partim per auxilia sive *remote*, sive *proxime sufficientia*, quae juxta Theologos, omnibus Deus impertitus est ex generali, ac sincera omnes salvandi voluntate. Ita et Gentiles, qui extra populum Hebraicum erant, salutem consequi poterant, atque revera eam consecutos esse Melchisedech, ac Iob refert ipsa Scriptura, ac plures alios etiam probabiliter salvatos esse ex Gentilibus, multi credunt.

3.° Etsi V. T. populo hebraico directe, ac immediate traditum fuerit, cedere tamen illud quoque poterat in aliorum bonum, tum quia ejusdem libri facile deveniebant propter eorum celebritatem in caeterorum manus, ac probabiliter multa ex iis excerpsisse Gentiles ostendimus pariter in alia *Exercitatione;* tum quia aditus cuique patebat huic populo nomen dandi, ac quisque poterat ejusdem fieri proselytus; Hebraei autem, praesertim inde a captivitate Babylonica, per Asiam universam, per Africam et Europam quoque propagati sunt, et proselytos complures sibi adjungere in toto ferme orbe Romano solebant.

Ad N. T. devenientes concedimus illud quidem secus ac Vetus respicere omnes omnino homines, eaque docere, quae omnibus necessaria sunt ad salutem; sed notamus 1.° Christum idcirco misisse Apostolos per universum mundum, ut *docerent omnes Gentes, ac praedicarent omni Creaturae;* unde Paullus Apostolis illud aptat: *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines Orbis Terrae verba eorum.* Id ipsum cordi fuit Ecclesiae, quae se quoquo versum diffundere semper enixa est, et ubique fere diffusam ostendunt Theologi, praesertim ubi de Ecclesiae agunt *Catholicitate.*

2.° Etsi aliqui homines careant scripta Revelatione, non idcirco omnibus mediis destituti censeri debent ad salutem aeternam consequendam. In primis enim Revelatione tradita ex praedicatione Apostolorum regi possunt, qui eam habuerunt; deinde notum est quod Theologi passim docent cum Angelico, Deum ita agere cum multis, ut primum det illis vires adim-

plendi naturalem legem, ac postea, nisi peccata praepediant, Revelationem concedat.

Hisce peculiariter adnotatis pro V. ac N. T. animadvertimus in genere sequentia. 1.° Accusari jure Deum non posse si omnibus hominibus mediis ad felicitatem necessariis distributis, aliquibus insuper specialia dona concedat, iis consiliis permotus, quae nobis investigare non licet. Quod enim omnes capaces reddantur aeternae felicitatis, Deo gratiae agendae sunt; quod autem facilior alicui sternatur via ad felicitatem consequendam, nemo id jure exigere potest, ac nemini propterea potest esse injuriosum, si negetur.

2.° In donis naturalibus distribuendis, uti sunt ingenium, fortunae, bona valetudo, educatio, ac similia, inaequalitatem naturae Auctor quamdam prae se tulit. Inaequalitatem hanc conciliare quoque debent increduli (nisi plane Deistae, ac Athei fuerint) cum bonitate, justitia, ac providentia Dei. Quidni ergo inaequalitas eadem in donis supernaturalibus concedendis probari nobis poterit?

3.° Revelatio etsi uni tantum populo facta, tamen potest etiam in omnibus aliis propagari argumentis certitudine morali innixis, ut in scientiis, et artibus quibuscumque usuvenit. Quod si increduli dicant hanc moralem certitudinem non sufficere, concedant oportet quod eadem Revelatio uno tempore facta, non possit ad posteros propagari; et ideo necessarium foret juxta eorum principia, ut perpetuo et ubique, et singulis Deus loqueretur, quo quid absurdius, aut quid magis ridiculum?

Vide prae aliis Du-Clot *Genes.* (*Nota* 44.)

EXERCITATIO VII.

Quid de salute eorum, quibus Lex Moysis ignota fuit, aut eorum, quibus ignotum est Evangelium?

Paullus ad Romanos scribens variis in locis, sed praecipue I. 19., 20. (1); II. 14. (2); asserit Gentiles absque lege scripta *per creaturas cognovisse Deum*, *fecisse naturaliter quae legis sunt*, *custodisse justitias legis*, aliaque habet his similia. Harum rerum occasione, quas Paullus scripsit, nec non ex stupendis, quae scripta reliquerunt Gentiles ipsi de Deo, et de

(1) *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius . . . . . per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

(2) *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt faciunt, etc.*

praeceptis moralibus, ut Plato, Socrates, Cicero, Seneca etc.; ex conceptu insuper divinae universalis providentiae; ex amore tandem quodam, quo naturaliter ferimur in omnes, quaerimus an aliquid de aeterna illorum Gentilium salute sperare possimus? Claritatis gratia cum Calmet *Dissertatione*, quam de hoc argumento praemittit Epistolae ad Romanos, tria hominum absque scripta lege genera distinguimus. Primum eorum, qui absque lege scripta justitiae, et naturae leges coluerunt, fidemque in Deum, ac Messiam habuerunt, ut Abel, Seth, Noe, Abraham, Melchisedech, Iob, aliique. Aliud illorum, qui sola duce ratione debita officia erga Deum, et homines agnoverunt, et servarunt. Tertium illorum, qui Idololatriae tenebris ita sunt versati, ut pro nihilo duxerint veras de Divinitate notiones, ac naturalis legis praecepta pro nihilo pariter habuerint.

Homines, qui ad tertiam classem hanc pertinuerunt, damnatos esse, ac semper tales futuros, nemo negat, iis exceptis, qui negant Inferni supplicia aeterna esse, contra id quod Dei Revelatio docet. Nemo pariter de salute ambigit hominum primae classis, de quibus addimus tantummodo aegre admitti illos in Gentilium numero, neque Revelatione caruisse saltem tradita, etsi scriptam legem non habuerint.

Quaestio ergo reducitur ad secundam classem. De hac in primis asserimus potuisse omnes salutem consequi, cum ex communiori Theologorum sententia ita Deus etiam post Adae peccatum voluerit omnes homines salvos fieri, ut nulli hominum classi defuerint *media* ad salutem *sufficientia*. Iam vero non est necessarium ut homini cuique praesto sint semper omnia *media proxima*, ut scholae ajunt, ad salutem; ex quo fit, ut *infidelitas negativa*, peccatum non sit; sed admittenda sunt *media remota* per quae, nisi aliquid obstet, *ad proxima* perveniatur; cujusmodi *remota media* esse possunt exempli gratia auxilia necessaria ad rectam naturalis legis observantiam, qua praemissa, ad ea impertienda procedit Deus, quibus homo ad fidem, et fidei praecepta servanda *proxime* disponitur, et adjuvatur. Credunt porro multi, Gentiles quosque licet scientia repletos, practice tamen omnes male vixisse, quod primo deducunt ex ipso Paullo supra citato; ait enim: *non sicut Deum glorificaverunt;* deinde ex historia, quae de coriphaeis etiam Philosophorum miserrima narrat, ut fuse prosequitur Calmet *Diss.* citata, et a Lapide *in Epist. ad Rom.* citatis locis, ac praecipue I. 26. Isti opinantur consequenter nihil de Gentilium salute sperandum, quippe naturalium praeceptorum transgressio mediis supernaturalibus viam omnibus occluserit.

Nobis vero contrarium magis suadetur: idque 1.º etsi multi

Deum non glorificaverunt, et multi nullam habuerint ex ignorantia excusationem; nullum tamen suppetit argumentum, quod ad omnes aeque trahere possimus, quoque omnes a salute aeterna excludamus. Deinde etsi homo peccaverit; delicta tamen expiari potuerunt ante mortem juxta inferius dicenda.

2.º Multi sunt Patres, qui bene de Gentilibus sunt opinati. Ita Iustinus (*Apolog.* 2.) Chrysost. (*hom.* 57. *in Matth.*) aliique, quos Calmet adducit.

3.º Ob Voluntatem Dei homines salvandi, et copiosam Christi Redemptionem incredibile fit quasi ante, et post diluvium tam arctis limitibus contineri praedestinatorum numerum, qui rarissimi essent, si Gentiles omnes a salute excluderentur, praesertim cum non omnes divina gaudentes Revelatione salutem consequantur.

4.º Oeconomia divinae providentiae, quam colligunt bene multi Theologi ex divina Revelatione, uti Sfondratus (*Nodus praedestinationis*) Lessius (*Opusc. de Praedestinatione*) Ripalda (*de Fide*) hujusmodi est, ut non adeo difficile sit, quemadmodum aliqui putant, gentilem tandem posse in Dei gratia e vivis excedere, seclusis etiam extraordinariis prodigiis, quae tamen, si necessaria essent ad divinam implendam voluntatem, nullo negotio admitti deberent. Legantur citati auctores. Contenti nos erimus de hac re notare sequentia: Ex Angelico (*Quaest.* 14. *de Veritate* (*quae est de Fide*) *art.* 11.): *Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter enutritus* (hoc est in sylvis) *ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquando fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium Act.* 10.

De omnibus vero in genere, qui Revelationem non acceperunt, addit S. Doctor: *Dicendum quod quamvis non sit in potestate nostra cognoscere ea, quae sunt fidei ex nobis ipsis: tamen si nos fecerimus, quod in nobis est, ut scilicet ductum naturalis rationis sequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod nobis est necessarium.* Ex Suarez (*de Fid. D. XII.* §. 2. *num.* 15.): de infideli loquendo ait ille: *Pie creditur si homo ille in illo statu faciat, quod in se est, Deum sua providentia effecturum, ut ei sufficienter proponatur fides, vel exsterius per homines, vel interius ministerio Angelorum*: ex Antoine (*de fid. Sect.* 2. *art.* 1. *not.* 2.): *Deus proprie revelat et loquitur non solum cum per se, vel per Angelum, aut hominem, vocibus humanis aut signis aliis externis ex instituto hominum significantibus utitur*

ad manifestandam veritatem aliquam, sed etiam cum per se mysterii alicujus cognitionem imprimit menti Prophetae eo modo, et cum iis characteribus, ut Propheta intelligat hanc sibi cognitionem a Deo impressam esse ad manifestandum mysterium et cognitionem, quam Deus habet de illo. Notamus tandem 1.° eam esse bene multorum Theologorum opinionem, quod *fides explicita Incarnationis* et *Trinitatis* non sit necessaria *necessitate medii.* 2.° Certissimum esse actum supernaturalem dilectionis Dei *perfectae* gratiam *sanctificantem* homini comparare.

Quaesito ergo respondemus, multos certe salutem aeternam, quae in visione Dei consistit, non esse consequutos, uti parvuli originali peccato infecti decedentes; ac multo magis illi omnes, qui mortui sunt idololatria, ac vitiis aliis immersi; sed multos etiam salvatos fuisse non immerito confidimus.

EXERCITATIO VIII.

Quaenam fuerit Idololatriae origo?

Notandum 1.° Dupliciter Idololatriae origo considerari potest, respectu temporis scilicet, quo incepit, et caussae, sive rationis, qua homines ad Idololatriam moti sunt. Notandum 2.° Immensum fere hic pelagus est, quo eruditissimi Scriptores originem idololatriae, juxta respectus antea descriptos, expiscantur. Celebris est *Dissertatio* Calmet *in Sapientiam;* multa quoque habet Cornelius a Lapide *in Sapientiae cap. XIV.* 15. Ex his praecipua, ac magis certa more nostro colligentes, subjicimus sequentia.

1.° Non potest tuto statui an tempore ante Diluvium fuerit Idololatria. Primis mundi temporibus credunt quidem Patres communiter nullos homines fuisse idololatras, idque ob recentem Creatoris, ac creationis memoriam, nec non quia tunc tyrannus nullus extabat, qui ad falsam cogeret Religionem. At prope Diluvii epocham, aliqui existimant hoc vitio faedatos homines, idque primo quia Gen. VI. 12. dicitur: *Omnis caro corruperat viam suam;* corruptio autem idololatriae viam sternit; secundo, quia tunc erant Gigantes, viri scilicet audaces, superbi, impudentes, et hinc facile Athei, et Theomachi. Non desunt vero, qui *Idololatriam,* aut saltem *Irreligionem* obtinuisse inde a seculo III. a creatione existiment, adeo ut Dei cultores necessarium esse duxerint, sese nomine *filiorum*, seu *cultorum Dei*, distinguere a reliquis tamquam *filiis hominum*, qui nempe, Dei obliti, *humano impetu* ad quaecumque audenda abriperentur (v. *Gen. IV.* 26., *VI.* 1.). Conjecturae tamen hae sunt; de Idolis tunc effictis ne verbum quidem.

2.º Statim a Diluvio putant multi cepisse Idololatriam, idque primo, quia Nembrot filius Chus, filii Cham, filii Noe, tyrannide populum sollicitaverit, ut a Deo deficeret; secundo, quia Cham creditur ab aliquibus artis Magicae auctor.

3.º Certissimum est apud Chaldaeos idololatriam viguisse tempore Abraham. Hoc colligitur ex *Theraphim* a Rachele sublatis (Gen. XXXI.), atque ex caeteris simulacris, quae a Iacob defossa sunt (Gen. XXXV.). Ex Patribus, ac praesertim ex Hieronymo (*in Osee II.*) constat insuper Ninum primum Assyriorum Regem Templum Patri suo Belo dicasse, unde prisca idola juxta aliquos sunt appellata *Bel*, *Baal*, *et Baalim.*

4.º Certissimum est pariter obtinuisse apud Ægyptios idololatriam tempore Iosephi. Hoc satis constat ex propensione illius Gentis in Magiam, Divinationem, Auguria, et interpretationem somniorum, cujus propensionis argumenta leguntur in Genesi XLI. et sequentibus. Argui id quoque potest ex Putifare *Sacerdote Heliopoleos*, idest *urbis Solis*, qui memoratur vers. 45. Idem constat etiam ex quo Prophetae Hebraeos superstitionis luem contraxisse dicant in Aegypto. Ita apud Ezechielem, et Amos. Id tandem patet ex Vitulo conflato ab Hebraeis paulo post egressum ab Aegypto; (Exod. XXXII.) ex Idolis asportatis juxta Amos, et ex legibus Moysis, quae saepe hoc innuunt, aliquid jubendo, aut vetando. Osiris autem et Isis praecipua erant Ægyptiorum numina; nec silendi Boves gemini *Apis* et *Mneris*, qui vivi colebantur in Ægypto, ad quorum imitationem *Vitulus* ille *aureus* in Deserto conflatus fuisse videtur.

5.º Apud Chananaeos eodem tempore certissime vigebat Idololatria; nam Idola destrui Moyses jussit Deuter. VII. et XII.

Rationes autem attingentes, quae homines ad Idololatriam incitaverint, cum Angelico 2. 2. *Quaest. XCIV. art. 4.*, nec non Calmet superius citato, has adducimus: 1.º *Amorem*, vel *timorem.* Homines namque filium, patrem, aut Principem plus aequo amantes aut timentes, divinos eis tribuerunt honores. Ita Cicero filiam suam Tulliolam veluti numen invocavit. 2.º *Pulchritudinem imaginis.* Duas indicatas caussas Idololatriae assignat quoque auctor Sapientiae (XIV.). 3.º *Dei ignorantiam*, unde creaturis divinos honores tribuerunt aliqui, ut Deum haberent, quem venerarentur. 4.º *Daemonum fraudes*, qui honorari cupiebant per idola, per quae portenta edebant, et responsa. 5.º *Superbiam*, *effraenem licentiam*, *et imperandi voluntatem.* Propterea enim multa, ac praesertim astra, honores Divinitatis sunt consecuta, cum et eorum pulchritudine, ac splendore raperentur homines; et clementissima haec essent Numina, commoda hominum voluptatibus, nullum iis imponentia fraenum.

EXERCITATIO IX.

Quinam Gentilium praecipui Dii, de quibus saepius in Scriptura?

Cum saepissime nomina falsorum Gentilium Deorum in scriptis sacris, Mosaicis praecipue, intercidant, praestat illorum saltem, qui praecipui fuerunt, notionem aliquam exhibere.

Ammonitarum Numina erant: *Moloch*, communiter מוֹלֶךְ *Môlech*, מִלְכּוֹם 1. Reg. XI. 5. *Milchòm* (Theodotion μελχόμ), et מַלְכָּם *Malchàm* Soph. I. 5. (rex) peculiare, et probabiliter unicum erat Ammonitarum Numen, quod deducitur comparando inter se loca Scripturae: 2. Reg. XIII. 30. (1) et 1. Paral. XX. 2. (2); simili comparatione locorum nempe 3. Reg. XI. 7., 4. Reg. XXI. 3., Ierem. XIX. 5. 6. Sophon I., 4., 5. tandem 4. Reg. XXII. 10. facile intelligitur nomen *Baal* pro *Moloch* usurpatum fuisse in sacris litteris.

Calmet (*Dissert. in Lev.*) erudite contendit numen hoc cum Sole, et Luna confundendum; idem esse ac *Baalschemes*, et *Astarte Phoenicum; Osiris*, et *Isis Aegyptiorum; Dionysius*, et *Alilat*, sive *Venus* caelestis Arabum; *Mithra* Persarum; *Belus* Assyriorum; *Anamelech*, et *Adramelech* Sepharvaitorum; *Anaide* populorum ad Araxem; *Saturnus Phoeniciae; Hamilca* Carthaginensium; *Adad*, et *Ategus* Syrorum, *Elagabalus* Palmyrenorum; *Dea Syria* Hieropolis: tandem idem ac *Apollo*, *Bacchus*, *Adonis*, *Diana*, *Venus*, *Luna*, *Iuno*.

Certum est autem innumeris Scripturae testimoniis cultum fuisse Numen Moloch per oblationem et concremationem infantium. Certum pariter est Hebraeos bene multos cultum Moloch idololatricum secutos fuisse, quem forte in Ægypto didicerunt; unde frequenter a Deo per Moysen de hoc objurgati illi fuerunt, ac frequenter poenis maximis ab eo deterriti. Vide Lev. XVIII. et XX., Amos V., Act. VII. Hoc idolum, cujus effigiem extensis manibus ad proles excipiendas describit Diodorus (XX. 14.), ultimis regni Iudae temporibus positum erat in

(1) *Et tulit diadema regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, et impositum est super caput David. Sed et praedam civitatis asportavit multam valde.*

(2) *Tulit autem David coronam Melcom de capite ejus, et invenit in ea auri pondo talentum, et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema: manubias quoque urbis plurimas tulit.*

valle australi Hierosolymae, quae גֵי הִנּוֹם *Gehenna* idest *vallis Hinnom*, dicebatur, in loco תֹּפֶת *Thophet* ita appellato a תוֹף *tympano*, vel a תֻּפִּים *tympanis*, quae, ne gemitus infantium concrematorum audiretur, personabant. Haec appellatio ad poenas *ignis aeterni* significandas deinceps translata est (1).

Moabitarum Numen erat *Chamos* (accelerare), und Moabitae saepe dicuntur populi Chamos. Vid. Num. XXI. Iudic. XI., Ierem. XLVIII., 3. Reg. XI., 4. Reg. XXIII. Caetera de hoc Numine silet Scriptura; conjecturis vero non adeo firmis congerunt multa eruditi, et Calmet praesertim (*Diss. in Numer.*).

Beelphegor (probabiliter idolum turpitudinis) juxta Origenem, et Hieronym. idem est ac *Phegor*. Hoc autem numen erat notissimum in Arabia, et Palaestina, cujus nefandis mysteriis Hebraei initiati sunt, et polluti cum filiabus Moab; et inde falsa haec religio radices inter Hebraeos egit. Vid. Hieronym. *in Num.* XXV., 3. *Reg.* XV., 2. *Paral.* IX., *in Osea* XI. Unde patet cultum hujus Numinis impuris caeremoniis fuisse admixtum. Notum est etiam ex Psalm. CV. 28. (2) oblata huic fuisse *sacrificia mortuorum*, quod explicatur vel ita dictum in contemptum illius falsae religionis, quod nempe falsi Dii passim *mortui*, seu *vita carentes* in Scriptura appellantur, vel quia etiam mortuorum corporum pollutio, caeremonia illius esset; vel quod adhiberentur apparatus lugubres in idolo illo colendo, ut de Adonide, sive Osiride legitur.

Nebo Moabitarum atque Babyloniorum (quod etiam in prima syllaba nominis *Nabu-chodonosor* recurrit) Numen censetur, de quo Isa. XLVI. Idem ac eorumdem populorum Numen *Baal Meon* pariter judicatur, quemadmodum etiam: *Baal-Dibon* Vide Numer. XXXII. 38. (3) Ios. XIII. 17. (4) Ezech. XXV. 9. (5).

Philistaeorum Numina erant *Dagon*, de quo Iudic. XVI. in historia Sampsonis; 1. Reg. in historia Arcae. Nomen ejus

(1) εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρὸς *in gehennam ignis* Matth. V. 22.

(2) *Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.*

(3) *Et Nabo, et Baalmeon versis nominibus, sabama quoque: imponentes vocabula urbibus, quas extruxerant.*

(4) *Et Esebon, cunctosque viculos earum, qui sunt in campestribus: Dibon quoque, et Bamothbaal, et oppidum Baalmaon, etc.*

(5) *Idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus, de civitatibus, inquam, ejus, et de finibus ejus inclytas terrae Bathiesimoth, et Beelmeon, et Cariathaim.*

a *Dag* דָּג *Piscis*, quod esset idolum forma muliebri superne, et inferne in piscem desinens. *Astaroht* 1. Reg. XXXI. ubi dicitur arma Saulis in templo illius appensa fuisse ad triumphum *Beelzebub*, de quo 4. Reg. I. 2. (1) *Berith* sive *Baal-Berith*, de quo Iudic. VIII. *Marnas*, de quo nihil quidem Scriptura, sed Hieronymus loquitur *Epist. ad Laet.* De his fuse Calmet (*Diss. in Prim.*, *et Sec. Reg.*).

Phoenicum, *Chananaeorum*, *Ammorrhaeorum* haec erant numina: *Baal*, de quo Ier. XXXII. et alibi: *Astaroth* sive *Astarte;* quod numen idem ac Philistaeorum erat, atque designatur nomine: *Dei Sidoniorum*, *abominationis Sidoniorum* 3. Reg. XI., 4. Reg. XXII. *Adonis vir Astartes*, quod Ezech. VIII. appellatur: *idolum zeli.* De his Calmet (*Diss. in Proph. Minor.*).

Aegyptios pro Diis habuisse *taurum*, *vaccam*, *solem*, *lunam*, *Osiridem*, *Isidem*, contendit Calmet alia *Diss. in Prophetas Minor.*, in qua plura itidem de Deo quodam *Rephan*, seu *Rempha*, qui videtur idem fuisse ac *Saturnus*.

Haec pro re nostra, atque de iis, quae ex Scriptura ipsa deducuntur, dicta fuerint satis. Ut tamen aliquid addamus de Graecorum Latinorumque Diis, versiculos Ennii subjicimus, quibus praecipui Dii enumerantur inter eos, qui *Dii majorum Gentium* sunt appellati. *Consentes* iidem sunt praeterea dicti, eo quod *Consilium* Iovis constituerint.

Iuno, *Vesta*, *Ceres*, *Diana*, *Minerva*, *Venus*, *Mars*,
Mercurius, *Iovi'*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*.

EXERCITATIO X.

An extiterint Prophetissae.

De *Prophetissis* nobis sermonem habentibus dicendum primum occurrit de *Sibyllis*, quae ab Aeolicis vocibus σιὸς pro θεὸς, et βυλὴ pro βουλὴ nominatae dicuntur. Hae decem sunt juxta Varronem apud Lactantium, quarum patria nomina

(1) *Beelzebub* בַּעַל־זְבוּב *Dominus Muscarum* sonat, et Numen tutelare a Muscis (ut Iuppiter ἀπόμυιος in Elide) censetur. In Evangeliis princeps Daemoniorum nomine *Beelzebub* venit: sed in graeco textu est Βεελζεβούλ, *Beel-Zebul*, quod hebraice בַּעַל זְבוּל *Dominus Habitaculi* (scilicet *inferorum*) sonat. *Beel-Zebul* in latinis codicibus legisse videtur S. Hilarius, cum aliis Patribus; dum Satanam appellat *Zabulum.*

sunt haec: *Persica*, *Lybica*, *Delphica*, *Cumaea*, *Erythraea*, *Samia*, *Cumana*, *Hellespontica*, *Phrygia*, *Tiburtina*. Apud Augustinum, Lactantium, Eusebium aliosque oracula earum leguntur, de quorum authenticitate et auctoritate anceps apud auctores sententia est. Opinantur multi Deum in praemium virginitatis illarum faeminarum, licet gentilium, inspirasse eisdem futura arcana, inter quae multa de Christo. Alii e contrario rident oracula illa, quae aut aenigmata futilia dicunt, aut post eventum conficta. Vid. Huetium in fine Prop. IX. Hujus quaestionis discussionem ommittimus, cum et incerta omnino res sit, et fere nullam habeat cum Libris Sacris relationem. Fragmenta Librorum Sibyllinorum nuper a clar. Angelo Maio in lucem edita fuerunt.

Ad rem nostram propius accedentes notamus *prophetari* juxta phrasim scripturalem non solum indicare futurorum praedictionem, sed etiam munus *laudandi Deum*, *sacra edocendi*, ac similia, ut in altera *Exercitatione* (num. XV.) fusius indicabimus. His suppositis dicimus plures extitisse prophetissas tam in V., quam in N. Testamento. Praecipuae hae sunt, de quibus Scriptura loquitur.

Maria Soror Moysis prophetissa appellatur Exod. XV., et Cantico Mulierum ibidem legitur ipsam praecinisse.

Debbora prophetissa dicitur Iudic. IV., ac spiritu Dei populum regebat, ut ait August. (*de Civ. Dei l. XVIII. c.* 15.).

Anna uxor Elcana ob natum Samuelem hymnum concinit, et simul de Christo prophetavit. Ita 1. Reg. II.

Holda fuit vera prophetissa juxta 4. Reg. XXII.; nam oracula divinae voluntatis aperuit, ac futura praedixit.

Uxor Isaiae prophetissa dicitur; Isaia VIII. 3. (1) quod licet alias habeat explicationes, juxta tamen aliquos dictum est ob spiritum prophetiae, quo ille gaudebat.

Iudith (cap. XVI.), ob victoriam de Holoferne a se relatam, *cantavit Canticum Domino*.

In Novo Testamento:

Maria Virgo, cum Elisabethen puerperii caussa invisit, mota divinitus in Dei laudes erumpit, Cantico celebrans mysterium Incarnationis, quod in ipsa perageretur (Luc. I. 46.).

Elisabeth ipsa uxor Zachariae prophetice Deiparam salutavit, ut ex Luc. I.

Anna filia Phanuel prophetice et ipsa de Christo locuta est in Templo, ac prophetissa dicitur Luc. II.

Philippo uni ex septem Diaconis, quatuor fuisse filias pro-

(1) *Et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium.*

phetantes virgines, diserte narrant Acta Apostolorum XXI. 9. (1).

In fine addimus verba Origenis (*Homil. 5. in lib. Iudic. num. 2.*) de prophetiae dono Debborae concesso: *Praestat et in hoc non minimam consolationem mulierum sexui, ... et provocat eas uti nequaquam pro infirmitate sexus desperent etiam prophetiae gratiae capaces se fieri posse, sed intelligant, et credant quod meretur hanc gratiam puritas mentis, non diversitas sexus.*

Vide Commentatores in loc. citata.

EXERCITATIO XI.

Quid de Hebraeorum, ac Scripturae Poesi?

Circa Hebraeorum poesim unum est, in quo fere omnes eruditi conveniunt, alterum in quo admodum dissentiunt. Conveniunt namque Hebraeos poesim coluisse, uti et musicem, et choreas; illudque 1.° communi Patrum sententia probatur, quorum verba fuse citant Natalis Alexander (*aetate 4. diss. 24. qu. 1. prop. 4.*), et Calmet, (*Diss. in Exodum:*); 2.° ex stilo aliquorum S. Scripturae librorum, nempe Iob, Proverbiorum, Psalmorum, Ecclesiastis, Cantici Canticorum, praeter Cantica varia, et Lamentationes Ieremiae. Exemplum desumi potest a Ps. XVII. *Diligam;* a Cantico Moysis *Cantemus Domino*, ubi sublimis poesis apparet, consulendo vel ipsas versiones; 3.° ex quo etiam profana historia nos doceat apud veteres orientales, quibus artes, et scientiae multum debent, in usu fuisse poesim, ut de Graecis fidem faciunt Homerus, Hesiodus, Pindarus aliique complures; et de Aegyptiis Plato (*l. 2. de legibus*).

Inter Veteres tamen id negasse videtur Nyssenus (*Tract. 1. in Psalm.*), quamvis non desint qui ita Nyssenum explicent ut ipse negaverit solum Hebraeorum poesim similem fuisse graecae, ac latinae. Inter recentiores autem Scaliger, quem nonnulli secuti sunt, id negavit Animadversionibus *in Chronic. Eusebii*, eo quia *id sermonis natura non patitur.* At Scaligeri pace, noverant satis hebraicam linguam tum Iosephus, tum Hieronymus, qui tamen contrariam tuentur sententiam pluribus locis, ut videre est apud Natalem, et Calmet. Ex ipsis Scripturis constat, quod Poësis non modo apud Hebraeos, sed etiam apud aliquas alias gentes, jam aetate Moysis ad per-

(1) *Huic autem erant quatuor filiae virgines prophetantes.*

fectionis culmen evecta esset (*Exod.* XV , *Deuter.* XXXI , *Numer.* XXI--XXIV , *conf. Iob.*). Floruit deinceps apud Hebraeos per mille fere annos , et quovis honore digna reputabatur. Usus ejus inde ab antiquissima aetate erat etiam ad rerum gestarum memoriam conservandam : maxime vero in laudibus Dei decantandis , beneficiis recolendis , et praeceptis inculcandis versari solebat.

Altera vero Quaestio de Hebraeorum Poesi , quae adhuc sub judice est , in inquisitione versatur qualitatis ejusdem , nempe cujusnam generis fuerint illae Hebraeorum cantiones , quibus legibus , et quo metro exaratae. Encomia argumentorum , elocutionis , figurarum , aliarumque Hebraicae poesis dotes , quas redolet in suis libris S. Scriptura , quaeque profanorum poesi haud cedit , fuse prosequitur Fleury *Exercitatione* quadam , quae Calmeti *Dissertationibus in Psalmos* inserta est. Plura quoque erudita inveniuntur apud Xaverium Mattei *Dissertationibus* praeliminaribus in *Versionem Psalmorum.* Prudentissime vero admonent nonnisi illos , qui hebraicam linguam bene norint , illam degustare posse ; multumque quod ad hoc Versiones nostras a Textu differre , praesertim vero Versionem Psalmorum prout in Vulgata habentur , qui ex alia τῶν LXX. expressi sunt : perinde ac graeca poemata , licet egregia , multum venustatis in alium translata sermonem amittant necesse est.

Sed alia , quae ad harmoniam , quantitatem syllabarum , pronuntiandi rationem , et ad metrum spectant , ejusque regulas , tenebris obvolvuntur antiquitatis ; nam a longo tempore linguae hebraicae exolevit usus , adeo ut nihil possit statui certum , nihilque satis solidum pronunciari. Conjecturis nihilominus inhaerentes duas secuti sunt eruditi vias , quas liberas cuique pandimus.

Sciendum namque est duo genera Poeseos distingui posse , ut et musices , *artificialem* nempe , et *naturalem.* Poesis *artificialis* ea est , quae selectis vocibus numero adstrictis modulatione , et metro , sensus , ac cupiditates animi exprimit. *Naturalis* vero , ex qua illa orta est , nascitur cum ipso homine , qui animi fluctibus jactatus erumpit in vividum ac ferventem sermonem , utiturque tumultuaria , igneaque vi , orationis figuris , et sublimioribus sententiis. Exemplum hujus naturalis poeseos suppeditant verba Lamech ad uxores suas (*Genes. IV.*), nec non Noe benedicentis Sem , et Iaphet , maledicentis vero Cham (*Gen. IX.*), ac tandem benedictiones Iacob morientis , (*Gen. XLIX.*). Apud profanos quoque hujus solutae poeseos exempla sunt , ut Calmet ostendit.

Iam vero *artificialem* aliquam poesim agnoscunt plures in

libris, de quibus agimus Scripturae Sacrae; notant enim periti adjectas literas vel resecatas in fine dictionis, quod syllabarum mensurae inservit; vocem reperiunt סֶלָה *sèlah* frequenter in Psalmis, quam designare volunt versuum *recursum*, aut aliam hujus generis *notam* cantui, ac metro inservientem; animadvertunt musicae usum, acrostica, quae inveniuntur in Ieremia, in Psal. CXVIII. et alibi, quae metri argumenta, et signa sunt non obscura alicujus artificii. Sententiam hanc praecipue tuetur Mattei *dissert.* citat. Licet vero plures ex istis a determinando metro abstineant, Hieronymus tamen *Praefat. in Iob* comparat carmina Iob cum hexametris; Psalmos, Lamentationes, et Cantica cum lyricis numeris Horatii, ac Pindari. Gravitatem sane redolet poesis Scripturae, quaecumque ea sit.

Contra, *naturalem* tantum poesim agnoscunt alii in Hebraeorum libris, atque in id potissimum tendit Calmet *Diss.* citata *in Exod.* Negari certe nequeunt, ait ille, in his libris sublimitas conceptuum, audaciores phrases, stilus vivus, ac patheticus, intercisus, et brevis, floridus, et fervens, qui poeticus jure, ac merito vocari potest. At stilum hunc naturalis ingenii foetum esse, aestu divini spiritus animatum, nullis vero regulis adscriptum suadent haec:

1.º Si apud Hebraeos vel ipso tempore Moysis poeticae regulae in usu fuissent, cur caeteris gentibus, cultisque nationibus nonnisi post plura saecula innotuerunt? Et tamen antiquius quod habemus in hoc genere opus Graecorum est Homeri, et Hesiodi, idest 600 annis post Moysen, nihilque invenire est vetustius, ex Chaldaeis, ex Aegyptiis, et ex Arabis.

2.º Vix credi potest artem illam non fuisse alicujus Scriptoris industria posteritati traditam, numquam in fronte illorum carminum titulum aut vocem ab auctoribus appositam fuisse genus cantici, et mensuram indicantem, ut alia, praesertim quod ad musicam, Psalmis inscripta sunt.

3.º Scriptores Sacri, ait Calmet, vix arte et otio uti potuissent, quo apto ordine verba disponerentur, cum pro re nata subito oestro in carmina abrumperent, ut Moyses fecit vix Erythraeo transfretato, et (quod magis est) illiterati multi ac foeminae, ut Anna Samuelis, Debbora, Iudith, Tobia, Zacharia, et Simeon.

Recentiores eruditi, cum *metrum* aut *rithmum* in poesi Hebraica certum et constans reperire non sit, eandem constituunt 1.º in sensibus elatioribus, sententiarum luminibus, figurarum atque imaginum pulchritudine ac varietate; 2.º in verborum delectu, vi, pondere et elegantia; 3.º in quadam di-

mensione per sententias plerumque *parallelas*, quae, syntaxi vel sensu *synonymae* aut *antitheticae*, sibi invicem respondent (1).

Eligat quisque sententiam, quae sibi magis arrideat.

EXERCITATIO XII.

An Hebraei coluerint Musicam?

Plurima, eaque eruditissima de Hebraeorum Musica invenies apud Calmet (*Dissertationibus in Psalmos*), apud Martini (*Storia della Musica* T. I.), nec non apud Xaverium Mattei (*sui Salmi.*). E re putamus, praecipua Historiae Sacrae loca indicare, ex quibus deduci possit, quid sit sentiendum 1.° de Musicae inventionis antiquitate; 2.° de usu hujusce artis; 3.° de instrumentis adhibitis; 4.° de Musicae effectibus. Haec porro omnia quod ad populum hebraicum tantummodo considerabimus, prout limites provinciae nostrae exigere videntur.

I. Cognitam fuisse Musicam nedum populo hebraico, sed et ejusdem progenitoribus vetustissimis, ostendunt sequentia: 1.° Iubal, qui inter primos genitores numeratur Genes. IV. 21. *fuit pater* (idest *doctor*) *canentium cithara, et organo.* 2.° Labanus Iacobum objurgavit his verbis Gen. XXXI. 27. *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi ut prosequerer te cum gaudio, et canticis, et tympanis, et citharis?* 3.° Moyses tubas variis usibus, de quibus infra, destinatas, conflari jussit Numer. X. 4.° David cantores, et musicos inter Levitas esse jussit, quibus praefecit Asaph, Heman, Idithun, eorumque filios; et Psalmos composuit ad musicae artem. Cujus rei testimonia multa reperies in libris Reg. Paral. et Psalmor. Plura alia Scripturae loca, quae Musicae usum apud Hebraeos ostendunt, inferius citabuntur circa alia quaestionis capita. 5.° Confirmat haec omnia argumentum e poesis vetustate deductum. Censent namque eruditi, ipsaque rerum natura suadere videtur, carmina fuisse semper, et apud omnes gentes Musicae usibus conformata. Iam vero carmen redolent: sermo Lamechi ad suas uxores Gen. IV.; Iacobi morientis benedictiones in filios Gen. XLIX., et hoc magis dicendum est de Cantico Moysis, transfretato Erythraeo; quod Mariam Moysis sororem in choro foeminarum cecinisse cum tympanis, et choris legitur Exod. XV. Psalmos autem poetico stilo exaratos esse,

(1) Conf. Lowth (Rob.) *de sacra Pöesi hebraeorum* etc. cum notis Io. D. Michaelis Oxonii 1775.

Cantic. Cantic. aliosque Scripturae libros ostendimus superiori *Exercitatione de Hebraeorum poesi*, praesenti valde affini.

II. Usus Musicae apud Hebraeos multiplex fuit, ac 1.° *in ritibus sacris.* Usum hunc inchoavit Moyses, dum tubas, de quibus supra, instituit, quibus canere debebant Sacerdotes aut occasione quorumdam sollemnium Sacrificiorum, aut nuntiandi caussa Iubilaeum, et Neomenias, aut ut ardorem militum, qui erant praeliaturi excitarent, auxilium Dei praecipue spondentes. Perfecit vero opus hoc David, cum Musicae usum propius invexit in Tabernaculum, Psalmorum concentum cum instrumentis instituens, et Musicae artem inter Levitas stabiliens, quorum 4000 in 24 classes distinctos constituit, ut aperte constat ex libris Reg. et Paral. In itinere quoque ad festa majora in Templo celebranda, *tibiae laetitiam ad cantum* adhibere Iudaei solebant. (*Isa.* XXXI. , 29). Usus Musicae fuit 2.° *in aula Regum.* Hoc enim, quod caeteris Orientalibus commune fuit, Hebraeorum quoque fuisse testantur verba Berzellai ad Davidem 2. Reg. XIX. 35. *Numquid audire possum ultra vocem cantorum, et cantatricum?* Salomonem legimus Eccle. II. 8. fecisse sibi *cantores et cantatrices;* de Asaph dicitur 1. Paral. XXV. 2. *Prophetantis juxta Regem.* Usus Musicae fuit. 3.° *in nuptiis et funeribus Hebraeorum.* De *nuptiis* id constat ex 1. Machab. IX, 37-47. conf. Ierem VII, 34, XXV, 10, et Ioan. III, 29. De *funebribus* suadent idem insequentia: carminibus funeribus luxit David tum mortem Saulis, ac Ionathae (2. Reg. 1.), tum Abnerum (2. Reg. III.); Ieremias luxit mortem Iosiae (2. Par. XXXV.); Hebraei vero luxerunt mortem Iudae Machabaei, (1. Mach. IX). Ad usum autem hujusmodi alludunt plura, quae in Prophetis occurrunt, et perdurasse quoque aetate Christi clare colligitur ex Matth. IX. 13.

Praecipui apud Hebraeos isti jam recensiti fuere Musicae usus. Caeterum aliis etiam occasionibus Hebraeis Musicam familiarem extitisse non obscure indigitant plura. Quamvis enim de theatris, et profanis hujusmodi spectaculis inter Hebraeos nulla occurrat mentio in sacris literis, occurrit tamen genus aut dramatis, uti Cantici Canticorum, aut carminum doloris, gaudii, gratiarum actionis etc. ut patet praesertim in libro Psalmorum. *De Vindemialibus* etiam Canticis sermo est in eodem libro, et apud Prophetas, ex. gr. Is. XVI. Amos VI.

III. Nimis longum esset enumerare, aut describere musica instrumenta, quibus Hebraei utebantur. Difficile insuper cum de re agatur antiquitatis tenebris obvoluta; vix insuper alicujus utilitatis. Consulatur, si opus sit, Calmet, qui *Dissertatione secunda* probabiliora investigare conatur, et figuras etiam cujusque instrumenti exhibet in tabulis. Nos animadvertere

contenti erimus: 1.° Instrumenta illa fuisse triplicis generis: *chordis instructa*, sive *fidicularia*, ut cithara, psalterium; *flatilia*, sive *pneumatica*, ut organum, buccina; *pulsanda*, ut tympanum, sistrum. 2.° Aliquas voces sumptas esse ab aliquibus sive Rabbinis, sive Interpretibus tamquam instrumentum aliquod significantes, quae tamen juxta accuratiorem Textus interpretationem non instrumentum, sed aliud significant. Ex. gr. (juxta aliquos.) Ps. VI. *Octava* non instrumentum octo chordarum, ut plures explicant, sed octavam classem musicorum Templi indicabat juxta 1. Par. XV. 21. Hinc Calmet ex 34. instrumentis musicis, quae recensent Rabbini, 14. expungenda esse contendit.

Paucis interim dicemus de *Psalterio*, cum ad *Psalmos*, quos Ecclesia quotidie canit, referatur. *Psalterium* et *Psalmus*, graece Ψαλτήριον, Ψαλμὸς, hebraice מִזְמוֹר˙מְזַמְּרוֹת *Mizmòr*, *Mezammeròth*, instrumentum chordis instructum denotant, et sonum ejus, qui non plectro, sed *ipsis digitis tangendo aut impellendo*, eliceretur. Id arguunt eruditi a testimoniis veterum scriptorum, atque ab hebraico verbo *Zimmer* זִמֵּר et graeco Ψάλλω, a Ψάω *tango*, *tracto* (v. *Beck*, *Bullettino Archeol.* 1831. p: 71, *Ackerm. Archaeol.* § 94.). Forma trigona fuisse videtur, adeo ▽, seu Δ inversum formaret, constans tribus baculis, ad quos chordae extenderentur super tabula resonanti, quae *utrem* seu *corium* claudebat, prouti vocabula *Nablium*, *Nabla*, Νάβλιον, Νάβλα, נֵבֶל innuunt.

IV. Effectus Musicae stupendos esse, quod Scriptores profani tradunt, confirmat Scriptura ipsa de Musica Hebraeorum. En varia Scripturae exempla, ex quibus deduci potest quam mira tum Musica per se patraverit, tum Deus ipse per illam sit operatus. Saul atra bile percitus remedium expertus est in lyra Davidis (1. Reg. XVI.). Saul idem inter prophetas canentes, et psallentes in alium penitus mutatus est virum (I. Reg. X.). Servi ipsius Saulis, ipseque denuo, prophetarum concentu commoti, prophetis Deum laudantibus junxerunt se se contra hominum expectationem (1. Reg. XIX.). Eliseus, musico ad se adducto, in propheticas voces, Dei spiritu afflante abreptus est (4. Reg. III.). Ammonitae, et Moabitae cum aliis juncti contra Iosaphat, terrore percutiuntur, et in socios arma convertunt, audito concentu exercitus Hebraeorum (2. Paral. XX.). Cui similia contigerunt in bello Abiae Regis Iuda contra Ieroboamum Regem Israelis (2. Paral. XIII.). Maenia Iericuntis ceciderunt buccinarum clangore (Ios. VI.).

Si quis ulterius progredi vellet in quaestione hac discutienda, et de regulis, deque musicae Hebraeorum perfectione

inquireret, respondemus in hac re nihil nisi obscurum, et incertum nobis constare. Ne tamen omnia ommittamus, monemus haec duo: 1.° multi cum Clem. Alex. (*Strom.* 6.) antiquitatis studiosissimo, opinari Hebraeorum Musicam ad doricum genus accessisse: gravissimum scilicet, perinde ac de *Poesi* docuimus spondaeis, ac productioribus syllabis expressa; 2.° plurimum valuisse Hebraeos in musica, ostendunt tum effectus ejusdem, de quibus num. IV., tum desiderium Babylonensium aventium audire ex Hebraeis captivis Psalmorum concentum, de qua re Psal. CXXXVI. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

EXERCITATIO XIII.

An Hebraei coluerint Medicinae artem.

In re, de qua haud multa habentur, neque admodum clara in sacris literis, ostendemus, 1.° cognitam fuisse Hebraeis medicinam quodammodo; 2.° investigabimus an ars haec apud illos fuerit tantummodo circa vulnera curanda, ut de nostra chirurgia valet, aut circa morbos alios medendos, ut Medicinam nos sumimus.

Quod ad primum Hebraeos rationem aliquam cognovisse medendorum morborum, nec non medicamenta, ostendunt sequentia: *Ana*, unus e posteris Esau (*Genes.* XXXVI, 24.) *invenit aquas calidas in solitudine:* quod argumento est *Balnea mineralia* jam tum neglecta non fuisse. Ioseph condiri voluit cadaver patris sui Iacobi arte medicorum, (Gen. L. 2.) (1). Sancitum erat lege, ut qui alterum in rixa percusserit: *operas ejus, et impensas in medicos restituat* (Exod. XXI. 18.). Medicam cognitionem aliquam supponere deinde videntur leges, ac cautelae praescriptae in lege: de *menstruis*, de *leprosis*, et *similibus:* chirurgicae autem operationes quaepiam in ipsa Circumcisione jam latent. Asa, qui plus aequo medicis confiderat, vituperatur 2. Par. XVI. 12. Alii ipsum exinde reprehendi quoque putant, quod medici illius aetatis frequenter non medicinis naturalibus, sed mediis superstitiosis uterentur. In Prophetis, ac praesertim Is. XXX. Ierem. VIII. XXX. etc. frequentes occurrunt metaphorae et allegoriae ex vulneribus, oleo, fasciis, cicatricibus etc., et plura etiam de cognitione in-

(1) Praecepitque servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem. *Id tamen de consuetudine Aegyptiorum in condiendis cadaveribus, et quidem de conditione ditiorum ad quam 30 vel 40 dies requirebantur* (*Herodot.* II, 86. 88), *intelligendum esse videtur.*

ternarum partium humani corporis. In Proverbiorum libro quot afferuntur de bona et mala valetudine, de plantarum virtute, ac de regulis ad vitam servandam necessariis?

Hebraeorum vero medicinae testimonium, ac laudem praecipue praebet liber Ecclesiastici cap. XXXVIII. Commendantur namque medici in primis: *honora medicum.... illum creavit Altissimus.* Pharmaca insuper: *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.* Idem medicae arti tribuit, ut a multis explicatur, quod in Mara aquae factae sint dulces, ligno a Moyse immisso: *nonne a ligno indulcata est aqua amara?* Notent tamen Medici illud vers. 15. *qui delinquit.... incidet in manus medici.*

Quod ad secundum, Hebraeorum medicinam ad chirurgiam restrictam fuisse colligi putat Calmet eruditissima *Dissert. in Eccle.* (*De re medica veterum Hebraeorum*) ex quo nullum remedium adhibitum legatur in Scriptura, pro febri, languoribus, peste, capitis dolore, viscerum morbis, etsi horum omnium exempla occurrant; e contrario remedia apposita legantur vulneribus, confractionibus, etc. Medicorum interim judicio relinquimus an chirurgiae ars sine medicinae cognitione consistere possit.

Aetate Christi et Apostolorum complures *Medici* in Palaestina versabantur sive Graeci, sive Hebraei, qui Graecos legerint, atque scientia profecerint. Id aperte innuunt verba illa: *Et fuerat multa perpessa a compluribus Medicis, et erogaverat omnia sua* (*Marc.* V, 26. conf. *Luc.* VIII, 43.); et proverbialis locutio: *Medice cura te ipsum;* atque sententia illa (*Luc.* V, 31.): *Non egent, qui sani sunt, Medico, sed qui male habent* (*conf. Ioseph. Archaeol.* XVII, 6. 5.) Hinc Iesus et Apostoli, cum prodigiosas curationes a languoribus et infirmitatibus praestiterunt, hominibus illudere non potuissent, ut increduli impie et stulte blasphemant.

EXERCITATIO XIV.

An haereticum sit alicujus S. Scripturae libri negare Canonicitatem?

Illud nunc pro certo haberi censeo, quod in *prima parte Institut. Bibl.* probatum est omnes nempe Script. Sacrae libros inspiratos, authenticos, et canonicos esse. Nunc quaeritur an hoc tam certo constet de omnibus libris, ut id negare haeresis sit?

Negotium in hac re facessere videtur Melchioris Cani opinio, viri doctissimi, Concilii Tridentini Theologi, et in iis,

quae spectant ad Tractatum *de Locis Theologicis* facile principis, qui (*Lib. de Script. II. Cap.* 9.) asserit haereticum quidem esse qui canonicitatem neget aliquorum librorum, ut Epistol. Iacobi, Ep. ad Hebraeos etc.; sed canonicitatem aliorum negare, ut Baruch, Tobiae etc. *erroneum* tantum censet. Non pauca vero, nec infirma sunt argumenta, quibus concludendum esse videtur tam certo omnes omnino libros divinae Scripturae in canone Tridentini contentos canonicitate gaudere, ut de quolibet id negare sit haereticum.

Nam 1.° id sentiunt communiter Theologi. Ita Suarez *de Fide* (*Disp. V. Sect.* 2. *num.* 9.) loquens de libris Scripturae deutero-canonicis (multo vero id magis dicendum de Proto-canonicis) ait: *nunc esse de fide certum, omnes illos libros esse veram Scripturam Sacram, ita enim definitum est in Conc. Trid. Ses.* 4. Ita etiam Antoine *de Fide* (*Art. III. in fine Observa*): *Certum est certitudine fidei, libros omnes canone nostro contentos, conscriptos fuisse ab authoribus sacris, seu a Deo inspiratis, et edoctis.* 2.° Pallavicinus (*hist. Concilii Trident. l. VI, c. V, n.* 4.) de rebus in Tridentino discussis, ac definitis circa Scripturam, refert opinionem de librorum distinctione facienda *in Decreto Approbationis* rejectam fuisse (1). 3.° Concilium Tridentinum eo modo loquitur, ut catholicum dogma adstruere videatur; infligit enim anathema non suscipientibus *libros omnes cum omnibus suis partibus;* ac de canonicitate librorum omnium loquitur, simulque de auctoritate Traditionum, quod certe dogma fidei est; tandem ut innotescant testimonia, et praesidia in confirmandis dogmatibus, dicit condidisse definitionem suam circa Scripturam, et Traditionem. 4.° Vel Ecclesia, petimus, in Tridentino congregata definire volebat librorum canonicitatem, vel non. Si definire nolebat, nullius ergo libri canonicitas (ex Tridentino saltem) ita dogmatica erit, ut haeresis sit illam negare: haereticus namque ille est, qui pertinaciter definitioni Ecclesiae resistit. Si defini-

(1) Pallavicini verba loc. cit. haec sunt. *Il terzo* (capo) *eccitato dal Bertano, e dal Seripando fu se mettesse a bene il dividere i Santi Libri in due classi: l'una, che appartenesse alla sola edificazione del popolo, e in verso di quella solamente accettati dalla Chiesa per buoni, quali pareva che fossero i Proverbj, e la Sapienza non riconosciuti ancora dalla Chiesa come Canonici, benchè ne facessero menzione spesso San Girolamo, Sant' Agostino, ed altri Autori antichi: l'altra, che valesse eziandio a sostegno della Dottrina. Ma tal divisione quantunque fatta innanzi da qualche Autore, ed allora promossa dal Seripando in una Scrittura eruditissima, ch' egli compose per esaminazione di tutti i libri Canonici, come in verità non aveva sussistenza, così non ebbe apparenza: onde appena ritrovò approvatore, e però di essa non favelleremo più avanti.*

vit, aeque de omnibus id fecit; unde enim, aut quo jure, lege non distinguente, distinguere nobis licebit, definitionemque ad hunc librum contrahere, ab aliis excludere?

Consulto vim fecimus in Tridentini doctrina, utpote quae validior est, et sufficiens ad rem nostram probandam, praesertim ex communi ejus Theologorum usu. Caeterum ex Florentino quoque, ex Conciliis aliis antiquioribus, et Summ. Pontificc. definitionibus idem constare, (ut ex nostris *Institutionibus* apparet), aut validissime saltem confirmari potest.

Cur ergo Canus non eamdem affixit haeresis notam negantibus quemlibet canonicum librum, praecipue cum ipse Canus inter sua argumenta citet Tridentinum Concilium? Melior quae, si quid judico, adduci potest sententia, ne erroris tantum virum accusemus, ea est, Canum obiisse an. 1560.; Tridentinum vero approbatum tantum esse anno 1565; propterea Canus uti non poterat Tridentini definitione tamquam dogmatica. Non ommittendum vero est varium olim fuisse apud scriptores ecclesiasticos sensum illarum vocum: *haereticus*, *erroneus* etc. quae variis nempe modis sunt usurpatae, ut Canus ipse (*lib. III. cap.* 9. *Conclus.* 1.) innuere videtur hisce verbis: *varia et ambigua est hujus nominis* (erroneum) *significatio.*

EXERCITATIO XV.

Quonam sensu corpora mortuorum prophetata sint?

De Eliseo (Eccli. XLVIII. 14.) dicitur: *et mortuum prophetavit corpus ejus.* De Ioseplio (XLIX. 18.) *et ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt.* Quaeritur autem quo sensu corpora mortua prophetare possint?

Licet *prophetare* proprie sit futura ex Dei instinctu praedicere, tamen cum Prophetae plura alia praestarent ad Dei gloriam (nam docebant, hortabantur, orabant, psallebant, et miracula patrabant), hinc est quod *prophetare* plura alia, veluti per figuras scripturali phrasi significet. Notamus autem quod *Propheta* sensu proprio primus appellatus sit Abraham (*Genes.* XX, 7.), postquam scilicet *divinas revelationes* plures obtinuisset, et domesticis suis ad posteros propagandas annunciasset. Itaque *prophetare* significat etiam:

Interpretem, sive Praeconem agere. Ita Exod. VII. 1. *dixitque Dominus ad Moysen: ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus;* idest *interpres, praeco.*

Docere. Ita 1. Cor. XIV. 5. *Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem prophetare.* Dicitur vero praecipue de

doctrina per *interpretationem* verbi Dei scripti vel traditi (*conf. ad Roman. XII*, 6. 2. *Petri I.* 20. *etc.*).

Laudare Deum. Ita I. Reg. X. 10. *Insiluit super eum* (Saul) *Spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum.*

Canere. Ita I. Paral. XXV. 1. segregati fuerunt Asaph, Heman, et Idithun qui *prophetarent*, idest psallerent in *citharis*, *psalteriis*, et *cymbalis*.

Delirare etiam, et ex maligni spiritus afflatu insana proferre; fortasse quia prophetae interdum delirare hominibus videbantur. Ita de Saule 1. Reg. XVIII. 10. *invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suae.* In textu hebr. est הִתְנַבֵּא significatione reciproca, idest *se prophetam gerebat.*

Miracula facere. Prophetae enim miracula saepe patrabant ad divinam missionem suam demostrandam, et adserendam. Ita dum cadaver hominis mortui suscitatum fuerit in sepulcro Elisei, dicitur (Eccli.) XLVIII. 14. *et mortuum prophetavit corpus ejus.* (Estius tamen putat prophetiam eo loco stricte sumendam, quatenus eo facto sit ostensum possibilem, et aliquando futuram Elisei ipsius, et omnium corporum resurrectionem). Ita de Christo postquam suscitaverat filium viduae, Luc. VII. 16. dicitur: *Propheta magnus surrexit in nobis.* Verum priori sententiae favent verba illa Ioan. VI, 14. *Illi ergo homines, cum vidissent, quod Iesus fecerat SIGNUM, dicebant: Quia hic est vere PROPHETA. Signum* autem illud fuit multiplicatio quinque panum et duorum piscium.

Prophetiam confirmare. Ita cum Iosephus ante mortem prophetaverit liberationem populi ex Ægypto, in exitu Hebraeorum de hac regione, dum transferebantur etiam Iosephi ossa, juxta id quod praeoptaverat, dicuntur ista prophetasse. Ex dictis, praesertim duobus postremis locis, satis patet responsio.

De hoc prae aliis egit Annatus (*Apparatus T. I. l. 2. art. 15. dub. 16.*).

EXERCITATIO XVI.

Quid de prodigiis circa Solem in Scriptura narratis.

Contra naturae ordinem Solem olim stetisse (Ios. X.), retro vertisse cursum suum (4. Reg. XX., 2. Paral. XXXII, Is. XXXVIII.), eclipsim passum esse (Matt. XXVII.), in Scripturis narratur.

Innumera fere sunt, quae circa illa dixerunt, dicuntque increduli, ut (quod eorum ingenium est) vel prodigia negent,

vel impossibilia demonstrent. Multa etiam catholici congerunt, ut adversariis respondeant, ac Scripturae narrationem in bono collocent lumine. Vide Calmet (tribus *Dissertationibus in Ios. in Reg. IV.* et *in Matth.*), Du-Clot (*Notis* in ea Scripturae loca,) ut alios ommittam. Nobis sat est haec duo de illis omnibus probare, nempe et vera illa esse prodigia, neque modum deesse, quo illa explicari possint.

Primum quod attinet ad stationem Solis sub Iosue, revera Solem suum motum suspendisse usque dum completa fuerit Iudaeorum contra Gabeonitas victoria, atque diem idcirco illum longissimum extitisse, phrases Scripturae tam diserte asserunt, si bene expendantur, ut nihil aliud possit exprimi clarius. Idem confirmant rem narrando Habacuc, auctor Ecclesiastici (XLVI.), idemque fatentur Iudaei, et Christiani unanimiter. Fuse haec omnia prosequitur Natal. Alex. (*Æt. IV. Diss.* 13.). At sisti solis motum quis neget esse prodigium? Quis in hoc omnipotentis Dei digitum non videt?

Prodigium sane hoc esset, inquiunt increduli: sed diei productio in Scripturis narrata explicari potest vel per parhelia, nempe per reflexionem radiorum Solis occidentis; vel per novam lucem a Deo creatam, vel aliter, quin ad prodigiosam stationem Solis confugiamus. Sed 1.° obstat Scriptura, quae clare dicit: *stetit sol in medio caeli:* ex quo etiam evertitur hypothesis parhelii Solis occidentis; 2.° obstat iterum Scriptura, quae de *Luna* etiam addit: *Et Luna ne movearis contra vallem Ajalon-Steteruntque Sol et Luna;* 3.° ut unum vitent prodigium alia admittunt increduli adstruendo vel parhelium tam diu durasse, vel novam lucem a Deo creatam, vel caetera hujusmodi.

At, reponunt, terra non sol juxta meliora systemata movetur. Quidquid sit de Copernicano systemate, quod tamen, et permittit Ecclesia, et optimi philosophi defendunt, notamus Iosue, uti nos, locutum esse more communi loquendi, ex vulgari scilicet persuasione solis motus. Enimvero, teste S. Basilio Magno (*in Isai. n.* 237.), *mos est Scripturarum, ut, quod ad denominationes spectat, vulgi opinionem sequatur. In Scripturis*, inquit Augustinus, *per homines more hominum loquitur Deus* (*de Civ. Dei XVII*, 6.). Sed quod ad rem, idem erit prodigium sive sol, sive terra contra naturae leges sistat cursum.

Turbatum erit ergo Caeli totius systema, confusae naturae leges, et phaenomena, dicunt illi: quibus reponimus nihil fuisse turbatum: nam cum sole, vel terra quieverunt omnia proportionaliter, ut de Luna expresse dicitur in Scriptura. Quare solum est suspensus naturae cursus ordinarius, ac postea in ordinem restitutus.

Cur, petunt, si prodigium illud contigisset, de eo silet Epistola ad Hebraeos, veterum heroum gesta recensens? Cur silent auctores omnes profani? Questioni satisfacere credimus monendo Paullum non id sibi proposuisse ut omnia indicaret; nam multa tacet ex iis etiam stupendis, quae Hebraeis in Aegypto, et in mari rubro acciderunt; sed solum fidei, ut ita dicam, miracula enumerat c. XI. Scriptores vero profani, posteriores sunt admodum temporibus Moysis, et Iosue, unde nil mirum, si multa de iis praetermiserint. Sinenses tamen retinent in suis annalibus de hoc prodigio memoriam, ut ex Martini: (*Storia della China l.* 1.). At si increduli profanis crederent, cur non credent Scripturis, saltem tamquam authenticis historiis?

Quod ad retrocessionem solis sub Ezechia, in memoriam revocamus Isaiam exhibuisse illi Regi tamquam signum salutis certo obtinendae reversionem umbrae solis in horologio Achaz decem linearum, und ait loc. cit. *reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.* Hoc porro nonnulli Catholici literam secuti, ita explicant, ut sol ipse reversus sit, quomodo prodigiose stetit sub Iosue, inter quos Natal. Alex. (*Ætate V.* Diss. 8.); alii solam umbram retrocessisse contra ordinem, quod sufficit veritati Scripturae, quae more hominum loquitur. Sane et nos dicimus solem in cubiculum intrare, cum tantummodo radii illius ingrediantur. Sed in utraque hypothesi miraculum illud fuit, quod confirmatur ex natura signi, quod petiit Ezechias; ex temporis circumstantia, cum subito illud evenerit precibus Isaiae; ex legatis, (Paral. loc. cit. vers. 31.) a Rege Babylonis missis Ierosolymam, *ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram.*

Inutiliter igitur fingunt increduli etiam hoc loco parhelium contra Scripturae narrationem, quod tamen aeque fuisset miraculosum; inutiliter objectant turbatum fuisse Caeli ordinem, cum vel umbra tantum turbata sit, vel aeque reversa sint omnia proportionaliter. Valeant et hic supra notata circa Iosue.

Multa deinde Increduli congerunt ex narrationis contextu, quae ajunt falsa esse, quaeque contra verisimilia nos ostendemus. Nam

Dicunt in primis veritate carere hanc Ezechiae propositionem; *facilius est crescere umbram;* utrumque enim miraculum est. Reponimus: dixit hoc solum Ezechias astronomiae non assuetus; aut ratus fortasse miraculum esse evidentius, et a doli suspicione magis alienum, reverti potius, quam progredi umbram.

Iudaeos porro dicunt didicisse horologia, uti legendi, et scribendi artem solum tempore captivitatum. At credat haec

Iudaeus Apella. Ut enim ommittamus auctoritatem ipsius Scripturae, quis credat Hebraeos cum Aegyptiis versatos, mercaturam longe, lateque facientes, Phaeniciis vicinos, utilissima inventa hujusmodi ignorasse? Accedit, quod *Horologium Achaz*, a Rege ipso ita denominatum videtur, quod rex idem illud e Babylonia acceperit, unde et Anaximenes Milesius recentiori aevo primum *Skiathericon* in Graeciam transtulit. Porro Rex Achax foedus et auxilia a Rege Assyriorum habuit (4. Reg. XVI, 5.).

Iosue X. dicitur: *non fuit antea, et postea tam longa dies.* Ergo inferunt Sol non retrocessit decem lineis, sive decem horis; nam redeundo dies ille admodum crevisset. Sed respondemus, 1.° colligi non posse quamdiu duraverint dies illi, ac proinde frustra id objici ab incredulis; 2.° augmentum nullum fuisse si sola regressa sit solis umbra; 3.° lineas non horas, sed dimidium horae aut quadrantem forte significabant; 4.° tandem potuisse Deum solis cursum accelerare, atque celerrime, ut miraculum pateret magis, putant nonnulli omnia fuisse peracta.

Babylonii, dicunt, astronomiam edocere poterant Iudaeos; cur ergo petunt explicationem phaenomeni ab his? Resp. vel phaenomenon accidit solum in Iudaea, si sola umbra in horologio Achaz retrocessit; vel petierunt tantum caussam mirabilis eventus.

Tandem et hic objiciunt increduli silentium profanorum in re tam mirabili. Sed contra afferri potest agnovisse eam Aegyptios ex Herodoto (l. 2. 142. conf. tamen *Saint-Martin, Journal des Savans* 1823. *p.* 56.). Deinde nonne satis esse debet Scripturarum tum divina, tum humana auctoritas?

Quod ad tertium quaestionis objectum, de obscuratione nempe Solis, notemus verba Matthaei XXVII. 45. *a sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam.* Hoc autem prodigii loco habendum esse ostendunt eventus circumstantiae cum et meridies esset, et in plenilunio, in quo naturales Solis eclipses contingere nequeunt cum tunc luna sit in oppositione cum Sole: duratio ad tres horas: obscuritas perfecta, et universalis; communius enim ita Patres interpretantur *illud universam terram*, (quamvis non desint qui ad solam Iudaeam referant): oraculorum complementum, quibus res haec praenuntiata fuit Amos VIII. 9. (1); Ioel. II. 2. (2): Ezech. XXX. 3. (3).

(1) *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.*

(2) *Venit dies Domini . . . . dies tenebrarum et caliginis . . . . dies nubis et turbinis.*

(3) *Appropinquat dies Dominis: dies nubis.*

Tres vero afferri solent hypotheses, Patrum auctoritate, et rationis congruentia probabiles, quibus phaenomenon possit absque repugnantia explicari; 1.º ut contra naturam eclipsis facta sit, rapta Luna ad locum inter solem, et terram interjectum; 2.º ut divinitus suspensa sit Solis illuminandi vis; 3.º ut densae nubes Solis lumen impediverint eo fere modo, quo tenebrae factae sunt in Aegypto per tres dies. Cum vero ex Phlegonte inferius citando stellae tunc apparuerint, placet aliis fingere crustas sive maculas Sole latiores et densiores fuissa factas ut lumen illius impediverint.

Sed petunt increduli, quis profanorum notavit prodigium hoc? In hac re et urgere possumus, ut saepe alias, Scripturae auctoritatem, et notare insuper, non esse certum ex supra dictis prodigium hoc universae terrae cognitum fuisse. Sed haec ommittamus: ommittamus etiam celebrem *Epistolam* Dionysii Areopagitae *ad Polycarpum*, in qua ille suismet oculis fatetur rem hanc conspexisse. Aliqui namque critici supposititiam illam faciunt, ac posterioribus saeculis confictam. Dissimulare non possumus celeberrima de his testimonia *Phlegontis Tralliani*, liberti Hadriani, apud Iulium Africanum, Origenem (*contr. Cels. l. II.*), Eusebium, aliosque. Iulius Africanus testimonium quoque ex historiis *Thalli* profert.

Consule Auctores superius citatos praeter Commentatores. Conf. etiam *Memorie di Religione T. III. p.* 464-476.

EXERCITATIO XVII.

De quibusdam quaestiunculis, quae legenti Sacram Scripturam facile occurrunt.

Quaeritur 1.º Quot fuerint *Antiochi*, quotve *Herodes*?

Respod. Antiochi regnarunt mortuo Alexandro in Syria et Babylonia, et *Seleucidae* quoque, a Seleuco monarchiae auctore, appellantur. Fuerunt nomine isto reges Syriae numero XIII. idest: I. *Soter*, II. *Hierax*, III. *Magnus*, IV. *Epiphanes*, V. *Eupator*, VI. *Epiphanes Dionysus*, VII. *Evergetes* vulgo *Sidetes*, VIII. *Epiphanes* vulgo *Gryphus*, IX. *Philopator* vulgo *Cyzicenus*, X. *Eusebes Philopator*, XI. *Epiphanes Philadelphus*, XII. *Dionysus Epiphanes Philopator Callinicus*, XIII. *Epiphanes Philopator Callinicus*, vulgo *Asiaticus*: Antiochus IV *Epiphanes* (idest *Illustris*, vel *Deus Praesens*) omnium Seleucidarum crudelissimus, et impius in Iudaeos exstitit.

Herodes in Iudaea regnarunt Romanorum auctoritate. Fuerunt numero sex. I. *Ascalonita* ab Ascalona civitate Iudaeae dictus Magnus, sub quo Christi nativitas, et caedes Infantium. II.

Archelaus, Magni filius, post patrem in Iudaea, nomine *Ethnarchae*, regnavit. III. *Antipas*, alter Magni filius, *Tetrarcha Galilaeae*, qui Ioannem Baptistam decollavit, et Christo sibi tradito illusit. IV. *Agrippa I. Magnus*, nepos Magni ex Aristobulo, qui Iacobum fratrem Ioannis gladio occidit. V. *Herodes*, Agrippae Magni frater, quo deprecante a Claudio Aug. regnum Chalcidis obtinuit. VI. *Agrippa II.* Agrippae I. filius, rex primum Chalcidis, deinde Tetrarchiae Philippi, et partis Galilaeae; coram eo adstitit Paullus (*Act. Apost. XXV.*). Principes hi omnes communi nomine *Herodes* appellati sunt.

Quaer. 2.° Quot et quinam Iudae celebres in Scriptura?

Resp. Iudae celebres in Scriptura sunt: 1. *Iudas* quartogenitus a Iacob. 2. Tertius filius Mathathiae, sive *Iudas Machabaeus.* 3. Iudas princeps militiae apud Ionatham fratrem Iudae Machabaei. 4. *Iudas* filius Simonis fratris Iudae Machabaei. 5. *Iudas Thaddaeus* frater, idest cognatus Iesu, Apostolus. 6. *Iudas Barsabas* adjutor Apostolorum (Act. XV. 22.). 7. *Iudas* quidam auctor secundi libri Machabaeorum. 8. *Iudas* pater Iosephi, et alius *Iudas* pater Simeonis ex genealogia Luc. III. 9. *Iudas Iscariotes* (aut nomine ejus patriae, aut nomine tribus Issachar, vel a voce syriaca, quae *anginam* et *strangulationem* significat) Apostolus, et proditor Christi. 10. *Iudas*, qui Damasci recepit Paullum recens conversum. 11. *Iudas Galilaeus* sectarius ex Act. V. 37. Idem dicitur etiam *Gaulonites* nam ejus civitas erat Gamala in Gaulonitide Galilaeae. Vide de his Commentatores.

Quaer. 3.° Quot fuerint Zachariae?

Resp. Zachariae celebriores saltem fuere: 1. Zacharias Summus Pontifex Iudaeorum filius Iojadae *occisus in atrio domus Domini* a Ioas; 2. Zacharias propheta inter minores, filius Barachiae; 3. Zacharias e familia Abiae, vir Elisabeth, ac pater Baptistae.

Quaer. 4.° Quot fuerint Oniae?

Resp. *Onias* (vis Dei) I. filius Iaddo ad Pontificatum assumptus anno 3682. et mortuus an. 3702. *Onias* II. ingenio pusillus, et avarus assumptus an. 3771. et mortuus an. 3785. *Onias.* III. sanctissimus assumptus an. 3805. ab Antiocho Epiphane exauctoratus anno 3829, et mortuus an. 3834. Sub eo factum Heliodori. Alius *Onias* Oniae III. filius patruorum ambitione regno exclusus in Aegyptum secessit, et Templum construxit appellatum *Onion.* Menelaus etiam, qui regnum obtinuit post Iasonem, qui Oniam III. deturbaverat, nomen et ipse habuit *Oniae.* Vide Calmet (*Dissert. in lib. Iudith De Successione Summorum Sacerdotum*).

Quaer. 5.° Quot sint Mariae, et quaenam celebres in Scriptura?

Resp. Mariae nomen habuit 1.° *Maria* soror Moysis, et Aaron. 2.° *Maria* virgo, et mater Christi. 3.° *Maria Magdalena.* 4.° *Maria* dicta *Cleophae*, qui ejus erat aut pater juxta aliquos, aut juxta alios maritus (Vide Calmet in Ioann. XIX. 25.). Haec creditur etiam illa, quae dicitur *Maria Iacobi* (Marc. XVI. 1.), idest mater Iacobi min. Apost. 5.° *Maria* mater Ioannis, *qui cognominatus est Marcus* (Act. XII. 12.), quae hospitio recepit Petrum e carcere liberatum per Angelum. 6.° Maria, de qua Paullus ad Romanos (XVI. 6.): *salutate Mariam, quae multum laboravit in vobis.* Vide Commentatores.

Quaer. 6.° Quot fuerint Reges in Iuda; quot in Israel; quotve inter eos boni?

Resp. Reges in Iuda a Saule ad Sedeciam fuerunt num. 22. spatio annorum fluente 510. p. m. computatis annis Saulis cum Samuele (Circa supputationes annorum hujusmodi magis accuratas consule *Chronicon* Tirini.). De his Eccli. XLIX. 5. *Praeter David et Ezechiam et Iosiam omnes peccatum commiserunt: nam reliquerunt legem Altissimi reges Iuda, et contempserunt timorem Dei.* Intellige de maximo peccato idololatriae, et superstitionis, a quo non fuerunt immunes Asa et Iosaphat caeteroquin boni *cum non abstulerint excelsa* (3. Reg. XV. XXII.).

Reges in Israel a Ieroboamo ad Oseam fuerunt num. 19. spatio fluente annor. p. m. 256. Omnes nemine excepto, utpote Schismatici et idololatrae, impii fuere.

Quaer. 7.° Quot fuerint captivitates Iudaeorum?

Resp. Captivitas prima in Aegypto. Sex sub Iudicibus nempe 1.ª sub Cusan Rege Mesopotamiae. 2.ª sub Eglon Rege Moab. 3.ª sub Philistaeis. 4.ª Sub Iabin Rege Azor. 5.ª sub Madianitis. 6.ª sub Ammonitis simulque Philistaeis. Tempore Regum, Israelitarum prima sub Teglatphalasar, secunda sub Salmanasar. Iudaeorum sub Babylonis Rege Nabuchodonosor duae: nempe 1.ª tempore Ioachim et Danielis; 2.ª alia, quae paullatim facta, completa est denique tempore Sedeciae. Inter has praecipuae fuere 1.ª in Aegypto; 2.ª Salmanasar, 3.ª Nabuchodonosor tempore Sedeciae.

Quaer. 8.° Quaenam scitu digna de nomine *Iehovàh?*

Resp. Hebraice exprimitur quatuor litteris *jod*, *he*, *vau*, *he* יהוה. Hinc dicitur τετραγράμματον, *tetragrammaton*, et significat: *qui est.* Tamquam nomen sibi proprium indicavit Deus Moysi (Exod. VI.). Hebraei sibi illicitum putant illud proferre reverentiae caussa, quae consuetudo antiquissima esse videtur, cum in Versione Alexandrina nomen יהוה non Θεός sed Κύριος verti soleat. Hac de caussa vocatum est etiam *no-*

men ineffabile. Solus Summus Sacerdos illud proferebat ingrediens Sancta Sanctorum in die Expiationis. Ex Salmer. (T. 6. Tr. 4.) Rabbini aliqui docent eos, qui didicissent litteras illius nominis miracula potuisse patrare, et ita illi miracula Christi explicant. Sed ommissis aliis cur non alia patrarunt ipsi Iudaei ope illius nominis, praesertim cum obsessi essent a Romanis? Vide Veith (*de Evang. Sect. III. Quaest.* 9.). Litterae nominis *Iehovàh* passim in Templis nostris inscriptae reperiuntur.

Quaer. 9.° Quid de voce *Alleluja?*

Resp. Alleluja הַלְלוּיָה vox est hebraica ab הַלְלוּ *halelù* et יָהּ *iah* significans *laudate-Deum*. Hac usus est Tobias visu recuperato: hac David in multis laetitiae Psalmis: hac generatim Synagoga in laetis sollemnitatibus, sicut et Ecclesia nostra. Licet nobis tempore luctus prohibeatur, Mozarabis tamen praescribitur in *Introitu* Missae Defunctorum. Putant aliqui aequivalere latino *Euge;* certe tota vis illius verbi aegre per alias linguas exprimitur. Gregorius M. poenitentiae tempore vice illius statuit dicendum: *laus tibi Domine*, quod licet videatur idipsum exprimere, non exprimit tamen totam laetitiae emphasim uti *Alleluja*.

Quaer. 10.° Quid significet vox *Hosanna?*

Resp. Hosanna הוֹשִׁיעָ־נָּא acclamatio fuit facta Christo ingredienti Ierusalem: *Hosanna filio David*. Putat Augustinus puram esse interjectionem gaudii, sicuti doloris est *eheu*. Sed vox haec composita significat omnino *Salva quaeso* (v. *Psalm.* CXVII. hebr. CXVIII. 26.): eandemque Hebraei saepius in festo Tabernaculorum, et aliis magnis laetitiis repetebant. In loco Matth. XXI, 15. aliqui interpretantur *salva quaeso*, (*Domine*) *filium Davidis*, quasi *Salus filio Davidis;* alii probabilius intelligunt, *dicentes filio Davidis τὸ Hosanna;* idest *Salva* (*nos*) *quaeso, o fili Davidis*, Rex Messia!

Quaer. 11.° Quid de voce *Anathematis?*

Resp. Anathema Ἀνάθημα graece, hebraice חֵרֶם *chèrem* aut *horma*, latine *res reposita aut execranda*, et *donarium*. Hoc enim nomine olim dicebantur quae ex spoliis inimicorum, aliisve devota erant Deo, aut internecioni irrevocabiliter, inter quae personae ipsae aliquando. Ab Ecclesia nostra sumitur pro exclusione alicujus membri ab ea.

Quaer. 12.° Quid fuerit signum *Thau?*

Resp. In strage Iudaeorum per visionem ostensa Ezechieli (IX. 4.) salvandi erant qui muniti essent signo *Thau*. Sumitur hoc nomen ab aliquibus ut appellativum, nempe *signum*,

quodcumque hoc fuerit. Ita enim sumi potest ex vi vocis hebraicae תָּו. Communius sumitur proprie pro littera postrema alphabeti Iudaeorum. Haec teste Hieronymo in litteris antiquis hebraicis, seu Samaritanis, formam habebat τοῦ Ταυ Graecorum, vel *Te* Latinorum; et revera in nummis Simonis Machabaei littera *Tau* characteris Samaritani formam T seu potius X, vel *Crucis obliquae* exhibet. Hic forma crucis, cujus signo salus semper et ubique fuit obtenta.

Quaer. 13.° Quid fuerit *Manna?*

Resp. Manna pluit in deserto pro Hebraeis (Exod. XVI.) *in similitudinem pruinae super terram . . . . quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similae cum melle.* Credunt multi cum Tirino ejus speciem, quod ad substantiam, esse uti Manna, quod in Libano, Arabia, Calabria alibive colligitur, at qualitates habuisse prodigiosas: nam copia sufficiebat populo tanto; tam hieme quam aestate per annos 40. pluit; pluit quotidie, ita tamen ut die veneris duplo plueret ratione Sabbati; putrescebat solum si contra praescriptum legis servaretur; licet durissima sole liquefiebat; sapore erat exquisito, ut alia ommittantur. Etymologiam trahunt communius ab Hebraeorum admiratione dum primum Manna pluit: *Manhu* scilicet: *quid hoc?* Alii derivare amant a radice מנה, adeo ut significet *paratum* (*cibum*), aut *comparatum sine labore*, uti appellatur Sapient. XVI., 20. (v. *Malvenda h. l. Exod.*).

Quaer. 14.° Quid de cithara Davidis pellente malos humores a Saule?

Respond. Cithara, qua David refocillabat Saulem a spiritu nequam exagitatum id praestabat partim vi naturali, partim supernaturali. *Naturali* quidem, quia musica pellebat melancholiam, qua Daemon utebatur ad Saulem excruciandum. *Supernaturali* etiam, quatenus David per citharam elevabat cor suum ad Deum, et orabat pro Saule, quemadmodum Eliseus jussit adduci Psalten ad excipiendam a Deo prophetiam (4. Reg. III.). Ita Cornelius a Lapide.

Quaer. 15.° Quomodo explicandum illud Psalmi LVII. 5. etc. *serpentis incantati?*

Resp. Opinio vulgaris erat serpentes, aliaque venenata animalia cohiberi posse mediis quibusdam cantilenis, id quod *incantationis* nomine veniebat. Aspidem autem dicebant interdum vitare incantationem figendo aurem in terram ne audiret. In his aliisque similibus Scriptura non adoptat opiniones, sed similitudines adhibet ex iis, quae vulgo ferebantur.

Quaer. 16.° Quid de forma Iesu Christi?

Resp. Formam Christi pulchram fuisse tenent multi inter Patres et Interpretes, ac ita explicant illud Psalmi XLIV. *Spe-*

ciosus forma prae filiis hominum. Non pauci contra inter Patres et Interpretes sentiunt, ac ita explicant Isaiae verba (LII. LIII.) de Christo: *non erat aspectus .... neque decor .... despectum .... novissimum virorum.* Sed haec ajunt qui contra sentiunt, facile explicari possunt de statu Christi patientis. Calmet (*Dissert. in Isaiam*) utraque discussa sententia concludit ut probabilius nihil Christo fuisse insigniter faedum, nihil egregie pulchrum: nihil supra vel infra vulgarem seu turpitudinem seu venustatem. Christus in antiquis Christianorum monumentis forma pulcher et juvenis figuratur, et capillis naturaliter crispis, uti et vetus traditio ferebat (*Buonarroti, Vetri p.* 59.).

Quaer. 17.° Quaenam ars Iosephi Sponsi Mariae Virginis?

Resp. Artem Iosephi exprimit Matthaeus (XIII. 55.) nomine τέκτων, quod fabrum lignarium potius, quam ferrarium significare ostendunt eruditi, ac prae aliis Mazzocchi (*Dissertatione sub Ascia*), ubi etiam ostenditur vocem Vulgatae *faber* solum V. aut VI. saeculo usurpatam esse pro fabro ferrario. Hinc nil mirum, si Graeci ac caeteri orientales fabrum lignarium fuisse Iosephum opinentur; pauci vero inter latinos ferrarium fuisse credant.

Quaer. 18.° Quid fuerit Transfiguratio Christi in Thabor?

Resp. Transfigurationem Christi, qualem refert Matthaeus (XVII.) non fuisse visionem intuitivam Divinitatis, patet ex eo quod haec fieri non possit per oculos corporeos, et ex eo quod intuitiva Dei visio nemini concedatur in hac vita juxta illud: *Deum nemo vidit unquam* (Ioann. I. 18.). Nec ea fuit metamorphosis aut naturae, aut qualitatum Christi; sed ut explicat Matthaeus (XVII. 2.) *resplenduit facies ejus sicut Sol.* Unde Theologi passim cum Angelico dicunt ostensam tunc fuisse claritatem, quae una est ex dotibus corporis beati, quaeque excellens erat Christo viatori, et in eo suspensa. Hanc, quatenus humano ingenio licet, Raphael Sanctius in celeberrima illa tabula, coloribus expressit, in qua *candor quidam quasi lucis aeternae* conspicitur (v. *Lanzi Stor. della Pittura*).

Quaer. 19.° An *Cephas*, quem redarguit Paullus (Gal. II. 11.) fuerit Petrus?

Resp. Cephas, quem Paullus redarguit, quia in specie simulabat necessitatem legalium, non Petrus, sed unus fuit ex discipulis Christi juxta Clementem Alexandrinum aliosque, quibus id placet, tum ut salvent Petri sanctitatem, tum Paulli erga illum obsequium. At non satis solido id inniti fundamento, nihilque dignitati Petri derogari ex errore Petri, quicum-

que ille fuerit, nec non ex fraterna correctione Paulli, ostendit fuse Calmet (*Dissertat. in Epist. Paulli*): conf. *Dissertat.* Fr. Ant. Zachariae de *Cepha*.

Quaer. 20.° Quomodo explicandum illud Iudae vers. 9. *Archangelus cum diabolo disputans* etc.?

Resp. Iudas id accepit ex traditione majorum, vel ex divina revelatione, vel, ut visum est Origeni, ex libris Apocryphis, puta ex libro Enoch; est tamen certissimum cum Epistola Iudae canonica sit. Ceterum opinio Origenis minus probanda videtur vel ea de ratione, quod Liber Enoch Apocryphus scriptus post Evangelii promulgationem appareat. Materia quaestionis juxta probabiliorem sententiam in hoc erat, quod Diabolus volebat cognitum sepulcrum Moysis, Michael incognitum, ne Hebraei idololatrarent. Michael autem non est ausus *judicium inferre blasphemiae*, id est Deo reliquit *judicare* et *maledicere*.

Quaer. 21.° Quomodo explicanda in Breviario 8.° *lect. in Comm. Martyr.* 2. *loco*: *Beati Pauperes* etc.?

Resp. Vult. S. Ambrosius rationem ostendere cur Lucas quatuor beatitudines, octo vero Matthaeus recenseat. Rationem porro affert duplicem, literalem unam, mysticam alteram. Literalis haec est: Lucas *in suis quatuor* complecitur totum id, quod Matthaeus distinctius explicat *in suis octo* (1). Ergo ambo in idem consonant. Mystica haec est. Lucas sectatus est numerum *quaternarium*, cum idem sit numerus virtutum cardinalium, quae relationem habent ad quatuor beatitudines a Luca designatas. Matthaeus sectari voluit numerum *octonarium* ob peculiare mysterium, quod in numero *octo* continetur. Quodnam hoc est? Numerus 8. indicat aeternam beatitatem, quae post septem hujus mundi aetates consequitur, aut hebdomadem ipsius mundi: qua de caussa David in aliquibus Psalmis, ubi de aeterna felicitate fit sermo, titulum apposuit: *pro octava.* Per *octavam* autem *beatam Resurrectionem* intelligi, frequenti PP. Graecorum, Latinorumque testimonio constat, atque ipsius Ambrosii verbis (*in Luc. l. VI. c.* 9.): *Octava enim die facta est Resurrectio. Octava* haec vero sive aeterna felicitas perfectio est, et complementum spei nostrae. Congruum ergo erat, ut perfectio et summa virtutum seu beatitudinum, quae ad aeternum illud praemium ducent, *octonario* comprehenderetur. Ideo (argumentatur semper Ambrosius) quando Scriptura (Eccle. XI. 2.) ait: *da partem . . . . octo*: fortasse

(1) Breviaria plerumque habent: *mysticum numerum reseravit*: sed, ut observant editt. Maurin.. omnes propemodum Mss. habent *reservavit*, idest *servavit*, *observavit*.

exhortari nos vult, ut participes nos reddamur *octo* beatitudinum, ut beati tandem in caelo esse possimus. Adverbium *fortasse* addit, ut indicet hujus loci, qui ad litteram de eleemosyna est, se mysticum sensum proferre.

Quaer. 22.° Quo sensu dicatur in Breviario 1. Maj. de Iacobo, qui *frater Domini* appellatus est, lect. V. *Huic uni licebat ingredi in Sancta Sanctorum?*

Resp. Privilegium hoc, quod Hieronymus (*Catal. Script. Eccles.*), Ephiphanius, Eusebius aliique narrant Iacobi, contrarium videtur legi (Lev. XI. Hebr. IX.), cujus zelantissimi erant Hebraei, per quam ingredi *Sancta Sanctorum* licebat solum Summo Pontifici semel in anno, idest *festo Expiationis*. Hinc nonnulli negant illius privilegii veritatem, alii mitius agentes in diversas abeunt explicationes. Dicunt nempe, vel legem illam respexisse solum ingressum solemnem, vel Iacobum ingressum esse solo necessitatis casu urgentis, ut si fulmen cecidisset si violatum quid esset, aut simile; vel Romanos id concessisse Iacobo in odium Iudaeorum; vel tandem Iudaeos ipsos demiratos sanctitatem, ac sapientiam Iacobi Hierosolymae Episcopi, pertaesos etiam forte Ananiae eorum Pontificis, aliorumque Pontificum, qui saepe simoniaci, saepe intrusi erant, id sponte dedisse Iacobo, qui quoadusque licuit Mosaicam coluit legem.

Factum hoc testimonio Hegesippi nititur, quem secuti sunt Hieronymus, Eusebius, Epiphanius, aliiqui. Porro Petavius (*animadv. ad Epiphan.*) observat, non in ipsum *Sanctum Sanctorum* aditum concessum Iacobo juxta Hegesippum, sed tantum εἰς τὰ ἅγια, *in Sancta*. Idem fatetur, addidisse Epiphanium, et Hieronymum, τῶν ἁγίων, *Sanctorum;* sed contendit, ab illis scriptoribus per *Sanctum Sanctorum* non aliam partem Templi intellectam, quam quae *Sanctum* dicebatur (conf. *Lamy de Templo* col. 1054-1056. *Vid. nostram Antilog.* 24.).

Quaer. 23.° Quomodo Ecclesia in Canone Missae verba illa *Elevatis oculis in Caelum* apponere potuit, cum apud nullum ex Evangelistis legantur?

Resp. Afferendo verba S. Petri Damiani in *Expositione Canonis Missae*, edita nuper a cl. Angelo Mai (*Script. Vatic. T. VI. p.* 212.). *Sane istam formam ab ipso Christo acceperunt Apostoli, et ab ipsis Ecclesia. Multa quidem tam de verbis, quam de factis praetermiserunt Evangelistae, quae tamen Apostoli suppleverunt. Possunt tamen haec ex aliis locis Evangelii comprobari. Iohannes enim Lazari suscitationem describens, testatur quod Iesus ELEVATIS SURSUM OCULIS dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Item*

alibi: ET SUBLEVATIS IN CAELUM OCULIS, dixit: Pater, clarifica Filium tuum. Sed sicut in Caelum oculos levavit ad Patrem, cum animam Lazari revocaret ad corpus; quanto magis credendum est, quod tunc oculos ad Patrem in Caelum levaverit, cum panem et vinum in Corpus proprium commutabat? De hisce, aliisque verbis, quae in Evangelistarum scriptis desiderantur, atque Canoni Missae ex Traditione Apostolica addidit Ecclesia, vid. Benedict. XIV. Pont. Max. (*de Sacrif. Missae l. II. c.* 12.).

Quaer. 24.° Quid significat *sum Alpha* et *Omega* pluries in Apocalypsi adhibitum?

Resp. Significat quod Cap. I. vers. 8. additur *principium* et *finis*, atque *Divinitatem Christi Iesu* demonstrat: sequitur enim, *dicit Dominus Deus qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens* (*conf. Apoc. XXI.* 6. *XXII.* 13.). Primi autem Christiani hanc fidem suam demonstrarunt litteras illas A et Ω monogrammati *Christi* ☧ adstituentes in epitaphiis et sacris picturis (v. *Buonarroti*, Boldetti, aliosque).

EXERCITATIO XVIII.

De quibusdam Antilogiis, quae comparanti inter se varia Scripturae loca facile occurrunt.

Antilogia 1. *Facta est lux: divisit* (Deus) *lucem a tenebris.* Haec patravit Deus prima die, ut ex versibus 3. 4. capitis primi Genes. Sed: *fecit Deus luminare majus, ut praeesset diei et luminare minus, ut praeesset nocti, et ut dividerent lucem ac tenebras.* Haec porro quarta die ut ex Gen. I. 16. etc.

Solutio. Distinguendum est inter sententias de natura lucis. Si lux est corpus, quod lucida effluvia emittat, Deus creavit lucis massam prima die, quam die quarta divisit, et compegit in Solem, stellas etc. Si lux, ut recentioribus placet, consistit in motu, motum hunc extraordinario modo supplevit Deus primo triduo; deinde quarta die stabilia formavit corpora, quae motum illum producerent in perpetuum. Vid. Nicolai (*Lezione VI. sulla Genesi.*).

Antil. 2. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ita locutus est Deus creando hominem (Gen. I. 26.).

Sed: *Quam imaginem ponetis* Deo? ait Isaias (XL. 18.).

Solutio. Isaias redarguit idololatras, qui res materiales uti divinitates colebant, sicque Deum creaturis prorsus similem effingebant; minime vero negat in homine, ac praesertim in anima ejus, similitudinem aliquam attributorum Divinitatis, ut explicant Theologi ac Interpretes.

Antilog. 3. *Crescite et multiplicamini et replete terram* (Gen. I. 28.): *Non est bonum hominem esse solum* (Gen. II. 18.).

Sed: *Non expedit nubere* (Matth. XIX. 10.). *Bonum est homini sic esse... Beatior erit si sic permanserit* (1. Cor. VII.)

Variae autem afferuntur solutiones: 1.° in locis Genesis datur hominibus faecunditas, uti caeteris animantibus; in aliis consilium datur abstinentiae: quomodo alibi dedit Deus dominium in omnia homini creato, et postea, in Evangelio scilicet, abdicatio dominii sive paupertas commendatur: 2.° in illis locis fit sermo de tota specie: in aliis de singulis; 3.° in illis alluditur ad statum innocentiae, in quo homines innocentes nascebantur, et statim per gratiam sancti fiebant, beatitudine quadam in hac vita fruebantur, perfecta vero in caelo fere omnes; in his consideratur status naturae corruptae; 4.° in illis fit sermo de specie humana nondum formata sive multiplicata; in his cum ubique, et multum sit aucta.

Antil. 4. *Complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere.* (Gen. II. 2.)

Sed: *Pater meus usque modo operatur.* (Ioan. V. 17.)

Solutio. Post septimum creationis diem nullas rerum species novas Deus produxit; at conservat omnia, providet, nova individua, animas praesertim humanas, jugiter producit. Praeterea gratiam, ac caetera dona supernaturalia in hominibus infundit.

Antil. 5. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* (Gen. II. 17.).

Sed: *Omne tempus, quod supervixit Adam, anni nongenti triginta sunt* (Gen. V. 5.).

Solutio. Revera statim ac pomum gustavit Adam mortuus est morte animae; corporis etiam morte, quod ad debitum, et necessitatem; imo statim mori incepit sublatis mortis antidotis.

Antil. 6. *Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Iacob in Aegyptum, et egressae sunt de femore illius absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex* (Gen. XLVI. 26.).

Sed: Eaedem animae dicuntur *septuaginta* ibid. v. 27., et *septuaginta quinque* Actor. VII. 14. idemque in Versione τῶν LXX. loco cit. Gen.

Solutio. Cunctae animae, quae ingressae sunt in Aegyptum fuerunt 66. excluso Iacobo omnium parente, Iosepho et filiis ejus, qui jam in Aegypto erant. Hisce vero additis, fiunt 70. Rursus evadunt 75. si addantur: Machir filius Manassis, et Galaad filius Machir; duo filii Ephraim Sutalaam, Iaam, et Edem filius Sutalaam. Adduntur autem in Versione τῶν LXX.

et in Actibus isti quinque, qui erant nepotes Ioseph quia in gratiam Ioseph, Ephraim et Manasses illius filii primogenitorum jura obtinuerunt, et tribus constituerunt omnium honoratissimas una cum Iuda et Benjamin. Illi porro quinque nati sunt vivente Iosepho, ut ex Gen. L. 22. ac de iis mentio partim in Num. XXVI. partim 1. Paralip. VII. Posset etiam res sic conciliari. Animae in Aegyptum ingressae erant 66 inclusis etiam Iacob et Ioseph, sed exclusis Ephraim et Monasse, qui, utpote generati in Aegypto, illuc nunquam fuerunt ingressi. Additis vero Ephraim et Manasse, fit numerus 68. qui dici potest 70. more Hebraeorum, qui gaudebant numero rotundo neglectis fractionibus. Porro demptis Ephraim et Manasse, Iacobo et Iosepho, additis uxoribus filiorum Iacob, excepta uxore Iosephi Aegyptia fit numerus 75. nem 64 + 12 — 1 = 75. Et revera versiculis 6, 7, 8. cap. XLVI. Genesis dicitur ibidem fieri enumerationem filiorum. Versiculo vero 14. cap. VII. *Actuum Apostol.*, sermo habetur de omni cognatione Iacob.

Antil. 7. *Nomen meum Adonai non indicavi Abrahamo, Isaaco et Iacobo* (Exod. VI. 3.).

Sed: in Genesi ubique Deus vocatur *Adonai*.

Solutio. Nomen, de quo Exodus, in textu Hebr. est tetragrammaton יהוה (*Iehovàh*) exprimens veram Dei essentiam. Porro volunt plures primo fuisse Moysi indicatum; antea Deum nominasse sese aliis nominibus, ut אֲדֹנָי *Adonài*, אֱלֹהִים *Elohim* ac similibus aequivalentibus *Domino*, Κυρίῳ (Kyrio) etc. Moyses vero, qui Genesim conscripsit, cognito novo nomine, hoc adhibuit προληπτικῶς etiam loquens de anterioribus Patriarchis, uti urbibus *Bala* et *Lais* dedit nomina recentius indita *Segor* et *Dan*. Soucietus tribus de hoc *Dissertationibus* contendit sensum textus fere esse: *non illustris factus sum, non sum glorificatus nomine meo antiquis, quemadmodum tecum, o Moyses*. Clar. Drach existimat nomen quidem *Iehovàh* notum fuisse ipsis Patriarchis; mysterium vero illius nominis, quod veram Dei essentiam indicat, Moysi revelatum (*Lettre II.*, *p.* 54.).

Antil. 8. *Constitui te Deum Pharaonis*, (Exod. VII. 1.)

Sed: *Tu es Deus solus regum omnium terrae* (4. Reg. XIX. 15.).

Solutio. Deus quidem solus est Deus regum, sive natura, sive unione hypostatica; sed Moyses *Pharaonis Deus* dici potuit participatione potestatis divinae. Obiter notandum in loco Exodi adhiberi nomen *Elohim* (1) non *Iehovàh*. Notandum etiam

(1) Nomen אֱלֹהַּ plur. אֱלֹהִים deductum videtur a radice אָלַהּ,

nomen Dei absolute solum dari Deo; creaturis vero aliquid adjungitur, ut hoc loco: Deum *Pharaonis;* sic Psalm. LXXXI. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat;* sic 2. *Cor.* IV. 4. *Deus hujus saeculi*, de Diabolo.

Antil. 9. *Ventus urens levavit locustas.... innumerabiles quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futurae sunt* (Exod. X. 13. etc.).

Sed tempore Ioelis scriptum est: *Si factum est istud in diebus patrum vestrorum..... Residuum erucae comedit locusta, et residuum locustae comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo* (Ioel I. 2. 4.).

Solutio. Calmet *in Exod.* notat esse illam phrasim hyperbolicam ab hagiographis adhibitam ad significandam rem raram, et terribilem. At hoc ommisso notandum, Exodum loqui de locustis realibus; Ioelem metaphorice sumere locustas pro Regibus Iudaeam vastantibus, uti ex vers. 6. explicat se Ioel. *Gens enim ascendit super terram meam fortis et innumerabilis*, etc.

Antil. 10. *Tollet unusquisque* (paterfamilia) *agnum per familias et domus suas, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* etc. (Exod. XII. 3. 6.).

Sed de solis Sacerdotibus, atque Levitis dicitur quod: *purificati fuerint ad immolandum pascha universis filiis transmigrationis* (2. Paral. XXX. 17. 1. Esdr. VI. 20.).

Solutio. Sacrificium agni paschalis complebatur a patribusfamilias, cum illud fuerit institutum ante creationem Sacerdotum, et cum numero sacrificiorum complendorum in universis familiis non suffecissent Levitae omnes, ac Sacerdotes. Hinc etiam post legem Mosaicam ritus hic quod ad agnum paschalem fuit servatus communiori Interpretum sententia. Quare quod libris Paralip. et Esdr. dicitur, explicatur de aliis victimis sacrificandis in diebus solemnitatis paschalis; vel ad summum juxta Calmet (in loc. cit. *Paral.*) de actu excipiendi, et effundendi super altare sanguinem, quod reservatum creditur Sacerdotibus in omnibus sacrificiis.

Antil. 11. *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto fuit quadringentorum triginta annorum* (Exod. XII. 40.).

Sed calculo juxta tabulas chronologicas inito, vix mediam partem illius temporis habitaverunt Hebraei in Aegypto.

Solutio. Initium horum annorum inchoandum non a de-

quae Hebraeis est *Iuravit*, Arabibus *Coluit*; adeo ut idem sit ac *Colendus*, *cultus*; unde patet, qua ratione de creaturis interdum usurpari potuerit.

scensu Iacob in Aegyptum, sed ab initio peregrinationis Abrahae, sive ab ipsius vocatione. Reipsa legitur (Gen. XV. 13.) dictum ad Abraham dum Isaac promittitur: *Scito praenoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis.* Ab hac praedictione usque ad Isaac ablactatum fluxerunt anni 30.; inde ad egressum ex Aegypto anni 400, ac simul 430. Patet hoc ex tabulis chronologicis, et ex *Chronico* Tirini. Confirmatur hoc Versione τῶν LXX. ubi legitur: *Habitatio autem filiorum Israel, quam habitaverunt in Aegypto ipsi et patres eorum, et in terra Chanaam anni quadringenti triginta.* Alii, ut P. Granelli, et Nicolaus Abramus, habitationem Hebraeorum in Aegypto fuisse revera annorum CCCCXXX tuentur ex loco Exodi, ubi historice res narratur; habitationem vero ipsam annorum CCCC praedictam Abrahae per numerum plenum seu rotundum, minori scilicet numero non computato.

Antil. 12. *Nox ista est observabilis Domino, quando eduxit eos de terra Aegypti* (Exod. XII. 42.).

Sed ibid. v. 52. dicuntur Iudaei educti *die*. Deut. XVI. 6. *vespere*.

Solutio. Illud *quando* late sumendum est, atque indicat tempus, quo peregrinatio inchoata *vespere*, fuerit deinde continuata *nocte* et mane *diei* insequentis.

Antil. 13. *Erat nubes tenebrosa* (Exod. XIV. 20.).

Sed ibidem nubes illa dicitur *illuminans noctem.*

Solutio. Communiter creditur nubem eamdem qua parte respiciebat Iudaeos *illuminasse*, qua respiciebat Aegyptios *tenebrosam* fuisse. Cohaerenter ad hoc vertit Chaldaeus: *erat nubes et obscuritas Aegyptiis; Israeli autem erat lux tota nocte.* Addit Calmet hunc sensum: *nubes per diem opaca, nocte illucescebat.*

Antil. 14. Exod. XIX. 12. dicitur: *cavete ne ascendatis in montem.*

Sed ibid. XXIV. 9. *Ascenderuntque Moyses et Aaron, Nadab et Abiu et septuaginta de senioribus Israel et viderunt Deum Israel.*

Solutio. In primis quod Aaron cum aliis ascenderent montem, ex Dei ipsius praecepto erat, ut ex vers. 1. cap. XXIV. unde cum illis dispensatum fuisse dicendum est. Praeterea ex contextu capitis XXIV. apparet Aaron cum aliis ascendisse quidem montem ultra terminos plebi constitutos, sed solum Moysem perrexisse ad verticem.

Antil. 15. *Ego Dominus visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum* (Exod. XX. 5.).

Sed: *Filius non portabit iniquitatem patris* (Exech. XVIII. 20.).

Solutio. Sunt de hoc variae Patrum sententiae, omnesque probabiles. 1.° Deus punit filios quando isti parentum imitantur iniquitatem. 2.° Deus ut affligat malos parentes, malum dat filiis, non uti poenam pro ipsis, sed uti virtutis exercitium, et vehiculum ad gloriam. Ita perierunt filii Achan, et filius Davidis ex adulterio. 3.° Deus patienter differt punire; at tandem tertiam et quartam malam generationem castigat. 4.° Deus in poenam delicti universalis totius populi poenam aliquando dat universalem, involventem etiam filios innocentes: ita aliqui sancti homines uti Tobias, Daniel, Baruch etc. experti sunt captivitatem ob scelus populi. At aliter se gerere testatur Deus pro delictis personalibus. Plura Calmet, aliique Commentatores.

Antil. 16. *Erit* (qui libertatis jure renunciavit) *ei servus in saeculum* (Exod. XXI. 6.).

Sed: *Anno Iubilaei egredietur*, liber scilicet (Levit. XXV. 54.)

Solutio. Cum Hieronymo (*cap*. 1. *ad Gal*.) communiter respondetur illud *in saeculum*, non indicare perpetuam durationem, sed saeculum Iubilaei, idest spatium 50. annorum, ut alibi vox *aeternum* indicat in genere longam durationem, uti de pacto Circumcisionis.

Antil. 17. *Moyses tollens Tabernaculum tetendit extra castra procul* (Exod. XXXIII. 7.).

Sed solum post aliquod tempus legitur Tabernaculum fuisse erectum (Exod. XL. 15.).

Solutio. Tabernaculum, de quo Exod. XXXIII. non erat Tabernaculum foederis postea erectum, sed vel Tentorium peculiare Moysis, vel aliud commune, in quo tunc coetus Seniorum haberentur.

Antil. 18. *Non videbit me homo et vivet* (Exod. XXXIII. 20.). Idem etiam Ioan. I. 18. *Deum nemo vidit unquam*.

Sed Num. XII. 8. de Moyse dicitur quod *non per.... figuras Dominum videt*: et Exod. XXXIII. 11. *facie ad faciem*. Itemque Exod. XXIV. 9. de Aaron aliisque montem ascendentibus: *viderunt Dominum*.

Solutio. Nemo quidem in hac vita (excepto Christo) Deum vidit intuitive sive ejus essentiam, ut primi textus probant, et communior fert Theologorum sententia. At Deum videre possunt, et reipsa viderunt, Moyses aliique in specie aliqua sensibili, quam alii dicunt nubem lucidam cum majestate Dei latente; alii humanam formam, cujusmodi esset principis gloriosi. Et sane Moyses Exod. XXXIII. 18. solum petit: *ostende mihi gloriam tuam*. In versionibus vero Chaldaica, et ὧν τ LXX. pro *videre Deum* in locis ubi dicitur Deus visus,

adhibentur hae vel similes phrases: *videre gloriam Dei, videre locum ubi stetit Deus:* pro *facie ad faciem: verbum ad verbum, praesens praesenti.* Deut. V. 4. Dicitur Deus locutus cum universo populo *facie ad faciem.* Addimus autem in fine non omnino improbabilem aliquorum Theologorum esse opinionem, qui putant, *ordinarie* quidem neminem in hac vita Deum intuitive videre, at per privilegium id Moysi aliisque paucis fuisse *extraordinarie* concessum. De hoc consule Theologos.

Antil. 19. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum.... nec uxorem de filiabus earum accipies filiis tuis* (Exod. XXXIV. 15. 16.).

Sed Deut. XXI. 11. permittitur ut e captis in bello uxor ducatur; et Deut. XX. 10. pacem prius imperat Deus quam civitatem expugnari.

Solutio. Notandum expressam prohibitionem matrimonium ineundi cum filiabus Gentilium restringi Deut. VII. ad illas gentes, quae terram Chanaan occupabant, quaeque penitus exscindendae erant. At cum lex haec extenderetur etiam ad omnes gentiles per legis extensionem, ut in *Institution.* (*p.* 2. *Diss.* 1. *c.* 5. *a.* 1.) diximus, hinc antilogiam solvimus potius hoc pacto: matrimonium iniri poterat, si mulier gentilis, idololatria abjecta, proselyta fieret Haebraeorum. Et revera ibidem nempe Deut. XXI. 12. dicitur radendam prius esse mulieri caesariem, aliasque caeremonias implendas. Quod ad pacem cum hostibus animadvertendum, gentes, quae occupabant terram Chanaan ab Hebraeis possidendam, omnino perdendas esse, ut ex Exod. XXXIV. 15.; et Deut. XX. 16. At non ita de civitatibus extra Chanaan, de quibus Deut. XX. 10. loqui colligitur ex vers. 15.

Antil. 20. Qui fecerit opus in Sabato *occidetur.* Exod. XXXV. 2.

Sed Matth. XII. 5. *Sabatis Sacerdotes in Templo Sabatum violant, et sine crimine sunt;* et vers. 11. *si ceciderit* (ovis) *Sabatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam?*

Solutio. Christus apud Matthaeum probat licere Sabato spicas vellere, curare aegros, cum liceat Sacerdotibus Sabato jugulare victimas, aliaque in sacrificiis peragere, similiterque ovem e fovea educere, quae licet materialiter Sabatum violent evadunt tamen licita vel ob divinum cultum, vel ob necessitatem.

Antil. 21. *Fecit arcam habentem duos semis cubitos in longitudine* (Exod. XXXVII. 1.).

Sed Exod. XXV. 10. *Arcam.... compingite, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos.*

Solutio. Primus locus ita explicandus est: *duos et semis*

cubitos. Et revera in textu Hebraico utroque in loco eadem est lectio, *cubitos duos et semis* אַמָּתַיִם וָחֵצִי. Conjunctionem *ET* ommisit Hieronymus in versione, usum Latinorum sequens, qui ipsam saepe ommittebant simili in casu ex. gr. Pallad. II. 13. *Duobus semis pedibus pastinetur*, hoc est *alte duos pedes et semissem* (v. Forcellini v. *Semis.*). Ita nedum ex alio loco citato, sed et ex vers. 6. capitis ejusdem, in quo propitiatorium, quod ipsius ac Arca erat longitudinis, dicitur *duorum cubitorum et dimidii in longitudine.*

Antil. 22. *Contra coronam* mensae posuit Beselcel quatuor circulos aureos (Exod. XXXVII. 13. 14.).

Sed Exod. XXV. 27. *Subter coronam erunt circuli aurei.*

Solutio. Tò *contra coronam* explicari debet subter coronam; hocque nedum ex alio cit. loco, sed et ex vers. 27. ejusdem cap. in quo dicuntur circuli positi: *sub corona.* Reipsa hebraice legitur *e regione coronae* לְעֻמַּת. Latine vero τὸ *contra* saepe significat *e regione*, *ex adverso.*

Antil. 23. *Anima cum obtulerit oblationem sacrificii, Domino, simila erit ejus oblatio.* Levit. II. 1.

Sed multae aliae hostiae, et diversae praescribuntur. Lev. III. etc.

Solutio. Nomine *sacrificii* hebr. מִנְחָה, de quo primo loco, non intelligitur sacrificium in genere, pro quo, eodem etiam capite, aliae hostiae praescribuntur; sed sacrificii species ex inanimatis, quae hebraice dicitur *Minchàh*, quaeque antonomastice passim in Levitico vertitur *sacrificium;* quia caetera peculiaria nomina habebant, id est: *holocaustum*, *pacificum*, *pro peccato*, atque figura erat illius *oblationis* (hebr. מִנְחָה) *mundae*, quam Malachias (1. 11.) praedixit offerendam Deo in omni loco (conf. *Drach, Lettre* I. p. 69-70.), idest *Sacrificii Eucharistici.*

Antil. 24. Varia appellantur *Sancta Sanctorum*, et omnibus Sacerdotibus aperta. Lev. II. 3. 10. VI. 17. 25. Exod. XXX. 10.

Sed soli Pontifici ingressus ad Sancta Sanctorum permittitur semel in anno (Lev. XVI. 2. Hebr. IX. 7.).

Solutio. Aequivocum est hoc nomen: *Sancta Sanctorum.* Praecipue quidem, et magis proprie dicebantur *Sancta Sanctorum* interior tabernaculi pars, et si sumantur hoc sensu, soli Pontifici permittitur locum illum ingredi. At (analogice fortasse) *Sancta Sanctorum* appellata sunt sacrificia, quae comedi a solis Sacerdotibus poterant, solumque in atrio sancto; ut Lev. II. et VI.; aliquando vasa Deo consecrata, ut Exod. XXXX.

11., aliquando forte alia queque ad sanctitatem specialem relationem habentia.

Antil. 25. *Homo si occiderit bovem aut ovem.... et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit.* (Lev. XVII. 3. etc.).

Sed Samuel sacrificavit in Masphat (1. Reg. VII.); Elias in Carmelo (4. Reg. XVIII.) et alii in *Excelsis* (3. Reg. III.).

Solutio. Statuerat Deus (Lev. XXII.) ne alibi quam in loco sacro fieret sacrificium, 1.° ne laici in sacrificia intromitterentur; 2.° ne idololatriae pateret aditus, juxta quam sacrificia fiebant *in* locis *excelsis.* At ablatis hisce periculis, sive cessata caussa, putant Interpretes cum Augustino id fuisse permissum accedente praesertim Dei inspiratione, quae facile supponitur in Samuele, Elia, aliisque indicatis.

Antil. 26. *Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.* (Lev. XIX. 19.).

Sed undenam tanta mulorum copia in Judaea ut omnes filii Regis ascenderint *singuli mulas suas?* (2. Reg. XIII.).

Solutio. Prohibuerat Deus (Lev. XIX.) coitum diversae speciei ut horror insinuaretur vitiorum contra naturam, et mystice ut Gentilium societas fugienda demonstraretur. Nihilominus copia mulorum suppetebat, eorum nempe, qui casu geniti erant, vel qui aliunde erant adducti, ut conjicitur ex 3. Reg. X. 28. Ezech. XXVII. 14.

Antil. 27. *Non radetis barbam* Lev. XIX. 27., nec non XXI. 5. et Ezech. XLIV. 20.

Sed radere barbam praecipitur Lev. XIV. 9. Num. VIII. 7. ut multos fecisse colligitur ex Ierem. XXXXI. 5. et ex aliis locis.

Solutio. Radere barbam vetuerat Deus Hebraeis, ut discriminarentur, et abhorrerent a ritu gentilium, nempe consecrandi Diis lanuginem barbae, uti cincinnos comae, quam tondere pariter prohibet Deus. Horum gentilium rituum mentio habetur apud Homerum, Lucianum, Suetonium. Vide Calmet in XIX. Lev. Hoc tamen intelligebatur de rasura juxta morem Gentilium, quam prohibitionem servant nunc etiam Hebraei. Non ergo illicita quaevis barbae tonsio, de qua loquuntur alia loca. In textu hebr. Levit. est פְּאַת זְקָנֶךָ, idest non rades *angulum* seu *angulos barbae tuae*, quibus barba cum coma capitis concurrit; quia genus Arabum hac rasura *angulorum barbae* et capillorum se Baccho devovebant (v. *Herodot.* III., 8. *Ierem.* IX., 26.).

Antil. 28. *De manu alienigenae non offeretis panes Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerit.* (Lev. XXII. 25.).

Sed Rex Persarum Darius (1. Esdr. VI. 9.), Seleucus

Rex Asiae (2. Mach. III. 3.) de redditibus suis praestabant necessaria ad sacrificia.

Solutio. Cum Tostato, et Cajetano communiter Interpretes nomine *panis* hebr. לֶחֶם (Lev. XXII.) intelligunt victimam ipsam in specie, quam nefas erat e Gentilibus immediate accipere. Accipere tamen poterant pecuniam, quam commutarent in victimas, uti receperunt a Dario, a Seleuco, et ab aliis etiam teste Iosepho (*lib.* 2. *de Bello cap.* 17.).

Antil. 29. Quae anno Sabatico e terra nascebantur, colligi prohibebantur Lev. XXV. 5.

Sed versu insequenti in cibum ea permittuntur omnibus.

Solutio. Prohibetur vindemiam fieri, aliamve fructuum collectionem ut caeteris annis, in quibus terrae fructus congregabantur a domino fundi. Quae nascebantur ex deciduis seminibus communia erant domino simul ac caeteris hominibus simul ac bestiis, et hoc sensu pro cibo permittuntur.

Antil. 30. Anno Iubilaei possessiones redire debebant ad dominos suos. (Lev. XXV. 13.).

Sed possessiones votae, et consecratae Domino neque anno jubilari redimi poterant. (Lev. XXVII. 20.).

Solutio. Etiam agri Deo devoti statis conditionibus redimi poterant. Huic juri renuntians herus, res anno quoque jubilari manebat Domino consecrata. Totum hoc patet ex Lev. XXVII. 17. Ad summum hoc est admittere exceptionem legi generali, et quidem rationabiliter, ait Calmet. Nam reditus possessionum statutus erat ut homines in se solummodo usum fructuum cognoscerent, dominium vero ad Deum referrent. Hac ratione res Deo devota irrevocabiliter esse poterat.

Antil. 31. Titulorum, et lapidum erectio vetatur ob idololatriae periculum (Lev. XXVI. 1.).

Sed Iacob (Gen. XXVIII. 18.) Moyses (Exod. XXIV. 4.) Iosue (IV.) Simon Machabaeus (1. Mach. XIII. 27.) titulos vel lapides erexerunt impune.

Solutio. Praecepti vetantis titulos et lapides rationem addit textus nempe, ne adoraretur idolum more Gentilium. At Iacob, Iosue aliique a Scriptura commendati lapides vel titulos erexerunt vel tamquam historica monumenta nil sacrum habentia, vel ut Dei largitionis insignia. Ceterum verba *insignem lapidem* respondent hebr. אֶבֶן מַשְׂכִּית, *lapidem sculptum*, *pictum*. Aliqui putant indicari *Hieroglyphicam Scripturam* lapidibus incisam, quae ex maturo abusu occasionem dederit idololatriae (Ackerm. N. 85. *Arch.*). Vocabulum ipsum lat. *insignis* valet quoque *signis*, *figuris distinctum*.

Antil. 32. Numerus Hebraeorum statuitur 603,550. exclusis Levitis. (Num. 1. 46.).

Sed etiam non exclusis Levitis idem numerus habetur Exod. XXXVIII. 25.

Solutio. Numerati non sunt Levitae neque in censu descripto Exodi; nam ibidem numerantur armati. Levitae autem neque militiae, neque aliis politicis officiis obligabantur, et hinc a censu erant exclusi. Idem porro ex utroque censu numerus resultat, ait Calmet (in Num. I.) sive quia nemo decesserat, sive quia decedentium locum implerent grandiores aetate effecti, sive quia parvum discrimen, et fractiones saepe negligerentur.

Antil. 33. Levitarum dicitur fuisse officium agere excubias in Tabernaculo (Num. III. 25. 28.).

Sed solis sacerdotibus permittitur ingredi Tabernaculum, in eoque servire (Ibid. III. 10. et IV. 5. et Exod. XL. 12.).

Solutio. Excubias agere in Tabernaculo, quod officium Levitarum esset, intelligitur pro custodia exteriori, proque Tabernaculi rebus curandis, idque praesertim in deportatione illius.

Antil. 34. Ait Moyses Num. XI. 14. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum.*

Sed jampridem (Exod. XVIII. 25.) consilio Iethro ipse Moyses constituerat *tribunos, centuriones, quinquagenarios et decanos.*

Respondet Tirinus adjutores pridem electos Moysem adjuvasse solum in civili administratione, unde posteà 70. electos Deus donat Moysis spiritu. Respondet Calmet quod licet a primis illis juvaretur Moyses, adhuc tamen in illum recidebant difficiliora, odiosa, et invidia populi.

Antil. 35. Uxor Moysis dicitur *Aethiopissa* Num. XII. 1.

Sed eadem Madianitis ex Arabia dicitur Exod. II. 16.

Solutio. De regione Madian, ex qua uxor Moysis plura apud Calmet in Exod. II. 15. Nos breviter ex Tirino duplicem distinguimus Aethiopiam. Unam occidentalem in Africa ultra Aegyptum sub Zona torrida; alteram orientalem, Arabiam dictam, vel Arabiae partem complectentem Madianitas. Primae nunc imperat *Praesto Ioannes.* In textu Hebr. uxor Moysis dicitur הַכֻּשִׁית *Hakkuscith*, idest e regione *Kusc*, sive *Chus* in Arabia, quam $\overline{\text{LXX}}$ pariter vertunt *Aethiopia* (v. *Nicolai, Lez. II. sull' Esodo*).

Antil. 36. Dominus ait juxta Moysis verbum dimissum fuisse populi peccatum (Num. XIV. 20.).

Sed eodem capite versiculis insequentibus multa millia hominum referuntur occisa ob peccatum illud.

Solutio. Ex contextu eruitur petiisse Moysem solum ut populus universim non deleretur, et ut innocentes non fraudentur promissis. Hoc evenit, soli enim murmurantes poenam tulere.

Antil. 37. Terra devoravit Core, Dathan, etc. *cum tabernaculis suis et universa substantia eorum* (Num. XVI. 32.).

Sed Core pereunte filii tamen ejus non perierunt. (ibid. XXVI 11.).

Solutio. Referimus verba Calmet in XVI. Num.: *Moyses inferius (XXVI.) circumstantiam quamdam exitii Core hic ommissam supplet, nimirum cum dehiscente terra Core absorberetur, filios ejus magno sane prodigio servatos fuisse illaesos.*

Antil. 38. Ex Dei verbis ad Aaron (Num. XVIII. 8. 20.) nihil praeter primitias Levitae possidere poterant in Palaestina.

Sed Urbes, suburbana, agri et pascua assignantur Levitis (ibid. XXXV. 7.).

Solutio. Sensus loci Num. XVIII. hic est, quod Levitae non possent regionem peculiarem habere distinctam ut aliae tribus. Attamen habebant urbes pro habitatione, agros pro pascuis, ut etiam acquisita vel donatione, vel alio titulo.

Antil. 39. Dicitur Moyses non credidisse Deo, nec Deum sanctificasse. Num. XX. 12. XXVII. 14.

Sed dicitur simul Moyses fecisse quaecumque praeceperat Deus, idque pluribus Numerorum locis.

Solutio. Peccatum Moysis constituunt ut plurimum interpretes in diffidentia, qua verbis aut factis lapsus est ad *Aquas Contradictionis*, sicque Deo non attribuit gloriam, quae conveniens illi erat. Hoc tamen non impedit quominus Moyses exequutus sit exteriori opere quod Deus identidem illi praecipiebat. Ceterum non pauci cum Augustino (*contr. Faust. XVI.* 16.) Moysem et Aaronem a peccato gravi liberant.

Antil. 40. Aaron mortuus est in monte *Hor* juxta Num. XX. 25. 29.

Sed mortuus, et sepultus in *Mosera* dicitur Deut. X. 6.

Solutio. Hor et *Mosera* idem locus erant. Reipsa tamen *Hor* mons erat, sive potius ut vult Calmet montium catena. Ager vero adjacens, in quo consederunt Israelitae, *Mosera* dictus est, utpote ab urbe Mosera non distans.

Antil. 41. Phinees ex Eleazaro promittitur sacerdotium in perpetuum (Num. XXV. 13.).

Sed postea translatum sacerdotium fuit ad Heli, hujusque filios et nepotes, qui alterius erant stirpis, idest ex Ithamar. (1. Reg. II. 30.).

Solutio. 1.° Promittitur quidem Eleazaro perpetuum ad

Sacerdotium jus, non tamen perpetua Sacerdotii possessio; 2.° conditionate id promittitur, nempe si posteri in fide ac religione perseverassent; 3.° breve annorum interstitium pro nihilo reputatur, nam sacerdotium mansit in familia Heli per quinque posteros, id est Heli, Phinees, Achitob, Achias, Achimelech, et Abiathar; inde tempore Salomonis rediit ad Sadoc et familiam Eleazari, in qua mansit usque ad Christum.

Antil. 42. *Sorte* dividenda erat terra Chanaan inter Hebraeos (Num. XXVI. 55.).

Sed divisa terra dicitur *juxta numerum vocabulorum*, idest juxta nomina et capita (Num. XXVI. 53.).

Solutio. Putant Hebraei sortes miraculose fuisse a Deo ita moderatas, ut singulis tribubus portio contingeret proportionata numero vocabulorum, id est nominum et capitum uniuscujusque. Non adeo distat Tostatus putans primo per geometras divisam fuisse terram in tribus juxta harum numerum; deinde Deum confirmasse divisionem hanc dum sorte facta divisio in eamdem distributionem recideret. Communius Interpretes sortibus primum dant locum, postea volunt portiones fuisse majores vel minores effectas per geometrarum supputationem juxta numerum individuorum uniuscujusque tribus, habita ratione foecunditatis terrae.

Antil. 43. De monte *Abarim* Moyses contemplatus est terram juxta Num. XXVII. 12.

Sed de *Nebo* contemplatum Moysem fuisse terram constat ex Deut. XXXIV.

Solutio. Montes *Nebo* et *Phasga* portiones erant sive juga *Abarim*, unde *Abarim* idcirco reputatur catena montium, confinium Amorrhaeis, et Moabitis.

Antil. 44. Omnes bellatores transire debebant Iordanem. Num. XXXII. 21.

Sed solum 40,000 transisse refertur Ios. IV. 13.

Solutio. Transire debebant, et sufficiebant, quos Moyses vel Iosue designavisset. Moyses porro timore Gentium, quae ejectae erant, reliquit praesidia in iis urbibus, quae adsignatae erant tribubus Ruben, Gad, et dimidiae Manasse; quae praesidia, facta supputatione, erant 70,680. armatorum. Instaurandae quoque erant multae urbes, ut fert contextus.

Antil. 45. Fines determinantur terrae, quam Israelitae possidebant. Num. XXXIV.

Sed iisdem finibus non respondent assignati Deut. I. et Jos. XV.

Solutio. Augustinus (Quaest. 1. in Ios.) duplicem distinguit terram promissam Hebraeis, ex quo diversitas oritur finium. Una *haereditaria*, quae erat a Dan usque Bersabee, et ab in-

troitu Emath usque ad rivum Aegypti. Altera *tributaria*, protensa nempe usque ad Euphratem, quo dominium pervenit Davidis, et Salomonis. Nisi malueris hanc etiam haereditariam dici, sed cum conditione perseverantiae in cultu, et religione, quam conditionem exprimit Deus Deut. XIX. 9. Simili modo promissus fuit Hebraeis (Deut. XI. 24.) *omnis locus quem calcaverit pes eorum.*

Antil. 46. Uxores debebant eligi ex faeminis ejusdem tribus et cognationis, et mariti pariter ex eadem tribu. (Num. XXXVI. 7.).

Sed Deut. XXI. 13. permittitur uxor ex aliena gente. Et ita Salmon duxit Rahab Chananitidem (Matth. I. 5.); David filiam Saul (1. Reg. XVIII. 27.) et filiam Regis Gessur (2. Reg. III. 2.); Salomon filiam Pharaonis (3. Reg. III. 1.); Iojada filiam Ioram (2. Par. XXII. 11.)

Solutio. Praeceptum nubendi intra eamdem tribum (Num. XXXVI.) respiciebat solum faeminas haeredes, ut patet ex illis verbis; *ut haereditas permaneat in familiis.* Quare si faemina haeres non fuisset, aut haereditati renuntiasset, libera manebat. Quo sensu vero matrimonium cum gentilibus iniri posset, dictum est supra.

Antil. 47. Dixerat Dominus *transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos.* (Deut. II. 4.).

Sed *filii Edom* obstiterunt Israelitis, qui coacti sunt ab eis aufugere. (Num. XX. 18.).

Solutio. Primum quidem Idumaei transitum negarunt Hebraeis per interiora regni, ut ex Numer. loco citato. At postea transitum eisdem concesserunt saltem per extremas oras regionis, quod ex Deuter. II. 29. deducitur.

Antil. 48. *Solus Og Rex Basan restiterat de stirpe gigantum* (Deut. III. 11.).

Sed postea Caleb occidit tres filios Enach (Ios. XV. 14.), et aliorum gigantum fit mentio 2. Reg. XXI. 1. Par. XX.

Solutio. Capite Iosue XII. 4. *Og* dicitur *de reliquiis Rephaim*, qui unam ex pluribus gigantum speciebus efformabant. Ergo *Og* unicus remanserat e stirpe sua, quod non impedit quominus alterius stirpis gigantes alii adessent. Praeterea sermo habetur de regione Basanitidis, in qua solus *Og* remanserat. Quare alibi adesse poterant alii. Addit Calmet juxta hebraeum sic reddi posse sensum: *Og unus erat ex iis qui restabant ex stirpe Rephaim.*

Antil. 49. *Sion* et *Hermon* idem mons apparent ex Deut. IV. 48. et Psalm. CXXXII.

Sed *Sion* erat Hierosolymae ex Ps. LXXXVI. 1.; *Hermon* trans Iordanem ex Deut .IV. 49.

Solutio. *Sion*, de quo hoc loco Deut. diversus mons est a monte Hierosolymae. Imo et differens est nomen; nam illud scribitur per *Scin* Hebraeorum, hoc per *Tsade*.

Antil. 50. *Non cum patribus nostris* (Deus) *iniit pactum*, *sed nobiscum* (Deut. V. 3.)

Sed in Genesi (XV. 18.) dicitur Deus pepigisse foedus cum Abrabam.

Solutio. Non iniit Deus, ut explicant aliqui, solum cum Patribus nostris foedus sed et nobiscum. Aptius alii sic. Deus quidem cum Abraham pepigit foedus aliquod; at foedus respiciens legem, populum, aliaque firmata in Sina, pactum erat non cum Patriarchis, qui antea mortui erant, sed *nobiscum*. Multi enim loquebantur ex iis, qui testes fuerant legis datae in Sina. Saltem ad eumdem populum pertinebant.

Antil. 51. Divina ultio dicitur non differenda (Deut. VII. 10.).

Sed alibi dilata describitur punitio Dei, uti cum Amorrhaeis (Gen. XV. 16.), cum Manasse (4. Reg. XXIII. 26.), ut plura ommittantur.

Solutio. Sensus loci Deuteronomii juxta aliquos hic est: Solet Deus insignes peccatores punire etiam dum ipsi vivunt. Iuxta alios: Non solet Deus diu dissimulare peccata et poenam differre, quando agitur vel de suis carioribus ad eorum correptionem, vel de interitu paucorum in bonum aliorum: ut fecit in poenam murmuris Mariae; in poenam Core, Dathan et Abiron etc.

Antil. 52. Non erit apud te sterilis utriusque sexus (Deut. VII. 14.).

Sed Iosue, Daniel, et alii multi steriles fuerunt.

Solutio. Melior sententia fert illa verba continere benedictionem *tam in hominibus quam in gregibus* ut ibidem ait Scriptura, quod idem insinuatur etiam Exod. XXIII. 26. At haec benedictio totius speciei non impediebat quominus aliqua individua sterilia fuerint sive caelibis vitae amore, sive peculiari naturae impotentia, sive alia de causa.

Antil. 53. De terra Aegypti dicitur, quod *in hortorum more aquae ducerentur irriguae*. (Deut. XI. 10.).

Sed Nilus solus inundans foecundabat Aegyptum.

Solutionem exhibent haec verba Strabonis (Geogr. p. 788) *Artificium autem, quod Nilo adhibetur, tanti est, quanti industria naturam vincens. Nam cum regio naturâ multum fructum afferat, irrigata plurimum affert. Natura autem majus Nili incrementum plus terrae irrigat, sed saepe diligentia hoc consecuta est, naturâ destituente, ut tantum terrae minoribus Nili incrementis irrigaretur, quantum majoribus; idque fossarum et aggerum auxilio.*

Antil. 54. *Munda* et *immunda* comedenda dicuntur Deut. XII. 15.

Sed *immundorum* usus interdicitur Deut. XIV. 3.

Solutio. Munda et *immunda* dicebantur interdum absolute, quae nempe prohibita erant quod ad Sacrificia, et quod ad usum: interdum secundum aliquem respectum solum, ut ex. gr. quod ad sacrificia. Hinc *munda* permittuntur absolute; *immunda* vero tunc intelliguntur permissa quando secundum respectum ad sacrificia sumuntur: id est comedi ea poterant, quae non erant apta ad sacrificia, dummodo non essent aliunde *immunda*: si nempe essent tantum *maculata et debilia*.

Antil. 55. *Indigens* et *mendicus* non debebant reperiri inter Hebraeos (Deut. XV. 4.).

Sed Deut. XV. 11. dicitur: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae*, et apud Matth. XXVI. 11. *semper pauperes habetis vobiscum*.

Solutio. Multi sic explicant Deuter. locum: apud Hebraeos nulli esse debebant pauperes publici, quod non impediebat privatos. Melius plures alii sic: volebat Deus ut singuli Hebraei curarent, ne essent ulli pauperes, at hi nunquam deerant sive malitia aliorum, sive impotentia.

Antil. 56. Sententiae Pontificis et Sacerdotum *causa quaecumque* ambigua reservatur. (Deut. XVII. 8.).

Sed *solas causas ecclesiasticas* demandatas illis fuisse colligitur ex 2. Paral. XIX. 10.

Solutio. Distincti quidem fuerint judices politici ab ecclesiasticis, at cum regnum et theocraticum esset, et Rex ipse jubeatur penes se retinere librum Deuteronomii (Deut. XVII. 19.), hinc ad Synedrium summa rei in dubio spectabat, quod confirmatur etiam ex Deut. XXI. 5. et Num. XXVII. 21.

Antil. 57. *Non intrabit Eunuchus . . . . Ecclesiam Domini* (Deut. XXIII. 1.).

Sed *Eunuchis . . . . qui tenuerint foedus meum . . . . dabo eis in domo mea locum* (Is. LVI. 4.). *Vir Aethiops eunuchus . . . . venerat adorare in Ierusalem* (Act. VIII. 27.)

Vide solutionem infra n. 59.

Antil. 58. *Non ingredietur mamzer* (*hoc est de scorto natus*), *in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem* (Deut. XXIII. 2.).

Sed Iephte filius meretricis eligitur in principem (Iud. XI. 1.); filii quoque Rahab meretricis ut fratres habentur (Ios. VI. 25.).

Vide solutionem infra n. 59.

Antil. 59. Ammonitae et Moabitae excluduntur ab Ecclesia Dei (Deut. XXIII. 3.)

Sed Achior Ammonita erat (Iudith V. 5. XIV. 6.); Ruth Moabitis erat (Ruth. IV. 5.)

Solutio. Nomine Ecclesiae in allatis locis intelligendum est jus civium sive populi Israelitici, quod jus exteris dari prohibetur, si ipsi sint Eunuchi, nati de scorto, Ammonitae vel Moabitae ob eorum malitiam, unde subintelliguntur etiam exclusi pari causa omnes Chananaei. Excipi tamen ab hac lege congruum erat alienigenas, quorum praeclara fuissent merita, ut Rahab, Iephte, Achior, Ruth. Isaias autem loquitur de lege sub Christo, in qua Eunuchi, id est caelibes, ad differentiam Veteris Legis majoris sunt prae caeteris aestimationis. Ceterum vox *Eunuchus* saepe significat simpliciter *ministrum regium*, licet non sectum: et talis esse potuit *Eunuchus* ille Aethiops. (*Act. VIII.* 27.).

Antil. 60. Meretrix et scortator prohibentur (Deut. XXIII. 17.).

Sed Iephte erat filius meretricis (Iudic. XI. 1.); duae meretrices veniunt ad Salomonem (3. Reg. III. 16.).

Solutio. Aliqui putant prohiberi loco Deut. ne more Gentilium in honorem Deorum Hebraei prostituerent corpora sua. Communius interdicti putantur ibidem scortatores et meretrices publicae, publica nempe auctoritate constitutae, quaestus gratia prostituentes sese.

Antil. 61. In Deut. (XXIX. 4.) dicitur Deus non dedisse Hebraeis cor, oculos, et aures.

Sed Isai. V. 4. *Quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei?*

Solutio. Nullo modo, ait Augustinus (in loc. cit. Deut.), hoc diceret nisi ad eorum quoque culpam id pertinere intelligi vellet. Scilicet consectaria illa erant obstinationis Iudaeorum, resistentiae gratiae, subtractionis auxiliorum efficacium in poenam peccatorum. At Deus quod ad se amantissimus suorum erat.

Antil. 62. Abscondita dicuntur multa Domino Deo (Deut. XXIX. 29.). Sed infinitis propemodum locis Deum omnia cognoscere asseritur, ac praecipue Psalm. XLIII. 22. *Ipse enim novit abscondita cordis.*

Solutio. Non dicitur: *abscondita a Domino*, ait Estius, sed *abscondita, Domino Deo nostro; quae manifesta sunt, nobis* etc. Id est peccata occulta, cordis praesertim, punienda reservantur Deo; quae vero notoria sunt, debent ab hominibus puniri ut Dei indignatio vitetur. Aliter Menochius et Tirinus. Flagella, quae minatus est Deus legis transgressoribus, abscondita sint Deo, id est utinam non immittat, et sic ille non agnoscat ea futura; eadem tamen cognita sint hominibus in comminatione, ut recte vivant, illaque devitent.

Antil. 63. Mandatum Domini dicitur: *juxta te est sermo valde* (Deut. XXX. 14.).

Sed *jugum importabile* dicitur Act. XV. 10.

Solutio. Mandatum Domini *juxta te est*, quia facile intelligebatur, facile quoque implebatur supposita diligentia hominum, et Dei gratia. At lex tota Vet. Test. simul dicitur *jugum importabile*, id est difficile, tum ob multitudinem praeceptorum, tum ob Iudaeorum negligentiam, tum tandem ex gratiae abundantis defectu; nam tunc gratia fere solum dabatur adultis *ex opere operantis*, ut aiunt Scholae, deficientibus mediis ad gratiam *ex opere operato* praeter medium institutum pro delendo originali.

Antil. 64. Moyses et Iosue steterunt in Tabernaculo juxta Deut. XXXI. 14.

Sed Iosue certe (1) non erat ex Sacerdotibus, quibus solis licebat illuc ingredi.

Solutio. Stare in Tabernaculo est consistere in atrio ante ostium Tabernaculi, ubi Deus in columna nubis sese manifestabat.

Antil. 65. *Levitis* praecepit Moyses ut librum legis *in latere Arcae* reconderent (Deut. XXXI. 26.).

Sed id praeceptum *sacerdotibus* dicitur Deut. XXXI. 9., et liber non prope Arcam, sed in *gazophylacio* repertus fuit èx 4. Reg. XXII. 8.

Solutio. Nomine Levitarum Deut. XXXI. 26. intelliguntur Sacerdotes, qui cum filii Levi essent et ipsi, ut dicitur vers. 9., Levitae quandoque dicuntur. Liber vero positus in latere Arcae, erat extra arcam; nam in ea ex 3. Reg. VIII. 9. nihil aliud erat praeter duas tabulas. Unde nil mirum si in *gazophylacio* postea reconditus fuerit.

Antil. 66. Templum dicitur aedificandum inter humeros Beniamin, ut colligitur ex Deut. XXXIII. 12.

Sed in tribu Iuda aedificatum illud fuit, ut deducitur ex Ios. XV. 8., et Psalm. LXXVII. 68.

Solutio. Pars Hierosolymae superior australis, ubi erat mons Sion pertinebat quidem ad tribum Iuda: sed pars inferior septemtrionalis cum monte Moria, in quo Templum aedificatum fuit, pertinebat ad tribum Beniamin. Ita Lyranus in Gen. XXVIII. Per synecdochen porro sumitur pars pro toto aliquando, nempe Sion pro integra Ierusalem.

Antil. 67. Dan fluet de Basan (Deut. XXXIII. 22.).

(1) De Moyse vid. Calmet in Psalm. XCVIII. 6. *Moyses et Aaron in Sacerdotibus ejus.*

Sed Dan erat cis, Basan trans Iordanem (Num. XXI. 33. Ios. XIX. 40.).

Solutio. Dan erat rivulus, qui confluit cum alio dicto *Ior*, et ex *Ior-Dan* fit *Iordanes* irrigans Basan. Cis vero Iordanem erat urbs Dan, a qua nomen rivuli Dan, de quo loquitur Deut. XXXIII. 22.

Antil. 68. Moyses dicitur sepultus in Moab (Deut. XXXIV. 6.).

Sed nihil de terra Moabitarum possidendum erat (Deut. II. 9.).

Solutio. Vetuerat quidem Deus Israelitis terram illam occupare quando Moabitae illam pacifice possidebant. Sed expulsis Moabitis ab Ammorrhaeis, non id vetuit, imo jussit occupare terram, quae nomen vetus retinuit Moab.

Hoc fere modo exerceri possunt tirones quod ad plurimas alias antilogias, quae conferenti inter se loca Scripturae facile occurrunt, quasque ex singulis Scripturae libris collegit Tirinus ad calcem Commentarii sui.

Σὺν Θεῷ Τέλος.

ADDITAMENTUM

AD DISSERT. I. CAP. II. ARTIC. I. (pag. 12)

Conspectus argumentorum, quibus Authenticitas, seu Auctoritas humana Librorum Sacrorum comprobatur.

Cum Schola Polemices, cui in Institutionibus nostris haec pertractatio relinquitur, non ubique praesto sit, visum est utile argumentorum summam heic exhibere. Sit itaque.

Thesis I. Libri Novi Test. genuini sunt.

Argumenta interna. I, Quae in Libris N. T. traduntur de historia, moribus, institutis cum sacris tum civilibus Iudaeorum, unice conveniunt aetati illi, qua conscripti Libri ipsi feruntur; atque cum iis, quae de rebus ipsis aliunde constant, apprime consentiunt. II, Orationis mira simplicitas, genus dicendi, et lingua hebraico-graeca N. T. indoli, conditioni et consilio Scriptorum omnino respondent. Singuli scriptores habent phrases et vocabula, quae vel soli vel prae ceteris adhibere amant. Lingua Lucae prae reliquis pura cum Pauli comitis sui dictione saepe consentit.

Argumenta externa: I, Certa et constans traditio Ecclesiarum, quae ab Apostolis constitutae, quaeque continentem Pastorum successionem habuerunt. II, Testimonia Patrum Apostolicorum, Iustini deinde, Irenei, Theophili, Tertulliani, Origenis, Anonymi Muratoriani, aliorum, qui ad Ecclesiarum Apostolicarum traditionem provocant. III, Haeretici ipsi antiquiores et Philosophi Gentiles, qui Libros N. T. aliunde impugnarunt, eorundem genuinitatem vel inviti asseruerunt; Valentinus nempe, Marcio, Tatianus, Celsus, Porphyrius, Iulianus, aliique. IV, Libri N. T. confingi nec ab uno nec a pluribus potuerunt; atque Ecclesiis obtrudi nec viventibus Apostolis, nec post excessum ipsorum non potuissent. Exemplo sint, quae de Ioannis Ap., Serapionis, Theodoreti vigilantia in apocryphis reiiciendis, ex historia constant.

Thesis II. Libri N. T. fide, quam qui maxime, et veracitate praestant.

I, Scriptores N. T. certam et exploratam eorum, quae narrant, cognitionem habuerunt. Narrant enim quae ipsi viderunt et audierunt, aut a testibus oculatis exceperunt. Facta publica, diuturna, saepius repetita; doctrinam novam et contrariam praeiudicatis opinionibus gentis suae referunt. Iidem ad credendum minime proclives erant, atque eorum maxime intererat omnia adcurate cognoscere. II, Veritatem unice tradere in animo habuerunt. Gloriam nempe Dei in omnibus spectant,

defectus proprios candide fatentur, Magistri sui facta gloriosa breviter, opprobria vero et supplicium pluribus exponunt: gratiam et benevolentiam hominum nullatenus captant; immo insectationes et calamitates sibi exinde obventuras praevident, exspectant. Si quid mentiti essent, sese omnium miserrimos futuros esse cum in praesenti tum in futura vita noverant. III, Ipsa rerum narratarum series, praesertim doctrinae Christianae sublimitas, a nullo homine, nedum ab idiotis Apostolis, excogitari unquam potuisset, fatentibus vel ipsis adversariis. IV, Historia et doctrina Euangelica ex documentis quoque eorum, qui a Christiana Religione alieni erant, confirmantur. Loca insigniora sunt Iosephi Flavii, Chalcidii, Macrobii, Taciti, Phlegontis Tralliani. Thalmudistae, Celsus, Porphyrius, Hierocles, Lucianus, dum impugnant prodigia a Christo patrata, factis iisdem testimonium exhibent. V, Quae narrantur in Libris nostris, collatis monumentis veteribus apprime confirmantur.

Thesis III, Libri N. T. integri et incorrupti semper servati sunt.

I, Apostoli eos adservandos tradiderunt viris sanctissimis apud Ecclesias a se constitutas, quae continenti Pastorum serie insignes pleraeque ad seculum X steterunt, Romana stat adhuc. Codices in Aedibus sacris adservati singulis Dominicis diebus praelegebantur. Sylloge Librorum N. T., quae iam facta a Petro indicatur (Ep. II, cap. 3), seculo II in celebrioribus Ecclesiis certe exstabat. Inde Codices novi accuratissime descripti et recogniti ad alias Ecclesias transmittebantur. Patres seculo IV ad antiquiores Codices provocabant; Codices vero nonnulli seculo V descripti in aetatem nostram servati sunt. Summa fuit Patrum sollicitudo in Libris sacris ab haereticorum fraude tuendis. Scholae Christianae Antiochiae, Alexandriae, Nisibi inde a primis seculis florentes exemplaribus Scripturarum describendis adservandis perdiligentem operam navarunt. Fideles ipsi, qui toti erant in Scripturae lectione, vel unum verbum immutatum in lectione publica notabant; veluti de vocabulis *hedera* pro *cucurbita*, et *scimpodium* pro *grabatum*, constat. II, Textum N. Test. ad nos incorruptum pervenisse, consensus Codicum plurimorum, Versionum antiquissimarum, et allegationum apud Patres veteres, apprime comprobat. Nominandi in primis Codices Vaticanus et Alexandrinus, aliique in certas familias distincti: Versiones seculi secundi, ut Vulgata, et Syriaca Pescito: Patres Ecclesiae Graecae, Latinae, Syriacae, Armenae. III, Corruptio Librorum N. T. nec perfici, nec facta propagari potuisset: obstabant enim tum multitudo codicum et versionum, tum Pastorum et Doctorum Ecclesiae

constans sollicitudo. Persecutio Decii et Diocletiani multos quidem codices sustulit; sed plures etiam servati sunt a fortissimis Martyribus, qui eosdem ne traderent mortem oppetierunt.

Difficultates proponuntur, eaedemque solvuntur.

I, Patres Apostolici, adserit Freretus, Euangelia tantum Apocrypha, Patres inde a Iustino usque ad Clementem Alexandrinum Apocrypha pariter et nostra Evangelia, et Patres Clemente posteriores nostra solum allegant. Apocrypha ergo Euangelia antiquiora nostris sunt. II, Consensus ille singularis, etiam in verbis ipsis, qui in Euangeliis Matthaei, Marci et Lucae observatur, communem fontem arguit trium illorum Euangeliorum, nempe Proto--Euangelium aliquod, unde Euangelistae illi tres loca similia XLII descripserint. III, Tituli illi — Euangelium *secundum* Matthaeum, Marcum, cet. —, innuit Euangelia nostra conscripta fuisse a piis fidelibus *secundum* ea, quae audierant a Matthaeo, Marco, cet. praedicantibus. IV, Si tot et tanta miracula revera patrata fuissent a Christo, et ab Apostolis, profecto Iudaei omnes aliaeque nationes ea videntes Religionem Christianam amplecti debuissent. V, Celsus, et Faustus Manichaeus Christianos redarguebant, quod Euangeliorum textum mutassent. Victor Tonnonensis Euangelia ab Anastasio Imperatore mutata fuisse narrat. VI, Millius Lectiones varias N. T. ad triginta millia adnotavit, quibus aliae complures deinceps additae sunt. Ingens adeo varietas incertum facit sensum, et diligentiae in textu conservando adversatur.

Resp. ad I. Patres Apostolici duas ad summum Christi sententias allegant, quae ex Apocryphis forte desumptae dici possint: ex Euangeliis vero nostris complures sententias eos proferre demonstrat Spedalierius. Euangelistas quidem nostros nominatim ciere non solent; verum id in more positum fuisse vel ex allegationibus V. T. in Paulli Epistolis patet. Quae a Iustino aliisque desumpta dicuntur ex Apocryphis, ea e traditione accepta censenda sunt. Apocrypha inde a Clemente plenam in oblivionem abierunt, cum certius de spuria eorum origine tunc demum apud omnes constiterit. Ad II. Convenientia illa trium Euangelistarum facile explicatur, si ponamus Marcum et Lucam commentarios Matthaei adhibuisse, quod revera ex indole praesertim Euangelii Marci arguitur. Euangelii vero illius *primitivi* vestigia nulla in tota antiquitate obveniunt; neque illud ad consensum trium Euangelistarum explicandum faceret, uti ex contrariis et inconstantibus adsertorum eius coniecturis patet. Ad III. Praepositio illa *secundum*, gr. κατὰ, in pluribus graecis Psalmorum titulis, aliisque in locis V. T.

auctorem indicat. Adhibita autem est ad evitandam genitivi repetitionem, atque ad innuendum, idem Euangelium Christi ab aliis quoque conscriptum fuisse. Ad IV. Plures e Iudaeis, quamvis miracula pro veris habuerint, Christo non crediderunt vel ex praeiudicata opinione de regno Messiae terreno, vel ne furori se obiicerent Pharisaeorum, qui miracula Christi dum negare non possent, ea ope principis Daemoniorum patrata blasphemabant. Caeterum mira illa gentis Iudaeorum obcaecatio iamdudum a prophetis praenunciata fuerat. E contra, admiranda illa Euangelicae Religionis propagatio, exclusis miraculis, nullatenus explicari posset. Ad V. Origenes et Augustinus Celsum et Faustum refutantes demonstrant, mutationes obiectas tantum ab Haereticis factas fuisse; Ecclesias vero Apostolicas incorruptos codices adservasse. Victor non satis firmam fidem facit, praesertim, cum Liberatus e contra codices falsatos a Macedonio ponat. Verum, corruptionem illam nec ab Anastasio, nec ab alio factam fuisse, collatis Codicibus et Versionibus Anastasio antiquioribus cum posterioribus, aperte evincitur. Ad VI. Plurimae e Variantibus illis in minutiis consistunt; et Millius ipse vix duo millia ex iis comuni lectioni praeferenda indicavit. Ex hisce vero vix ulla est, quae sensum contrarium exhibeat, aut summam rei attingat. Adhibitis subsidiis criticis sensus certus aut probabilis in tanta etiam varietate definiri potest. Toties vero descripti fuerunt codices nostri, ut potius mirandum sit, Variantes in iis non exstare numero plures.

Thesis IV. Libri V. T. sunt genuini.

I, Libri V. T. tum a coaevis tum ab omnibus continenti serie subsequentibus pro genuinis habiti sunt. Traditio haec a patribus filiis semper inculcata, quo antiquior, eo fidelius servata, quando pauci omnino erant libri. Notitia de Librorum origine corrumpi non poterat, cum Tribus integra eos summa veneratione adservaret, et antiquiori inde ab aetate series Iudicum, et Prophetarum non interrupta eosdem maximi semper fecerit. In N. T. Libri V. passim allegantur; aetate nepotis Siracidis graeca eorum versio in tres classes distincta extabat. Libri ipsi retrogrado ordine inspecti fidem sibimetipsis de singulorum genuinitate adstruunt, cum quisque eorum recentior antiquiores pro notis ponat, et passim nomine tenus alleget. II, Simplicissimi hominum antiquissimorum mores, et gradus deinceps morum usque ad extremum luxum; adiuncta accuratissima de diversissimis longeque dissitis gentibus diversarum aetatum; ratio cogitandi singularis, certi tropi et imagines; diversa linguae puritas et varia stili elegantia tum aetati

libri cujuslibet, tum scriptorum singulorum indoli apprime respondens, firmissima genuinitatis V. T. argumenta interna exhibent. Viri acutissimi animo infenso frustra perquisierunt an in Libris V. T. quidpiam occurrat scriptoribus atque aetati ipsorum repugnans. III, Libri V. T. seriori aetate confingi et supponi non potuerunt. Nec unus nec plures omnia praestare potuissent, quae in argumentis internis recensuimus. Impostores benevolentiam gentis laudibus et gloria rerum eius gestarum captassent, cui consilio repugnant tot ignominiosa de gente ipsa quae in Libris nostris obveniunt. Populus indocilis, et qui ab impostoribus sibi cavere semper admonebatur a viris sapientissimis, Libros antea prorsus ignotos pro antiquissimis sibi nunc primum oblatos, eosdemque continentes doctrinas et leges minime exoptatas nullo modo recepisset.

Exemplo sit Pentateuchus

Arg. interna. I, In Libris V. T. Pentateucho posterioribus passim memoratur *Lex*, *Lex Domini*, *Lex Moisis*, et quidem ut in libro conscripta; inde continens series testium exurgit, Pentateuchum inde a Iosue omni aetate Moisi fuisse tributum. II, Argumentum vero Pentateuchi per omnes aetates notum fuisse, patet ex quamplurimis seu factis seu institutis, quae ex eo aliis in libris referuntur, et quae demonstrant illum toties memoratum librum Legis non alium esse, quam Pentateuchum. III, Pentateuchus Samaritanus testis est decem Tribus, pariter ac Iudaeos, inde a Schismate, et ante, Pentateuchum nostrum pro certo Moisis libro constanter habuisse.

Arg. externa. I, Complura de historia et geographia remotissimae etiam antiquitatis diversarum gentium, de Aegypto praesertim et Arabia, Moisem auctorem unice arguunt. II, Lingua Pentateuchi est hebraica vetustior, quae a lingua Psalmorum et antiquiorum Prophetarum ferme aeque differt ac ista a Nehemiae lingua et Malachiae: ideoque aetati Moisis apprime conveniens. III, Delectus materiae et rerum dispositio in Legislatione Moisem auctorem comprobat. Leges eo ordine, quo latae sunt, referuntur, insertis narrationibus; quae negligerentur, inculcantur; quae dubium moverent, explicantur; aliae, mutatis temporis conditionibus, mutantur. Quicumque alius a Legislatore ipso scriptor, commodiorem profecto Legum ordinem praetulisset.

Thesis V. Scriptores V. T. quam qui maxime fide digni sunt.

I, Scriptores nostri indigenae erant, et plerique coaevi; atque rebus ipsis, quas scripserunt, aderant, easdemque admi-

nistrabant; quod si antiquiorem historiam narrant, documenta coaeva allegare solent, vel traditioni religiosissime adservatae innituntur. II, Sinceritas ipsorum exinde in primis comprobatur, quod de populo suo, de viris illustribus, imo de se ipsis ignominiosa quoque referunt. Gesta enarrant, quae ad leges et instituta genti gravia se referunt, et nihilominus Libri eorum fidem apud coaevos meruerunt. Prophetae toti sunt in delictis populi et primorum exprobrandis, quamvis odia sibi publica et insectationes instare certo viderent. Gens vero universa, licet eos viventes vexaverit, occiderit, eorum Libros suscepit ut veraces et divinos eosdemque religiose adservavit. III, Monumenta et Scriptores antiqui externi fidem historicam Scriptorum nostrorum, si rite cum hisce conferantur, confirmant. Exemplo sint in primis Monumenta Aegyptiaca, Numi aetatis Macchabaeorum, alii, et quae aliunde de Diluvio constant.

Thesis VI. Libri V. T. integri semper et incorrupti adservati sunt.

I, Moyses praecepit, ut autographus Pentateuchi a latere Arcae reponeretur, ut Tribus Levi eius integritatem sancte tueretur, ut Rex Legis exemplar sibi describeret, ut septimo quoque anno coram populo Lex ipsa praelegeretur. Iudaei omnes inde ab infantia edocti in Libris nostris divina oracula contineri, parati erant vel mortem oppetere pro iisdem tuendis. Itaque nec privatim nec publice corruptio librorum nostrorum tentari potuisset. II, Nec ulla aetas adsignari potest, in qua corruptio tentari potuerit. Nam inde a Iosue ad Samuelem Iudices, a Samuele ad Malachiam Prophetae continenti serie sese excipientes integritatem Librorum tuebantur. Inde a Malachia usque ad Christum cum Iudaei per universas regiones dispersi, codices multiplicassent, horum corruptio nullatenus perfici potuisset. III, Libros ipsos revera incorruptos fuisse consensus Pentateuchi Samaritani et Versionis Alexandrinae, aliorumque deinceps comprobat. Idem tacite confirmavit Christus, qui de impio corruptionis Scripturarum ausu penitus siluit, quamvis Iudaeos de Scripturis non rite intellectis redarguerit.

INDEX

CAPITUM

PRIMAE PARTIS.

Lectori . . . . pag. 5

DISSERTATIO I.

De Scriptura Sacra in se spectata . . . . . . « 9
CAPUT I. De variis Scripturae nominibus. Articulus unicus . . . . « ibid.
CAPUT II. De auctoritate Scripturae . . . . . . « 11
Art. I. De Scripturae humana auctoritate, sive an ipsa sit authentica . . . . « 12
Art. II. De Scripturae divina auctoritate, sive an Scriptura sit verbum Dei . . . . « 15
Art. III. De inspiratione Sacrae Scripturae . . . . « 19
Art. IV. De conservatione librorum S. Scripturae . . « 24
CAPUT III. De canone, divisione, argumento, auctoribus, et lingua librorum . . . . « 29
Art. I. De canone librorum . . . . « ibid.
Art. II. De Bibliorum divisione . . . . « 33
Art. III. De libris deuterocanonicis . . . . « 37
Art. IV. Argumenta et auctores singulorum librorum recensentur . . . . « 42
Libri Veteris Testamenti . . . . « ibid.
Libri Novi Testamenti . . . . « 66
Art. V. Quando et qua lingua singuli libri sint conscripti . . . . « 69
Art. VI. De stilo Scripturae Sacrae . . . . « 75

DISSERTATIO II.

De textibus ac versionibus bibliorum . . . . « 77
CAPUT I. De textibus Veteris ac Novi Testamenti . « ibid.
Art. I. De integritate et auctoritate textus Veteris Testamenti . . . . « ibid.

Art. II. De textu Novi Testamenti . . . . . . pag. 83
CAPUT II. De versionibus graecis et orientalibus . . « 85
Art. I. § 1. Versiones graecae V. T. . . . . « ibid.
§ 2. Versiones graecae N. T. . . . . « 87
Art. II. De versione Veteris Testamenti τῶν LXX . « 88
Art. III. Versiones orientales . . . . « 92
Art. IV. Paraphrases Chaldaicae . . . . « 96
CAPUT III. De versionibus latinis et vulgaribus . . « 97
Art. I. De versionibus latinis in communi . . . . . « ibid.
Art. II. De auctore Vulgatae Novae . . . . « 102
Art. III. De auctoritate Vulgatae . . . . « 105
Art. IV. Versiones vulgares celebriores . . . . . . « 110
CAPUT IV. De usu Textuum et Versionum, nec non de quibusdam celebrioribus codicibus . . . . . « 113
Art. I. De usu Textuum et Versionum publico . . « ibid.
Art. II. De usu Versionum Vulgarium privato . . . « 114
Art. III. De insignioribus codicibus mss. . . . . . « 116
Art. IV. De insignioribus codicibus typis editis . . « 120

DISSERTATIO III.

De Scripturae Sacrae interpretatione . . . . . « 123
CAPUT I. Historia interpretationis biblicae . . . . « ibid.
Art. I. Historia interpretationis quod ad Iudaeos . . « 123
Art. II. Historia biblicae interpretationis quod ad Catholicos . . . . « 125
Art. III. Historia biblicae interpretationis quod ad Acatholicos . . . . « 129
CAPUT II. De necessitate interpretationis biblicae . . « 136
Art. I. De Scripturae obscuritate . . . . « 137
Art. II. Quinam sint Scripturae sensus . . . . . . « 141
Art. III. De existentia sensuum literalis, et mystici . « 143
Art. IV. Variae de sensibus Scripturae quaestiones . « 149
CAPUT III. De recta Scripturae interpretatione . . . « 151
Art. I. De iis quae ad interpretationem praerequiruntur « ibid.
Art. II. De ratione Scripturarum interpretationis perficiendae . . . . « 153
Art. III. De supremo interpretationis principio . . « 166
Scholion pro Patribus . . . . « 174
Art. IV. Solvuntur argumenta contra doctrinam articulo superiori traditam . . . . « 177
CAPUT IV. De variis interpretandi modis, et de clarioribus biblicis scriptoribus . . . . « 179
Art. I. De variis interpretandi modis . . . . . . « 180
Art. II. De clarioribus biblicis Scriptoribus . . . « 184

SECUNDAE PARTIS.

DISSERTATIO I.

De historia rerum iudaicarum sive de archaeologia biblica . . . . pag. 187
CAPUT I. De iis, quae ad notionem gentis Iudaicae pertinent. Articulus Unicus . . . . « ibid.
CAPUT II. De Chronologia . . . . « 194
Art. I De Aetatibus, in quas Vetus Testamentum dividi solet . . . . « ibid.
Appendix pro Chronologia Novi Testamenti . . . . . « 200
Art. II. De variis temporum mensuris . . . . . . « ibid.
CAPUT III. De Topographia . . . . « 205
Art. I. De divisione Telluris ad Scripturae intelligentiam . . . . « ibid.
Art. II. Notio peculiaris Palaestinae . . . . « 207
Art. III. De Locis Sacris Iudaeorum . . . . « 210
CAPUT IV. De praecipius rebus ad Ecclesiam Iudaicam spectantibus . . . . « 217
Art. I. De Levitis, Sacerdotibus, ac Summo Sacerdote « ibid.
Art. II. De Reliquis Personis Sacris . . . . « 223
Art. III. De Dogmatibus et Praxibus Religiosis . . « 227
Art. IV. De Festis . . . . « 241
Art. V. De Sacrificiis Veteris Testamenti . . . . . « 250
Art. VI. De Oblationibus, Votis, Sacramentis, et Lustrationibus . . . . « 255
Art. VII. De Doctoribus, Sectis, et Schismatibus . « 264
CAPUT V. De Republica Hebraeorum . . . . . . « 270
Art I. De forma Reipublicae, sive de Magistratibus « ibid.
Art. II. De Legibus . . . . « 275
Art. III. De Iudiciis . . . . « 278
Art. IV. De variis Iudaeorum Consuetudinibus . . « 283
Art. V. De Ponderibus, Nummis, ac Mensuris Hebraeorum . . . . « 297

DISSERTATIO II.

De idiotismis communioribus hebraici ac graeci sermonis . . . . « 306
CAPUT UNICUM . . . . « ibid.
Art. I. De Idiotismis in genere . . . . « ibid.

Art. II. De Idiotismis in Nomine . . . . pag. 508
Att. III. De Idiotismis in Verbis . . . . « 311
Art. IV. De Adverbiis, Praepositionibus, ac reliquis Orationis Partibus . . . . « 312
Art. V. Phrases variae, ac locutiones figuratae . . . « 314

DISSERTATIO III.

Canones sive regulae pro aliquibus scripturae libris explicandis . . . . « 322
CAPUT I. Canones pro libris Veteris Testamenti . . « ibid.
Art. I. Canones pro Psalmis . . . . « ibid.
Art. II. Canones pro libris Propheticis . . . . . . « 326
CAPUT II. Canones pro libris Novi Testamenti . . « 329
Art. I. Canones pro Evangeliis . . . . « ibid.
Art. II. Canones pro Epistolis Paulli . . . . . . « 332
Syllabus Auctorum, Bibliorumque etc. melioris notae, perutilis ad studium linguarum orientalium, ordine alphabetico digestus . . . . « 336

INDEX

EXERCITATIONUM

Lectori . . . . pag. 345

SECTIO I.

De Pentateucho . . . . « 247
EXERCITATIO I. De praecipuis objectionibus, quae fiunt contra Moysis Cosmogoniam . . . . . « ibid.
II. An Pentateuchi authenticitati obstet epocha inventionis artis scribendi . . . . « 355
III. Quaenam fuerit prima hominum lingua . . . . « 358
IV. An tentatio Hevae litterali sensu sit intelligenda . « 359
V. Quinam cibus, potusque Antediluvianorum . . . « 361
VI. Quid de Henoch, et Elia . . . . « 363
VII. Quaenam fuerint ante Diluvium anni tempestates . « 365
VIII. An Antediluvianorum anni fuerint menstrui . . « 367
IX. Quaenam sit verior computatio annorum praecedentium Diluvium . . . . « 368
X. An Arca Noe species omnes animalium, et eorum alimenta continere potuerit . . . . « 370
XI. An Diluvium universale rationi adversetur . . . « 372
XII. Quid de Turri Babelica . . . . « 376
XIII. Quid de Uxore Loth in salem conversa . . . « 377
XIV. Quid de gregibus Iacob . . . . « 377
XV. An credibile sit Balaam asinam locutam esse . . « 379
XVI. An Balaam fuerit Propheta Dei . . . . . . « 380
XVII. Quid de animalibus mundis, immundisve . . « 381
XVIII. An Polygamia et Repudium licuerint . . . « 383
XIX. Quid de usuris . . . . « 387
XX. An miraculum adfuerit in transitu maris rubri . « 389
XXI. Quid de Talionis lege . . . . « 390
XXII. Quomodo vitulus aureus conflari potuerit, ac in pulverem reduci, dum Moyses in montem ascendit « 391
XXIII. Quid de Lepra . . . . « 392
XXIV. An incredibilis tanta praeda a Madianitis . . « 394

XXV. An credibilis ubertas tanta Palaestinae, quanta in Scripturis narratur . . . . pag. 396
XXVI. Curnam Moyses in Pentateucho siluerit de paradiso, inferno, et aliis hujusmodi . . . . . « 398
XXVII. An extiterint Gigantes . . . . « 402
XXVIII. De Benedictionibus Iudae datis a Iacob cum iis comparatis, quas idem Iacob Iosepho dedit . « 403

SECTIO II.

De Aliis praeter Pentateuchum V. T. Libris . . « 406
EXERCITATIO I. An prodigium sit admittendum in transitu Iordanis . . . . « ibid.
II. Quonam sensu explicanda pluvia lapidum in Chananaeos . . . . « 407
III. An prodigium sit admittendum in collapsu murorum Iericho . . . . « 408
IV. An licitum votum Iephte . . . . « 409
V. An credibilia sint quae narrantur in historia Sampsonis de apibus, de 300 vulpibus, de maxilla asini . . . . « 411
VI. An Sampson licite se se occiderit . . . . « 413
VII. Quid de Davide simulante se stultum, et coram Arca saltante . . . . « 414
VIII. An licuerit Davidi bellum gerere in Saulem . . « 415
IX. An Samuel ipse apparuerit Sauli post mortem . « 417
X. Quomodo Oza morte punitus sit . . . . « 418
XI. An credibile sit ingens capillorum Absalomi pondus . . . . « 419
XII. Curnam tanta poena ob censum populi factum a Davide . . . . « 421
XIII. An licita fuerit simulatio Iehu . . . . « ibid.
XIV. An Eliseus Naaman Syro veram permiserit simulationem . . . . « 423
XV. An Salomon salvus sit nec ne . . . . « 424
XVI. An credibilis sit strages exercitus Sennacherib . « 425
XVII. Quid fuerit Arca foederis, et quibus vicissitudinibus obnoxia . . . . « 416
XVIII. Quid de Asmodaeo viros Sarae occidente, et de fumo jecoris sanante Tobiam . . . . . . « 429
XIX. Quid de Iudith gestis . . . . « 430
XX. Quid Behemoth, et Leviathan, de quibus in libro Iob . . . . « 431
XXI. Quomodo defendi possint imprecationes Iob . . « 433
XXII. Quonam sensu interpretandae sunt Psalmorum

imprecationes . . . . pag. 435
XXIII. An credibile sit Ezechielem vorasse librum, cubasse per dies 430, comedisse fimum . . . « 435
XXIV. Quomodo explicanda transformatio Nabuchodonosor . . . . « 437
XXV. Quid de pisce Ionam deglutiente . . . . . « 439
XXVI. Quaenam sit probabilior monetae signatae historia . . . . « 440
XXVII. Quid Esdras perfecerit circa libros Sacrae Scripturae . . . . « 442

SECTIO III.

De Libris N. T. . . . . « 446
EXERCITATIO I. An sit analogia inter miracula Christi, prodigia Aesculapii, Apollonii, Vespasiani, Paris, et Wampiriorum . . . . « ibid.
II. An sit paritas inter resurrectiones patratas a Christo, aliasque ab incredulis propositas . . . . « 450
III. An sint societati noxia praecepta Evangelii de cupiditatibus subjugandis, de humilitate, de venia offensae, de contemnendis divitiis . . . . . . « 453
IV. An moralis doctrina Evangelii comparari possit cum morali veterum, ac recentiorum philosophorum . . . . « 455
V. An dogmatica doctrina Evangelii acquiparari possit Theologiae Veterum Gentilium . . . . . . « 458
VI. An contra Christi miracula jure objici possit silentium Ethnicorum, ac Iudaeorum . . . . « 460
VII. Quid de Magis Christum adorantibus . . . . « 462
VIII. Quomodo Matthaeus cum Luca conciliari possit circa Christi fugam in Aegyptum . . . . . « 465
IX. De variis, quae objectant increduli circa Christi genealogiam, quam Matthaeus, et Lucas texunt . « 467
X. An credibile sit tot fuisse Energumenos tempore Christi . . . . « 469
XI. Quid de Probatica Piscina . . . . « 471
XII. An una vel plures fuerint Mariae Iesum ungentes « 473
XIII. An Ioannes Evangelista mortuus sit . . . . « 476

SECTIO IV.

De Variis circa Sacram Scripturam . . . . . « 478
EXERCITATIO I. Quid de mendaciis, quae apparent in variis Scripturae locis . . . . « ibid.

II. Quid ex Scriptura quod ad Magiam ante Christum pag. 481
III. Quid ex Scriptura quod ad alia Daemonis, praeter Magiam, opera ante Christum . . . . « 483
IV. Quid ex Scriptura quod ad Daemonis potestatem post Christum . . . . « 484
V. Quid Gentiles excerpserint ex Scriptura . . . . « ibid.
VI. Curnam scripta Revelatio aliquibus solum concessa fuerit tum quod ad T. Vetus, tum quod ad Novum « 486
VII. Quid de salute eorum, quibus Lex Moysis ignota fuit, aut eorum, quibus ignotum est Evangelium « 488
VIII. Quaenam fuerit Idolloatriae origo. . . . . . . « 491
IX. Quinam Gentilium praecipui Dii, de quibus saepius in Scriptura . . . . « 493
X. An extiterint Prophetissae . . . . » 495
XI. Quid de Hebraeorum Poesi . . . . « 497
XII. An Hebraei coluerint Musicam . . . . « 500
XIII. An Hebraei coluerint Medicinae artem . . . « 503
XIV. An haereticum sit alicujus S. Scripturae libri negare Canonicitatem . . . . « 504
XV. Quonam sensu corpora mortuorum prophetata sint « 506
XVI. Quid de prodigiis circa Solem in Scriptura narratis . . . . « 507
XVII. De quibusdam quaestiunculis, quae legenti Sacram Scripturam facile occurrunt . . . . . . « 511
XVIII. De quibusdam Antilogiis, quae comparanti inter se varia Scripturae loca facile occurrunt . . « 519
Additamentum ad Dissert. I. Cap. II. Artic. I. . . . « 539

INDEX
RERUM NOTABILIUM
PRIMAE, ET SECUNDAE PARTIS.

CIFRA PAGINAM INDICAT.

A

Academiae apud Hebraeos, 265.
Accommodatitius sensus, 143. 148.
Adipis usus, 291.
Adultera, *Adulterii* suspecta, 288.
Aedes Hebraeorum, 209. 290.
Aetates V. T. 194. prima, secunda, 195, tertia, ibid. quarta, 196. quinta, 197. sexta, 198.
Afriea, 206.
Allegoriae, 141.
Alexandrini, 269.
Altare thymiamatis, 213. aeneum, ibid.
America, 207.
Amphora, 301. 303. 304.
Analogia Fidei, 153.
Analysis, 154.
Anathema, 258.
Angelorum fides apud Hebraeos, 236. opinio absurda apud Neotericos, 237.
Animalia immunda, 291. suffocata, 292.
Annus Hebraeorum, 203. sabbaticus, ibid. jubilaris, 204. ejus initium apud varias gentes, 203. annorum periodi, 204.
Antilogiae, 158 regulae ad eas solvendas, ibid.
Antiochus an omnes Scripturae codices conflagraverit, 28.
Antiquitas Pentateuchi, 14. Codicum, 117.
Apocalypsis, 69.
Apocryphi libri, 33.
Apographum, 77.
Apologus, 142.
Arabicae linguae adjumentum ad Scripturarum intelligentiam, 160., abusus apud Neotericos, 161.
Arca foederis, 212.
Archaeologia biblica, 162. 187.
Argumenta pro Scripturae authenticitate, 12 et seqq.
Aristocratia, 272. 273.
Aron, 238.
Artaba, 302.
Artes apud Hebraeos, 293.
As Romanorum, 297. 304.
Asia, 206.

Assidaei, 225. unde dicti, ibid.
Atrium, 213.
Auctoritas Scripturae, 11, humana, ibid. divina 15.
Authenticitas librorum, 12.
Autographum, 77. quomodo deperdita sint Scripturae autographa, 116.

B.

Baltheus, 288.
Baruch jungi solet Ieremiae, 63.
Bathus, 302.
Biblicae Societates, 135.
Biblici clariores scriptores, 184.
Bibliorum divisio, 33. et seqq.
Booz, 215. 334.

C.

Cabala, 124.
Cabus, 302. 310.
Cadus, 302.
Candelabrum, 213.
Canon librorum Scripturae, 29. quinam sint canones libror. Scriptur. celebriores, 30 Canones pro libris V. T., 322. pro Psalmis, ibid. pro libris Propheticis, 326. pro Evangeliis, 329. pro epistolis Paulli, 332.
Cantici Canticorum argumentum, et Sanctitas, 59. 61.
Captivitas Hebraeorum Assyriaca, 198. Babylonica, ibid. an captivitatum tempore servati sint Scripturae libri, 25.
Catenae, 182.
Centumpondium, 297.
Cherem, 258.
Chibrath, 303.
Chomer, 302.
Chronologia V. T., 194. N. T. 200. chronologiae differentiae inter textum hebr. LXX. et Vulgatam, 199.
Chus, 301.
Ciborum ratio apud Hebraeos, 291.
Circumcisio, 188 ejus origo, 190. efficacia, 260. caerimoniae, 283.
Clariores Biblici scriptores, 184.
Cochlearis, 303.
Codices. Ad Scripturae codices conservandos studium Hebraeorum, et Christianorum, 24. et seqq. Codicum antiquitas quomodo agnoscatur, 117. Codices Scripturae insigniores Mss., 116. typis editi, 120. Hebraeorum praxes circa Codices Scripturae, 237.
Coemetria Hebraeorum, 295.
Commentaria, 182.
Communis versio, 97.
Concordantiae Bibliorum, 128.
Concubinae, 288.
Conservatio librorum S. Scripturae, 24.
Consuetudines variae Hebraeorum, 283.
Convivia, 292.
Correctorium, 128.

Corus, 302.
Cotyla, 302.
Critica, 5.
Critici sacri, 182
Cubitus, 303.
Cyathus, 303.

D.

Decimae, 256.
Dei Scientia, 229.
pro *Delicto* sacrificium, 254 quomodo delictum a peccato differat, ibid.
Denarius, 299. 304.
Deus Creator omnium, 228. Unicus, Simplex etc. Ens primum et ultimum; Deus solus adorandus, ibid. praemium et poenam aeque distribuit, 230.
Deuterocanonici libri, 33. de illis quaestiones variae 37. et seqq.
Didactica, 6.
Didrachmon, 301.
Dies quomodo sumatur, 200. *dies* hebraeorum, ibid.
Digitus, 303.
Divisio librorum Sacrorum apud Hebraeos, 11. apud Catholicos, 33. quid notandum de Bibliorum divisione, 36.
Divisio Telluris, 205.
Doctores apud Hebraeos, 264.
Doctrina in Scripturis tradita, 16.
Dogmata apue Hebraeos, 227. primaria, ibid. a Patriarchis credita, 234. secundaria, 235.
Drachma, 297. 176. 183.
Dupondium, 297.

E.

Ecclesiae auctoritas ad Scripturae interpretationem, 170. 176.
ad *Ecclesiam* Iudaicam spectantia, 217.
Ecdotica, 6.
Editiones Hebraicae, 120.
Embolismus, 203.
Encaeniorum Festum, 249.
Epha, *Ephi*, 302. 310.
Ephod, 280.
Epistolae Paulli XIV. 68.
Epistolae Catholicae sive *Canonicae*, 68.
Epi omae, 183.
Esdras, 50. ejus etymon, ibid. auctor primi libri, 50 an inspiratus sit ad omnes Scripturae libros denuo scribendos, 26. quid egerit circa Codices Scripturae, 27.
Esseni, 226.
Esther etymon, 53. liber, ibid. hujus auctor, 54.
Ethnici, 189.
Evangelia. Eorum authenticitas, 66. canones, 326.
Europa, 205.
Examinis, et auctoritatis viae, 174.
Excommunicatio aqud Hebraeos, 283.

Exegetica, 7.
Expiationis festum, 247.
Explicitus sensus, 143.

F.

Fermentum, 254.
Festa Hebraeorum, 241. in hebdomade, ibid. in mense, 243. in anno, 244. per annum minus solemnia, 247. Festum Tarbenaculorum, 246. anni civilis, 247. Expiationis, ibid. Mardochaei, 218 Iudith, Encaeniorum, Luminum, ibid. oblationis lignorum, 249 ignis sacri. ob caesum Nicanorem, anni Sabbatici, et Iubilaris, ibid. quid de hisce Festis generatim notandum, ibid. et seqq.
Fidei articuli apud Hebraeos, 227.
Foedera quomodo sanciebantur, 240.
Fructus arborum immundi, 292.
Funera Hebraeorum, 294.

G.

Galilaea, 209.
Galilaei, 268.
Gazophylacium, 215.
Genealogia duplex Hebraeorum, 286.
Gentiles, 189.
Ghemaràh, 277.
Glossa, 181.
Gomor, 302.
Graduales Pslami, 57.
Gratia quomodo comparabatur in V. T., 264.

H.

Hachippurim, 247.
Hagiographa, 11.
Halmah, 285.
Harmonia librorum; 18. 183.
Hasdanim, 267.
Hebdomas Hebraeorum, 201
Hebraei, Eorum origo, nomina, 187. unde dicti Israelitae, 188. Iudaei, 189. Populus Dei, eorum signa, ibid. divisio, 190. promissiones, 192. lingua 193.
ad *Hebraeos* Epistola vindicatur Paulli, 68. probabilius graece scripta, 74
Hellenistae, 269.
Hemerobaptistae, 268.
Hemina, 302.
Hermeneutica, 5.
Herodiani, 267. quomodo et unde dicti, ibid.
Hesseni, 226. unde dicti, ibid.
Hexameron, 183.
Hexapla, 86.
Hierarchia Ecclesiae Iudaicae, 217.

Hieronymi lucubrationis circa libros Scripturae, 98.
Hin, 302. 310.
Historia interpretationis biblicae, 123. quod ad Iudaeos, ibid. Catholicos. 125. Acatholicos, 129. rerum judaic. 187.
Holocaustum, 253.
Homer, 302.
Homicidium incognitum, 280. cognitum, 281.
Homilia, 181.
Horae apud Hebraeos, 201.
Hydria, 302.

I.

Iachin, 215, 334.
Iacobi oraculum de Messia vindicatur, 199.
Idiotismi linguarum hebr. et graec. 306. in genere, ibid. in nomine, 308. in verbis, 311. in reliquis Orationis partibus, 312. in phrasibus et figuris, 314. in Epistolis Paulli, 334.
Idrias, 302.
Iejunia, 239.
Ierusalem, 208.
Ignis e caelo, 213. festum Ignis, 248.
Illuminati, 134.
Immortalitatis animorum fides apud Hebraeos, 234.
Immundi cibi, 292.
Immunditiae legales, 262 quomodo contrahebantur, 263.
Implicitus sensus, 143.
Imprecationes Psalmorum, 324.
Incircumcisi, 189.
Inimicorum dilectio, et odium, 236.
Inspiratio Scripturae, 19 et seqq.
Interpretatio Scripturae, 123 Ejus historia, ibid. necessitas interpretationis Biblicae, 136. quaenam praerequiruntur, 151. ratio ejus perficiendae, 153. Supremum interpretationis principium, 166 Interpretandi Scripturam varii modi, 179.
Interpretes clariores, 184.
Iob. 54 ejus etymon, liber, ibid. hujusce libri auctor, 55.
Ionathanis Paraphrasis, 96.
Isagogicae Dissertationes, 184.
Iosue etymon, 46. libri auctor, 47.
Itala Versio, 97.
Iubilaeum unde dictum, 204. ejus Festum, 249 Iubilaris annus, ibid.
Iudaea, 208.
Iudaei uude dicti, 189.
Iudaicae gentis notio, 187.
Iudices, 47. quot fuerint, 48. libri auctor, ibid. populo praeerant, 197.
Iudicia apud Hebraeos, 278. tribunalia, ibid. leges, 279. testes, 280. poenae, 281.
Iudith etymon, 52. libri auctor, ibid. festum, 248.
Iusjurandum apud Hebraeos, 239.

K.

Kantiani, 135. Kantianum systema interpretationis, ibid. Kantianus sensus, 150.
Karraei, 269. unde dicti, ibid.

L.

Labrum aeneum, 213.
Lapidatio, 282.
Lectiones scripturales, 181.
Lectionis Scripturae necessitas, et ratio, 153.
Lector, 238. quomodo ab hebraeis nuncupetur, ibid.
Lethek, sive *lèdech*, 302.
Levi Tribus destinata servitio Templi, 217. cur, 218. quid emolumenti perciperet, ibid.
Levitae, 219. Eorum requisita, ibid. munera, ibid. nnmerus, 220.
Lex Mosaica. Ejus duratio, 229 proprietates, 275.
Lex Oralis, 123. 235. 277.
Libamina, 254.
Libra, 297 304.
Libri Scripturae quando scripti sunt, 69. eorum argumenta, et auctores, 42.
Lignorum Festum, 249.
Lingua qua scripti sunt libri. V. T. 71. libri N. T. 72.
Lingua Hebraica eadem fuit ac lingua Chananaeorum, 193.
Linguae affines hebraicae, 193.
Linguae Orientales, 92. earum usus et abusus in Scripturae interpretatione, 95. 169.
Literalis sensus, 141. an semper habeatur, 143.
Loca Sacra Iudaeorum, 210.
Log. 302.
Lustrationes, 262. et seqq.
Luteres, 214.

M.

Machabaei, 64. 198. 273.
Mugistratus inferiores, 274.
Mannae urna, 212.
Marci Evangelium graece, non latine scriptum, 72.
Mardochaei Festum, 248.
Masòra, 124.
Matrimonium apud Hebraeos, 285.
Matthaei Evangelium qua liugua scriptum, 73.
Medimnus, 302.
Mensa Hebraeorum, 292.
Mensis Hebraeorum, 202 mensium nomina hebr. ibid.
Mensurae temporum, 200. solidorum, et liquidorum apud Romanos, 301. Graecos, 302. Hebraeos, ibid. longitudinum, 303.
Mercatura apud Hebraeos, 293.
Messias cur multo tempore expectatus, 194. ejus fides apud Hebraeos, 229. Messias duplex juxta Hebraeos, 236.

Metreta 302.
Milliarium , 303.
Mina , 298. 300.
Ministri Synagogae , 224.
Miscnàh , 277.
Modi Scripturam interpretandi , 179.
Monachi de Scripturarum studio optime meriti, 128.
Monarchia , 273. 274.
Morticinum , 263.
Mortuorum Resurrectio , 233.
Moysis laus , 13. auctoritas , 229.
Mulcta pecuniaria , 282.
Mulierum conturbernium a viris separatum , 291.
Mysticus sensus , 142. agnitus ab Hebraeis, 125. ejus existentia , 143.
Mythicus sensus sive fabulosus , 132. 149.

N.

Nathinaei , 223. 313. unde dicti , 224.
Naturalismus , 131. ejus principia pro interpretatione biblica , 132.
Nazaraei , 224. unde dicti , ibid.
Nehemias , 50 ejus etymon ibid. auctor libri secundi Esdrae , ibid.
Neomeniae , 243.
ob *Nicanoris* mortem festum , 249.
Noachidae , 189.
Nomina Scripturae , 9. Palestinae , 210. Hebraeorum , 284.
Novatorum principia pro Scripturae interpretatione ; 129.
Nummi Hebraeorum , 298. eorum integritas , ibid. nummi Romanorum praecipui , 299. Graecorum , 300. Persarum , ibid. Hebraeorum. ibid.

O.

Oblationes , 255. Oblatarum rerum perfectio requisita , 259. redemptio, ibid. personae aptae ad offerendum , ibid.
Obolus , 297.
Obscuritas Scripturae, 137. ejus causae, 138. fines. 140.
Octapla , 87.
Oniae Templum , 216. 269.
Onkelos Paraphrasis , 96.
Oralis Lex , 123. 235. 277.
Origo Hebraeorum , 187.
Originalis peccati fides apud Hebraeos , 236. remedium , 261.
Ortus Iudaeorum , 283.

P.

Pacificum sacrificium , 253.
Palaestina , 208. ejus ubertas , 209. nomina , 210. situs ibid.
Pallium , 288.
Palmus minor , 303.
Panes Propositionis , 213. 255.
Parabolae rectus usus , 141.

Paraphrases, 180. Chaldaicae, 96. harum auctoritas, ibid.
Parasceve, 242.
Pascha, 244.
Passus, 303.
Pastophorium, 215.
Pastoralis vita, 293.
Patriarchae, 226 eorum habitationes, 290.
SS. *Patrum* auctoritas ad Scriptur. interpret. 171. 176. illorum auctoritatis usus ibid.
pro *Peccato* Sacrificium, 253.
Pentateuchi auctoritas, 43. an ibidem habeatur mentio alterius vitae, 234.
Pentecoste, 245.
Perpetuitas legis Mosaicae, 229.
Personae Sacrae, 223.
Pes, 303.
Pharisaei, 266 unde dicti, ibid.
Phylacteria, 289.
Poenae apud Hebraeos, 281. non capitales, ibid. capitales, 282 spirituales, 283.
Polygamia, 287.
Polyglotae, 121
Pondera, 297. Romanorum, ibid. Graecorum, ibid. Hebraeorum, 298.
Postillae, 181.
Potus hebraeorum, 293.
Praexs religiosae Iudaeorum circa Scripturae Codices, 237. circa Templa, 238. circa Iejunia, 239. circa jusjurandam, ibid. circa foedera, 240. circa Festa, 241.
Preces Hebraeorum, 238.
Primitiae, 256.
Primogenitorum privilegia 288.
Prolegomena, 184.
Promissiones Hebraeorum, 192 et seqq.
Prophetae, 226. Messiam promittunt 229. eorum libri, 63. vera continent oracula, 64. Canones pro libris propheticis, 326. Prophetarum auctoritas, 229 ratio obscuritatis Prophetarum 326.
Propitiatorium, 212.
Proselyti, 190 eorum divisio, 191.
Protocanonici libri, 33.
Psalmorum liber, 56. divisio, ibid. cur compositi, 57. an omnes sint Davidis, ibid. Graduales, 58. Psalmi continent prophetias de Christo, 56. Canones pro libro Psalmorum 322 Psalmorum imprecationes; 324.
Purgatorii fides apud Hebraeos, 295.
Purificationes, 262. 264.
Purim festum, 248.

Q.

Quaestiones, 182.
Quartarius, 302.

R.

Rabbanitae, 269.
Rabban. 264.

Rabbi, 264.
Rabbinus, 264.
Rationale, 222.
Rationalismus, 131.
Rechabitae, 225. unde dicti, ibid.
Refugii civitates, 281.
Reges, 197. Reges Iudae, et Israelis, 198. Libri regum, 48.
Regnum Iudae, et Israelis, 198.
Repudii libellus, 288.
Respublica Hebraeorum, 270. ejusdem varia formae, 272. magistratus, 274.
Restitutio, 281.
Resurrectionis fides apud Hebraeos, 233.
Reus homicidii, 281.
Revelationis convenientia, et necessitas, 47.
Ritus Sacrifici, 254.

S.

Sabbati nomen, 202. festnm, 241. cur institutum. 242.
Sabbaticus annus, 202. ejus festum, 249.
Sacerdotes, 220. eorum requisita, ibid. vestes, 221 munera, ibid. an judices essent in Synedrio, 279.
Sacramenta V. T. 260. eorum efficacia, 261. numerus et qualitas, ibid.
Sacrificia V. T. 250. Sacrificii natura, ibid. origo, 251. an expiatoria fuerint, 252. materia ibid divisio; 253. Sacrificia animata, ibid. inanimata, 251. sacrificiorum circumstantiae, ibid. ritus. ibid.
Sadducaei, 234. 266. sub variis nominibus veniunt, ibid.
Samaria. 209. 315. ejus incolae, 268.
Samaritani, 198. 268.
Sanctum Sanctorum, *Sancta Sanctorum*, *Sanctuarium Sanctuarii*, 212. et seqq.
Sanguinis usus, 291.
Schismata, 268.
Scholae vetustissimae pro studio Scripturae, 126.
Scholia, 181.
Scribae. 265.
Scriptores Bibliorum 16.
Scriptura Sacra. Vide *Auctoritas*, *Anthenticitas*, *Inspiratio*. Scripturae librorum conspiratio. 16. Scripturae 75. 321. quomodo publice legenda sit Scriptura, 113. Scripturae interpretatio; 123 sensus, 141. modi Scripturam interpretandi, 179.
Seah, 302
Sectae Iudaeorum, 266.
Sensus Scripturae, 141. Litteralis, ibid. Mysticus, 142. Implicitus, et explicitus, 143. Accommodatitius, ibid. An ex quolibet sensu validum aeque sit argumentum, 149. Canones pro recto sensuum usu, 163.
Sepulcra hebraeorum, 295.
Siclus, 298. 302.
Societates Biblicae, 135.
Socinianorum principia, 130.
Spiritus privatus Novatorum, 129. 166.
Spithama, 303.
Stadium, 303.
Stater, 298. 300.

Stichometria, 129.
Suffocata animalia, 292.
Summaria, 183.
Summus Sacerdos, 221. ejus vestes ac insignia, ibid.
Symbolum, 142.
Synagoga, 216. ejus ministri, 224.
Synedrion, 279.
Synopsis, 183.

T

Tabernaculum, 211.
Tabernaculorum festum, 246.
Talentum, 300. 301.
Talio, 282. quid de *talionis* poena monendum, ibid.
Templum primum, 214. secundum, 215. Samaritanorum, 216. Aegypti, sive Onion, ibid. Templi ministerium, 211. 217. Praxes circa Templa, 238.
Tempus. Quo tempore scripti sint libri Scripturae, 69. Temporis mensurae apud Hebraeos, 200.
Testamenti significatio. 10. Testamenti V. ac N. nexus, 146. 334.
Testamentariae dispositiones apud Hebraeos, 10.
Testes, 280. gravissimae poenae falsis testibus erant impositae, 281.
Tetrapla, 86.
Textus, 77. variae de integritate textus hebraici opiniones, ibid. non fuit substantialiter corruptus, 78. quaenam ejus menda, 82. textus N. T integritas, 83. ad textus quando confugere liceat, 108.
Tallith, 238.
Thalmid, 265.
Thalmud, 124. 277. ejus divisio, ibid.
Thanin, 310.
Thargum, 96. Onkelos, Ionathan etc. ibid.
Theocratia, 270.
Therapeutae, 228.
Thummim, 222. 280.
Thymiamatis altare, 213. 255.
Tobiae etymon, 51. liber, ibid. chaldaice exaratus, ibid.
Topographia, 205.
Tractatus, 183.
Traditio facile conservata primis mundi saeculis, 12. duplex via, ad hoc cognoscendum, 174.
Tribunalia apud Hebraeos, 278.
Tribus Iudaeorum, 191. signa quatuor tribuum, quae primariae erant, 213.
Tripondium, 297.
Tubarum festum, 247.
Tunica, 288.

U

Uncia, 297.
Urim, 222, 280.
Usura apud Hebraeos, 294. cum fratribus vetita, ibid. an permissa fuerit cum alienigenis, ibid.

V

Vacca Rufa, 264.
Variantium collectores, 155. leges circa eas servandae, 156.
Vasa coquinaria, 292.
Verba Scripturae an sint inspirata, 23.
Verberatio, 282.
Versio, 77. Versionum duplex usus, 85. Versiones, 180. graecae V. T. 85. N. T. 87. Versio τῶν LXX. 83. quid de narrationes veritate, 84. an ea sit omnium librorum V. T. 85. an conservata sit, 86. illius auctoritas et usus, 90. editiones ejusdem celebriores, 91. Orientales, 92. et seqq. latinae, et vulgares, 97. Versiones eruditorum quorumdam, 100.
Vestes Hebraeorum, 288.
Victus Hebraeorum, 291.
Virga Aaron, 212.
Virgo quomodo ab hebraeis dicta, 285.
Vota, 258. obligationis, et consecrationis, ibid. obligatio ea implendi, 259.
Vulgares Versiones, 110. Gothica, 111. Sclavonica, Gallica, 112. Germanica, Italica, ibid. cur dedeceant in usu publico, ibid. quandonam permittantur, 115.
Vulgaris sensus, 133. 146. 150.
Vulgata Vetus, sive Itala, Communis, 98. *Nova*, 102. hujus auctor, 103. auctoritas intrinseca, et extrinseca, 105. ejus authenticitas nihil derogat textibus, ibid. ea est authentica in omnibus, 107. non est divinitus inspirata, 108. quandonam salva ejus auctoritate confugere liceat ad textus, ibid. celebriores Vulgatae editiones, 110.

X

Xylophoria, 249.

Z

Zelotae, 268.
Zelotypia, 288.
Zereth, 303.

INDEX
RERUM NOTABILIUM
APPENDICIS

A

Abraham an mentitus sit, 480.
Absalomi capilli, 419. horum pondus probabiliter sumptum pro pretio, 420.
Abyssi ruptae in diluvio quomodo intelligendae, 374.
Accentuum in hebraica lingua origo, 444.
Achaz horologium, 510.
Adam an omnium protoparens, 353.
Aegyptiorum annales, 348. tempora anni, 365 discrimen in cibis et mensis, 382. cognitio alterius vitae, 401. quando apud eos idolatria, 492. eorum Dii, 493. illorum terrae foecunditas, 533.
Aerolithi quid, 408.
Aesculapii prodigia, 447.
Aeternum aliquando solum indicat longam durationem, 524.
Agni Paschalis sacrificium a quonam compleretur, 522.
Albi et *Nigri*, 353.
Allegoriis Orientales saepe utuntur 399.
Alleluja, 514.
Alpha et *Omega*, 519.
Americae populi an ab Adam prognati, 354.
Ammonitarum Dii, 493. Ammonitae exclusi erant ab Ecclesia Dei, 534.
Amorrhaeorum Dii, 495.
Ananias quid significet, 481.
Anathema, 514.
Angelus per quem immissa strages Sennacherib, 426. an vere corpora obsideat, 464. Angelus in Probatica piscina, 472.
Animalia munda et *immunda*, 381. quando discrimen inter illa inceperit, ibid. qua de causa, 382. quando per illa inducebatur immunditia legalis, 383. usus, ibid. et 534.
Annales populorum, 347.
Anni tempestates ante diluvium 365. utrum anni fuerint menstrui ante diluvium, 367. solares ne an lunares apud Hebraeos, 368. quomodo numerandi ante diluvium, ibid.
Anni Sabatici, et *Iubilaris* ritus, 528.
Antediluvianorum cibus, 361. potus, 362. longaeva ac robustior aetas, ibid. et 368 anni tempestates, 365. anni, 367. annorum computatio, 368.
Antilogiae variae solutae, 519.
Antiochi quot, 511. appellantur etiam Seleucidae, ibid.
Antiochus Sidetes primus concessit Hebraeis signare monetam, 441.
Apollonii prodigia, 447.

Aquarum copia diluvio universali sufficiens unde, 373.
Arca Foederis a quibusnam ferri debebat, 418. Quid illa fuerit, et quibus vicissitudinibus obnoxia, 426. an fuerit in secundo Templo, 428. illius mensurae, 525.
Arca Noe an satis ampla, 370.
Arioli, 481.
Artes bonae apud Hebraeos, 391.
Asina Balaam an vere locuta fuerit, 379. asini maxilla, 412.
Asmodaeus viros Sarae occidens, 429.
Astronomicae observationes an repugnent Mosaicae cosmogoniae, 350.
Axis terrae inclinatio ad Eclipticam in diluvio, 374.

B

Baal Cultores insidiose a Iehu occisi, 421.
Babylonensium pondera, 420.
Balaam asina, 379. an ille fuerit propheta Dei, 380.
Barbae rasio quae, et cur Hebraeis prohibita, 527.
Beatitudines explicatae a S. Ambrosio, 517.
Beelzebub, 495. not. (1).
Behemoth quid, 431.
Brutorum mansuetudo in Paradiso terrestri, 360: locutio, 380.

C

Cabalae auctor, 445.
Cadavera antediluviana, 375.
Cain quomodo occisus, 480.
Cani opinio de canonicitate librorum S. Scripturae, 504. ejus mens, 505.
Canon Missae quaedam habet, quae non sunt in Evangeliis, 518.
Canonicitas omnium librorum S. Scripturae an sit dogma fidei, 504.
Capilli Absalomi, 419.
Captivitates Iudaeorum, 513.
Carnes an ante diluvium permissae, 361.
Cataractae apertae in diluvio, 374.
Census a Davide factus, 419.
Cephas a Paullo redargutus quinam fuerit, 516.
Chaldaeorum Annales, 349. cognitio alterius vitae, 401.
Chananaeorum Dii, 495
Characteres chaldaei an substituti hebraicis, 443.
Chirurgia apud Hebraeos, 504.
Chorearum usus, 415.
Christus quomodo *nesciebat* diem judicii, 481. ejus forma, 515.
Chronologia annorum ante diluvium, 368. Ejus inter textum hebraicum et Versionem τῶν LXX. discrimen, 369. discriminis causa, ibid. cur Ecclesia utatur Chronologia τῶν LXX. 370.
Chronotaxis gestorum Christi usque ad annum duodecimum, 465.
Cibus Antediluvianorum, 361.
Circumcisio Christi quando, ubi, et a quonam peracta, 465.
Cithara quomodo pelleret malos humores a Saule, 515.
Concertationis litterariae regula, 346.
Consentes Dii, 495.
Cooperatio Naamani Regi prostrantis se coram idolo an fuerit materialis, 423.

Cosmogonia Moysis, 347.
Cubiti varii, 371.
Cubitus Ezechielis per 430 dies, 435.
Cupiditates quomodo Evangelium praecipiat subjugare, 453.

D

Daemones an vere corpora obsesserint, 470. cur id Deus permiserit, ibid. quomodo agant in corpora, 482 cur illorum operationes rebus materialibus alligatae, ibid. quomodo a miraculis discernantur, ibid. operationes variae praeter Magiam, 483. Daemonum potentiae limites, ibid. quaenam Daemonum potentia post Christum, 484.
David quomodo simulaverit se stultum, 414. coram Arca saltaverit, ibid. bellum defensivum gerere potuit in Saulem, 416. ejus census quomodo severe punitus, 421.
Decipere quomodo dicatur Deus, 480.
Dei nomen quomodo creaturis aliquando tributum, 521.
Deucalionis diluvium a diluvio Noe. 413.
Dii Gentilium, 493. Dii majorum Gentium, 495. Consentes, ibid.
Diluvii universalis certitudo, 372. illud fuit miraculosum, 373. incredulorum contra illud argumenta solvuntur, ibid.
Disputatio Christi in Templo quando peracta, 466.
Disputatio Michaelis cum diabolo, 517.
Divinationes, 483.
Divitiarum contemptus an destruat negotiationem, aliaque Reipublicae bona, 454.
Dogmatica Doctrina Evangelii an possit aequiparari Theologiae Gentilium, 458.
Dona naturalia inaequaliter distributa, 488.

E

Ehram vestis Orientalium, 436. nota (1).
Eleazarus supposuit se Elephanti, 413.
Eliae status, *vide* Henoch.
Eliseus an veram permiserit simulationem Naaman Syro, 423.
Energumeni cur tot tempore Christi, 467, 483. an vere a daemonibus obsessi, 470, 483. cur id Deus permiserit, 470. Energumenorum species inter Gentiles, ibid.
Epiphanes, id est illustris, Antiochus omnium Seleucidarum crudelissimus, 511.
Esdrae lucubrationes circa libros Sacr. Script. 412. an illos denuo conscripserit, ibid. an collegerit, 443. an chaldaeos characteres hebraicis substituerit, ibid. an primus apposuerit accentus, et puncta, 444. an sit auctor cabalae, 445.
Evangelium. Illius praecepta an sint noxia societati, 453. illius moralis doctrina, 455. dogmatica, 458. quid de eorum salute, quibus ignotum est Evangelium; 488.
Exorcismi, 484.
Ezechiae mors, 480.
Ezechiel quomodo comederit librum, et fimum, et cubaverit per 430 dies, 435.

F

Fabri lignarii ars Iosephi, 516.
Fabulae originem trahunt ex Scripturarum historiis, 413, 439, 486.
Fimus quomodo comestus ab Ezechiele, 436.
Fossilia per diluvium sepulta, 375. not. (1).
Fuga Christi in Aegyptum juxta Matthaeum, et Lucam, 465.
Fumus jecoris quomodo Tobiam sanaverit, 429.

G

Genealogia Christi juxta Matth. et Luc. 467. in genealogiis notandis diligentia Hebsaeorum, ibid.
Generationes quaedam omissae in genealogiis, 468.
Gentiles. Illorum theologia, 458 testimonia pro Christi miraculis, 460. quid excerpserint ex Scriptura, 484. quid de eorum salute, 488. eorum Dii, 493.
Gigantes an extiterint, 402. an ex iis fabula Titanorum, 413. Og, aliique gigantes, 532.
Grando appellata lapis, 408.
Graeci pro lege habuerunt *Talionem*, 390. eorum Dii, 495.

H

Hebraeorum testimonia pro Christo, 461. diligentia in notandis genealogiis, 468. poesis, 497. musica, 500. in nuptiis et funeribus usus musicae, 501. ars medica, 503. chirurgia, 504. captivitates, 513. mansio in Aegypto, 523. cum quibusnam illis prohibitum matrimonium, 525. numerus, 529.
Hebraicae linguae etymon, 358, 359 antiquitas, ibid.
Henoch et *Elia* an mortui, 363. locus, merendi facultas etc. ibid. reditus, 364.
Herodes quot., 511.
Hevae tentatio an allegorica, 359.
Hieraticus character, 357.
Hieroglyphica Aegyptiorum, 357.
Horologia apud Hebraeos, 510.
Hosanna, 514.
Humilitas Christiana an enervet bellicam fortudinem, 454.

I

Iacob an mentitus sit, 481. Iacobi ars in multiplicandis pecoribus variegatis an justa, 377. an naturalis, 378. quanta ejus familia dum ingressus est in Aegyptum, 520.
Iacobaeum Oraculum, *vide* Oraculum.
Iacobus Apostolus quomodo ingrederetur Sancta Sanctorum, 518.
Idololatriae origo, 491. rationes, quae homines ad idololatriam incitarunt, 492.
Iehovàh, 513. Hebraeorum de illo nomine nugae, ibid. quandonam illud nomen primo fuerit indicatum, 521.
Iehu simulatio ad perdendos cultores Baal an justa, 421.

Iephte votum an licitum, 409. quomodo electus in principem, 534.
Iericho murorum collapsus an fuerit prodigiosus, 408.
Iesu forma, 515.
Imago Dei in homine, 519.
Immortalitatem animorum quomodo cognoscerent Hebraei, 361. et seq.
Imprecationes Iob, 433. Psalmorum, 435.
Incantantes, 481.
Incantatio quid, 515.
Indigentes quomodo esse non poterant inter Hebraeos, 534.
Inferni fides apud Hebraeos, 398, et seq.
Inimico parcere an contrarium sit Reipublicae bono, 454.
Innocentium stragis epocha, 466.
Ioannes Evangelista an mortuus, 476. ejus reliquiae, 476 et 477.
Iob an excusandus in imprecationibus, 433. an leviter Iob peccaverit, 434.
Ionas in ventre piscis, 439. quinam iste piscis fuerit, ibid. quarumnam rerum typus fuerit, 440.
Iordanis transitus an fuerit prodigiosus, 406. illius fluminis mensnra, ibid.
Ioseph an mentitus sit, 480. Iosepho benedictiones datae a Iacobo quomodo sint explicandae, 404.
Iosephi viri Mariae quaenam ars, 516.
Iubilaris anni ritus, 529.
Iudae celebres in Scriptura, 512.
Iudae Reges, 513.
Iudaei qui dicerentur, 404.
Iudith quomodo juraverit per Nabuchodonosorem, 430. quomodo tot falsa protulerit, 430, 480.
Iphigenia filia Iephte, 413.
Israelis Reges, 513.

K

Kuà Sinensium, 356.

L

Lapidum pluvia in Chananaeos quomodo explicanda, 407. exempla pluviarum lapidum, ibid. lapidum erectio prohibita ob periculum idololatriae, 528.
Lazari resurrectio, 450.
Legalis immunditia ex animalibus immundis, 383.
Leonis cadaver cum apibus, 411.
Leprae species variae, 392 in quonam lepra constiterit, 393. an fuerit quid naturale, 393 pro leprosis leges, 391. cur leprae judicium sacerdotibus reservatum, ibid. cujusnam rei lepra typus fuerit, ibid.
Lex Vetus quomodo dicta fuit *importabilis*, 536.
Leviathan quid, 432. suscitare Leviathan, quid significet, ibid.
Levitarum possessio, 530.
Liber voratus ab Ezechiele, 435. a Ioanne.
Libri S. Scripturae conservati in captivitate, 443. post eam redacti, et editi ab Esdra, ibid an omnium canonicitas sit dogma fidei, 505.
Lingua prima hominum, 358.
Linguarum studium mosaicam narrationem confirmat, 355.

Loth uxoris historia vindicatur, 351. in quonam sita fuerit ejus conversio in statuam; ibid. an animae uxoris Loth salus aeterna sit speranda, 377. statuae duratio, ibid.
Lucis natura, 587.
Lunares anni 367.
Lycantropia Nabuchodonosor, 438.

M

Maculae in foetis hominum, et brutorum, 379.
Madianitarum terrae amplitudo, 394. an credibilis praeda de Madianitis ab Hebraeis relata, ibid.
Magdalena ungens Iesum, 474. nominis etymon, 475. not: (1).
Magi Pharaonis, 482.
Magi Christum adorantes, 462. eorum regio, ibid. conditio, 463. variae circumstantiae, ibid. quid stella illis apparens, ibid. an hujus apparitionis testimonium extet apud profanos, 464. quomodo Magi ex stella cognoverint ortum Christum, ibid. quandonam apparuerit, ibid. Magorum ad praesepe adventus quandonam fuerit, ibid.
Magia ante Christum, 481. an ad artem reducta, 482. post Christum, 484.
Maledicere creaturis Dei an malum sit, 434.
Maleficia, 483.
Manipulus et *vulpes* eodem nomine significata, 411.
Manna quid, 515. a Manhu, ibid.
Mariae ungentes Iesum quot, et quae, 473. Mariae celebres in Scriptura,
Maris rubri transitus an miraculosus, 389.
Masculorum et *foeminarum* numeri in mundo proportio, 395.
Matrimonium, vide *Polygamia* et *Repudium*. Ex diversis tribubus, et familiis fieri non poterat, 468, 532. quomodo praeceptum, 520. cum quibusnam Hebraeis prohibitum, 532. v. *sterilitas*.
Maxilla asini in historia Sampsonis, 412.
Media ad salutem, 487, 489.
Medicinae ars apud Hebraeos, 503. an ad chirurgiam restricta, 504. medici aetate Christi, ibid.
Mendacia quonam sensu in Scriptura reperiantur, 479. quonam pacto explicanda quae adducuntur, 480. etc. an cum mendaciis mysteria inveniri possint, 481. mendacia Iudith, 430.
Meretrix quomodo exclusa esset ab Ecclesia Dei Veteri, 535.
Messis quandonam incidat in Palaestina, 407.
Metalla fundendi ars apud Hebraeos, 392.
Miracula Christi an possint comparari prodigiis Aesculapii, Appollonii, Vespasiani, Paris, et Wampiriorum, 446. an possit contra illa objici silentium Ethnicorum, et Gentilium, 460.
Miraculorum criterium, 446, 482.
Moabitarum Dii, 491. Moabitae exclusi erant ab Ecclesia Dei, 534. illorum terra tandem ab Hebraeis occupata, 537.
Monetae signatae historia, 441.
Moralis doctrina Evangelii an possit comparari morali Philosophorum, 455.
Mortem optare an malum sit, 434.
Mortui ad vitam revocati cur nihil narraverint, 451.
Mortuorum corpora quonam sensu prophetaverint, 506.
Moysis auctoritas, 348. quomodo occasione vituli potuerit occidere tot Hebraeos, 392. quomodo terram Madian vastaverit, ubi erat socer suus Iethro, 395. cur in Pentateucho siluerit de Paradiso,

Inferno etc. 398. petit ut peccatum populi dimitteretur, 530. diffidit Deo, ibid. contemplatus est Chanaan, 531.
Muli in Iudaea abundabant, 527.
Mulieres habere possunt donum prophetiae, 497.
Mulieres Deo consecratae in V. T. 410.
Munda et *immunda* animalia, vid. *Animalia*.
Musica Hebraeorum, 500. quandonam cognita apud illos, ibid. ejus usus, 501. instrumenta, ibid. psalterium, 502. musicae effectus, ibid.

N

Nabuchodonosor quomodo transformatus, 437.
Naturalis historia an repugnet Mosaicae cosmogoniae, 351.
Necromantia, 483.
Nili irrigatio, 533.
Nigri et *Albi*, 353.
Ninive eversio praedicta, 214.

O

Obstetrices Aegypti quomodo mentitae sint, 481.
Octava in psalmis, 483, 517.
Og gigans, 532.
Omega et *alpha*, 519.
Oniae quot fuerint, 512.
Onion Templum, 512.
Opiri quid, 449.
Oraculum Iacobaeum a speciali objectione vindicatur, 403.
Oza vim significat, 419. quomodo tam severe punitus, 418. an salvus sit, 419.

P

Palaestinae ubertas, 396. divisio facta inter Hebraeos, 531. fines, ibid.
Paradisi fides apud Hebraeos, 398. et seq.
Paris prodigia, 448.
Pater alius *secundum naturam*, alius *secundum legem*, 469.
Patriarchae cur diu caelibes, 368.
Peccati typus fuit lepra, 391. peccata patrum quomodo in filiis punita, 523. peccatorum punitio quomodo differatur, 533.
Pecora Iacobi, 378.
Pentateuchus quomodo praemia ac supplicia aeterna indigitet, 399, et sèq.
Permutationes in contractibus quomodo antiquitus perficerentur, 441.
Pestilentia ob censum Davidis immissa, 421.
Petrus an sit Cephas a Paullo redargutus, 516.
Philistaeorum Dii, 494.
Philosophorum veterum moralis doctrina Evangelio comparata, 455. recentiorum, 457. Evangelii doctrina dogmatica, 458.
Phaenicum Dii, 495.
Pisces immundi, 381.
Piscina Probatica, 471. plures piscinae nominantur, ibid. quinam et quando in illa Angelus descenderet, 472. an effectus salutis natu-

raliter obtineretur, ibid. quando privilegium illud duraverit, ibid. cur solus Ioannes illius meminerit, ibid. cur multas circumstantias ommittat, 473.
Piscis quinam Ionam deglutiverit, 439.
Poesis Scripturae, et Hebraeorum, 497. ejus qualitas, 498. naturalis et artificialis, ibid. recentiorum quorumdam opinio, 499.
Poenitentiae Sacramenti typus fuit expiatio leprae, 394.
Polygamia quid, 383. an naturae repugnet, ibid. an potuerit a Deo permitti, 384. an permissa in primaeva matrimonii institutione, ibid. quandonam licita esse coeperit, ibid. cur permissa, 386. an ex ea aliquid inferatur contra indissolubilitatem matrimonii in lege Christi, ibid.
Pondera Hebraeorum, et Babylonensium, 420. Pondus *publicum*, 419. *regium*, 420.
Pontis usus apud Hebraeos, 406.
Probatica Piscina, vide *Piscina*.
Prophetare quid significet, 495. 507. quonam sensu mortuorum corpora prophetaverint, 506.
Prophetissae an extiterint, 495.
Psalterium, 502.
Punctorum vocalium origo, 444.
Pythonissa quid praestiterit ut Saul Samuelem videret, 417. Pythonis spiritus, 418.

Q

Quipi Peruvianorum, 356.

R

Raphaelis dicta a mendacio depurantur, 481.
Reges Iudae, 533. Israelis, ibid.
Remmon quid significet, 424.
Reptilia immunda, 381.
Repudium quid, 383. an naturae repugnet, 384. an potuerit a Deo permitti, ibid. an permissum in primaeva matrimonii institutione, ibid. quandonam licuerit, 385. varia circa repudium notanda, ibid. cur aliquando permissum, ibid. an ex eo quidquam inferatur contra matrimonii indissolubilitatem in lege Christi, 386.
Resurrectiones a Christo patratae an possint aequiparari aliis ab incredulis propositis, 450. varia notanda in resurrectionibus, quas profani narrant a Diis patratas, 451.
Revelatio scripta cur non omnibus concessa, 486. sine revelatione scripta dari possunt media ad salutem, 487. ubique propagari potest, 488. quid de salute eorum, quibus ignota fuit revelatio scripta ibid.
Romani quomodo Repudium haberent licitum, 386. apud Romanos viguit lex *Talionis*, 390.

S

Sabbatico anno fructuum collectio Hebraeis prohibita, 528.
Sabbato quid liceret operari, 525.

Sacerdotes leprosorum judices apud Hebraeos, 393. cur, ibid.
Sacerdotium vetus quibusnam promissum, et quibus datum, 530.
Sacrificium sanguinis humani inauditum apud Hebraeos, 410. Sacrificia varia, 526. quonam loco Sacrificia fieri possent, 527. an Gentiles Sacrificia Hebraeorum peragerent, 528.
Saeculum aliquando solum indicat longam durationem, 524.
Salis statuae, in quam conversa fuit uxor Loth, natura, 377.
Salomon an salvus sit, 424. quandonam scripserit Ecclesiasten, Proverbia, et Canticum Canticorum.
Sampsonis historia de apibus, 411. de vulpibus, ibid. de maxilla asini, 412. an ille licite sese occiderit, 413. et vindictam sumpserit de hostibus, ibid. Herculis fabula ex Sampsone. 414.
Samuel an vere Sauli apparuerit post mortem, 417.
Sancta Sanctorum, 521, 526.
Saul an in eum licite potuerit David bellum gerere, 415. ejus melancholia cithara dissipata, 429, 515.
Scientia communicabilis quid, 481.
Scribendi artis historia, 355. antiquitas, 357. materia, in qua olim scribebatur, ibid. inventores, 358.
Scripturae Sacrae librorum canonicitas, 505.
Sculptores apud Hebraeos, 391.
Seleucidae appellantur Antiochi, 511.
Senacherib strages, 425. narrata apud Herodotum, et Berosum, 426.
Serpentes incantati, 477.
Serpentis Hevam tentantis historia, an allegorica, 359. unde illi loquela, 361.
Sibyllae. 495.
Silentium profanorum circa prodigia in Scripturis narrata, 460, 509, et seq. et alibi passim.
in *Silvis* an obtineri possit salus, 490.
Simon leprosus, 475.
Simulatio Davidis dum finxit se stultum, 414. Iehu ut occideret cultores Baal, 421. quaenam ab Eliseo permissa Naaman Syro, 423.
Sinensium annales, 349.
Solares anni, 368.
in *Sole* prodigia narrata a Scriptura, 507.
Solis statio sub Iosue, 508. retrocessio sub Ezechia, 509. eclipsis in morte Christi, 510.
Soror quomodo sumatur interdum, 480.
Sorte quomodo divisa fuerit terra Chanaan, 531.
Stella Magis apparens, 463.
Sterilitas apud Hebraeos, 533.
Strages Sennacherib, 425. Innocentium, 466.
Synedrii judicandi auctoritas, 534.

T

Tabernaculum quis ingredi poterat, 529. 536.
Talionis legis apud Hebraeos conditiones, 390.
Tempestates anni ante diluvium, 365.
Templum secundum an habuerit Arcam foederis, virgam Aaronis, et vas mannae, 428. Templum ubinam erectum, 536.
Tempora anni quot apud Hebraeos, Aegyptios, et Graecos, 366.
Tentatio Daemonum, 483.

Tetragrammaton nomen Dei, 513. vide *Iehovàh.*
Thau, 514.
Titani, vide *Gigantes.*
Titulorum, et *lapidum* erectio prohibita fuit ob idololatriae periculum, 528.
Traditionis via multa cognoscebant Hebraei, 398. et seq.
Transfiguratio Christi quid, 516.
Transformatio Nabuchodonosor, 437. illius apud profanos mentio, 438.
Tribus in Assyriam abductae an redierint, 404.
Turris babelicae auctor, 376. epocha, ibid. duratio, ibid.

U

Unctio Iesu ante mortem quando, ubi, et a quonam facta, 473. et seq.
Usura quid, 387. systemata varia ad explicandum quomodo, et quando licita fuerit Hebraeis, ibid. et seq.
Uva vecte portata ab exploratoribus Palaestinae, 397.

V

Vespasiani portenta, 447.
Vinum an ante diluvium in usu, 362.
Visio Dei, 516. an aliquibus in hac vita concessa, 527.
Vitulus aureus ab Hebraeis in Deserto quomodo conflatus, 391. quid repraesentaverit, ibid. quomodo in pulverem potabilem resolutus. ibid.
Vulpes, *canis aureus*, et *manipulus* eodem nomine hebraico significantur, 411. vulpes abundant in Palaestina, ibid.
Vulpinalia Romanorum, 412.

W

W*ampiriorum* commenta, 449.

Z

Zachariae quot fuerint, 512.
Zodiaci Tentyrensis, et Esnensis, 350.

EMENDATIONES.

Pag. 15. lin. 16. In allato Calmeti loco deletam velim periodum primam, quae sententiam omnino falsam continere videtur.
Pag. 16. lin. 13. veritatem copia *leg.* veritatum copia.
Pag. 24. lin. 21. sacri; quod *leg.* sacri. Quod
Pag. 31. lin. 41. Nicaeni Patres *leg.* Nicenos Patres.
Pag. 35. lin. 19. Canticorum in Cantica *leg.* in Cantica Canticorum.
Pag. 36. lin. 6. (XXIV, 44) *leg.* (Lucae XXIV, 44)
Pag. 40. lin. 10. addit, loqui *leg.* addit, se loqui
Pag. 40. lin. 18. hoc est *leg.* hos est.
Pag. 65. lin. 5. (Antiq. lib. XI) *leg.* (Antiq. XII, 6, 1)
Pag. 80. lin. 6. post Dominus *leg.* post dominos
Pag. 89. lin. 27. Aristeus iuxta Demetrium *leg.* Demetrius iuxta Laertium.

Die 23 Octob. 1841.

REIMPRIMATUR

Fr. P. Caj. Feletti O. P. S. Th. Mag. Inq. Gen. S. O.

Die 3 Nov. 1841.

REIMPRIMATUR

I. Archip. Passaponti Prov. Gen.

L' Editore di quest' edizione intende di godere del benefizio concesso dalle recenti Convenzioni per la proprietà letteraria stipulate fra i diversi Stati d' Italia, avendo adempito a quanto esse prescrivono.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS475.I5 C001
INSTITUTIONES BIBLICAE BONONIAE
3 0311 00015 8282

28008

BS
475
.I5
1841

28008

Institutiones Biblicae

AUTHOR

DISSERTATIONES

TITLE

ISAGOGICAE

DATE DUE	BORROWER'S NAME

3 0311 00015 8282